Digitized by Google

Ai 9585

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

ANNO MDCCXXXIII

publicata.

Cum S. Cæsareæ Majestatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Proſtant apud JO. GROSSII HÆREDES, JO. FRID. GLEDITSCHII B. FIL. ET JO. CHRISTIANUM MARTINI.

Venduntur etiam Amſtelodami in WAESBERGIORUM & WETSTEINIORUM officinis.

Typis BERNHARDI CHRISTOPH. BREITKOPFII.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI CANDIDO SALUTEM!

Tradimus in manus Tuas Actorum *noſtrorum Annum tertium & trigeſimum. Nec tradimus tantum, ſed conſecratum quoque Tibi uni volumus. Ut, qui alia a nobis expectare non potes, hanc ſtudii erga nos Tui aliquam veluti mercedem habeas. Et, quemadmodum Te inde ab aliquot annis experti talem ſumus, qualem fruſtra expetunt Ephemeridum ſcriptores plurimi, ac publice privatimque plaudentem nobis ſæpius Te vidimus, curasque & labores noſtros partim juviſti liberaliter, partim dignos putaſti laude Tua, ita viciſſim noſtri erga Te animi exſtare hæc monumenta publica, & in novi anni limine tenerrime Te nobis ſalutari, æquum judicamus. Anni jam exacti duo ſunt, ex quo novum hoc tractare penſum cœperunt manus noſtræ. Bona tunc de Te multa ſperavimus, ſed ita ſperavimus,*

Digitized by Google

ut solent plerumque ii, quibus cum spe magna magnus est conjunctus timor. Quippe non defuturos putavimus, qui plus temeritatis eam rem habere, quam consilii, existimarent. Quo futurum videbatur, ut successu prospero careret institutum per se laudabile. Nunquam nos magis fefellit suspicio nostra, &, omnia auspicato nobis evenire, postea intelligentes, ipsi damnavimus illiberalem timorem nostrum. Lubentes id nunc fatemur, postquam eo res pervenit, ut inimicum nobis sciamus neminem. Nam, quæ subinde procax invidia, aut lucri, eheu quam incerti! cupiditas in nos tentavit, ea aut nihil ad Te pertinent, cum ingenuis agere ingenue edoctum, aut verbis querulis hic commemorari, Tua parum interest. Nunquam a Tuis oculis nostros deflexímus, &, quo vultu acceperis has portiones menstruas, scimus certo satis. Neque ita stulte amantes nostri sumus, ut, cui non laudemur effusissime, is nobis pro manifesto hoste sit. Tolerari, non laudari, cupimus, & recte sentientium amica monita quibusvis præconiis habentur nobis cariora longe. Magis nobis commoda Tua & incre-

Digitized by Google

incrementa literarum curæ ſunt, quam noſtra gloria, & vituperari interdum, modo Tu doctior a nobis diſcedas, nos quidem volumus. Vera hæc nobis dici, Tu, ſi recte memineris ſcriptorum nuper in Gallos quosdam, ipſe noſti. Eam gentem ſi partim ingenii, partim in univerſam doctrinam meritorum laude inferiorem nulli dicis, refragantem ex ordine noſtro habes neminem, quin, plurima ex his, quæ ſunt in Annalibus noſtris præclara & egregia, a Gallorum doctrina mutuari decus ſuum, inſpicienti cuilibet apparet. Quod vero in medio eorum conſortio haud ita pridem Viri exſtitere, ceteroquin doctiſſimi, ſed veteri Latio reddituri nunquam dignitatem priſtinam, qui Gallice loqui Scriptores Græcos & Romanos docerent perquam invitos, obtruderentque nobis Cicerones novos, vix dignos tam illuſtri nomine, & lineamentis ſuis a veteri elegantia alienos multum, id quidem nos, qui partim ſalvam eſſe incolumemque cupimus Gallorum gloriam, partim priſcæ eloquentiæ Magiſtros reverenter colimus, turpiſſimam minimeque tolerandam rem putamus. Ne itaque latius ſerperet malum nondum nimis inveteratum, nec impune

pune ſævire in maximorum Virorum oſſa pergerent homines inelegantes & in commune bonum intenti parum; acerbe quædam ſubinde diximus in ignobile hoc vulgus interpretum, & juventutem, nimis interdum credulam, cavere ab his Scriptorum veterum portentis juſſimus. Neque nunc nos pœnitet rigoris noſtri, dum propitiæ nobis Muſæ fuerint, fortiſſimis telis impugnaturos effœtum monſtrum, barbariem. Et, ſi nolint illi, quicunque ſunt, reſipiſcere a nobis moniti, &, ut deſinant perniciem meditari literarum, difficile a ſe poſſint impetrare, id certiſſime futurum ominamur, ut & noſtris, & univerſi, qua patet, orbis eruditi riſibus excepti, juſtas olim indigniſſimi laboris ſui pœnas luant. Tu vero, ſi Te ipſum amas, bone Lector, ſi rectæ doctrinæ ſtudes, & doceri hanc cupis ſerio, non potes non a noſtris ſtare partibus, & fructum aliquem expectare candoris noſtri. Ita nos comparatos noſti, ut integram per nos ſuam cuique famam velimus, & maximorum errorum facillime a nobis impetretur venia. Perdi enim facilius, quam reparari poſſe boni viri exiſtimationem, arbitramur. Nec raro conatum laudavimus, ubi res ipſa laudari non potuit. Multum in eo diſſimiles aliis, qui, ſcriptoribus inſul-

)(*tan-*

tantes laudatissimis, &, si quid boni est in libro, id de industria tacentes, de maculis levissimis magnos clamores excitant, carpuntque omnia, utcunque obvia, tantum ut id posse videantur. Vitio creati judices, &, ut mitioribus sententiis assuescant, coercendi lege publica. Detestamur nos morosissimum hoc genus hominum, & rusticam hanc insolentiam minime omnium ferendam inter eruditos credimus. Absit tamen a nobis, ut lenitatem nostram detrimento esse patiamur bonis literis. Non, quem inimicum Musæ habent, hunc nobis amicum agnoscimus. Nec id a nobis quisquam expectet, ut proditores simus stationis nostræ, &, quos non puduit a melioris doctrinæ studiosis sejungere se longius, his blandiamur multum, velut de literis & nobis ipsis præclare meritis. Actum est de nobis, perdidimusque famam nostram, si in manifestis aliquando studiis partium deprehendamur, & deceptum Te, Lector, commendatione nostra querare. Quam olim majores nostri scribendorum sibi normam præscripsere, ne vel his, quibus nostra hæc leguntur, vel ipsis librorum Autoribus per ipsos unquam fieret injuria, ejus & in posterum memores nos semper tenacesque fore, religiosissime spondemus, &, si ita vis, juramus. Ceterum, si qui

ſorte ſint, qui, alia omnia in his noſtris Annalibus probantes facile, id unum moleſte ferant, non ita per hunc annum, ſicut olim, brevitati nos ſtuduiſſe in recenſendis libris novis, neque adeo congeſtum in hoc Volumen eſſe numerum librorum tantum, quantum tulerint ſuperiorum temporum Volumina, hi, quo conſilio id factum ſit, a nobis, rogamus, benevole & fronte placida accipiant. Quod librorum novorum inſatiabili cupiditate teneris, & varietate inprimis delectaris, id non ſolum non improbamus, ſed laudamus etiam. Convertimusque nos huc ſemper curam noſtram, & ſumtus non exiguos impendimus, ut librorum, ſi fieri id poſſet, non ſelectiſſimorum tantum, ſed omnium ac ſingulorum, per nos acquireres notitiam. Et, ſupellectilis librariæ penuria nos premi, vix ſibi perſuaſerit, qui meminerit adhuc eorum, quæ de libris ex Luſitania, Anglia, Italia & Gallia advectis ipſo hoc Anno nos ſubinde diximus. In quibus nullus eſt, qui non in Actis *noſtris locum habiturus ſit quam proxime. Sed malumus abdicare nos munere noſtro, quam committere, ut in obeundo eo verſati dicamur negligenter nimis. Id quod nemo non videt futurum certiſſime, ſi de numero magis, quam pretio librorum cogitemus. Horum ut præſtantiores ſunt alii aliis, & copioſio-*

rem

Digitized by Google

rem dicendi materiam suppeditant, ita nec, quæ dicuntur a nobis, eadem omnium esse mensura potest. Quo fit, ut sæpe nobis abstinendum sit a scribendo, vix dimidia librorum, quos destinavimus Tibi, absoluta parte. Id ipsi nos quodammodo judicantes incommodum, cœpimus deinde, ne gratiam novitatis amitterent, quæ essent in Museo nostro reliqua, de colligendis Supplementis cogitare, & in hæc conjicere, quicquid ipso Actorum *Opere exulare jusserat angustia paginarum. Et, probari Tibi vehementer hoc consilium, postea apparuit. Effecimusque adeo, ut cum* Actorum *hoc ipso Volumine æquale curriculum confecerit* Supplementorum Tomus X; *ejusdemque industriæ plura specimina dabimus in posterum. Unum superest, quod Te volumus, amice Lector. Meministi, nos promittere in Præfatiuncula,* Actorum Anno 1732 *præfixa, Observationum Mathematicarum, quæ passim continentur his Annalibus, Collectionem integram. Non id animo a nobis factum tunc deliberato satis, etsi Tui forsan nimis studioso, remque eam cum difficultatibus conjunctam esse nullo modo superandis, & Amicorum non spernenda monita, & res ipsa, postea nos docuere. Itaque, quæ tunc promisimus, jam quidem nos promissa no-*

nolumus, &, tale quid vix unquam proditurum, his ipſis literis ſignificamus, ne, quæ nulla ratione exſolvi a nobis poſſunt, fruſtra expectent ii, quibus intelleximus olim id operis maximopere deſiderari. Denique, cum eorum inde ab aliquo tempore non pauci fuerint, qui, iteratis ſæpius petitis noſtris facturi ſatis, ſponte ad nos miſerunt libros recens a ſe editos, futuros nobis ſemper in cariſſimi loco muneris, his, Viris optimis noſtrique amantiſſimis, interprete Friderico Ottone Menckenio, *J. U. D. gratum animum profitemur publice, & viciſſim noſtra pollicemur ſtudia, certosque eſſe jubemus, id nos cumprimis daturos operam, ut ſuæ liberalitatis largiſſimus in ipſos redundare fructus posſit.*

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Januarii Anno MDCCXXXIII.

IMPERATORUM ROMANORUM NUmismata a Pompejo Magno ad Heraclium, ab ADOLPHO OCCONE olim congesta, Augustorum Iconibus, perpetuis Historico-Chronologicis Notis, pluribusque Additamentis jam illustrata a FRANCISCO MEDIOBARBO BIRAGO, S. R. I. Comite, & Regiæ Civitatis Papiæ Decurione. Nunc vero ab innumeris mendis expurgata ac Sac. Cæsareæ & Reg. Catholicæ Majestati invictissimi & clementissimi Caroli VI Rom. Imp. semper Augusti exhibita, Additionibus usque hac desideratis, Criticisque Observationibus exornata, curante PHILIPPO ARGELATO, Bononiensi.

Mediolani, ex ædibus Societatis Palatinæ, 1730, fol. Alph. 6 pl. 18.

REi numariæ studiosos, pro suo in literas atque antiquitatum cumprimis studia, quo longe maximo flagrat, amore, non minus jam nova, eaque emendatiori & auctiori, *Mediobarbi* editione devincire sibi Clariss. *Argelatus* cœpit, quam patriæ historiæ amantes editis tot rerum Italicarum, qui præcipuum spectatissimis quibusque Bibliothecis hodie decus afferunt, Voluminibus obstrinxit. Jam pridem libri optimi, ante hos quinquaginta annos primum in lucem editi, exempla in tabernis librariis desiderabantur, quæ auspiciis & cura laudatissi-

 datissi-

datiſſimi Viri denuo jam excuſa typis proſtant, idque eo habitu, qui & allicere emtores poſſit, quorum manibus prima editio jam pridem teritur. Nam etſi, quod ſtudio factum a Cl. Editore, folia novæ hujus editionis priſtinæ ita reſpondent, ut aucta & emendata magnopere vix poſſit videri, fieri tamen non poteſt, quin multis eam ſuperet modis, quando indefeſſæ Cl. *Argelati*, quam poſt tot edita Volumina nemo ignorat, diligentiæ debetur; qui talem laudabili conſilio exhibere eſt aggreſſus, qualem ipſe Autor, ſi diutius fuiſſet in vivis, ſecundis curis paraſſet. Eam ob cauſam jam ab initio hujus inſtituti ſui ante omnia codicem *Mediobarbi* patris, in quo filii ſui, *Jo. Antonii Mediobarbi*, calamo uſus, plura ipſe vel correxit, vel addidit, in ſubſidium duxerat vocandum, tum & opem haud exiguam ſibi ab exemplari *Henrionii*, Galli, Regiæ quondam bonarum literarum Academiæ adſcripti, cui ſuas ille obſervationes adjecit, item a celeberrimi *Jo. Maſſonii* animadverſionibus ſpoponderat. Sed, prouti has nullis impetrare precibus licuit, tametſi diu multumque efflagitatas, ita & in duobus, quæ tantum momenti ad curatiorem editionem parandam allatura videbantur, hujus Operis exemplis, *Mediobarbi* nempe ipſius altero, altero *Henrionii*, quorum illud Illuſtriſſimus Comes *Pertuſatus* ex Bibliotheca ſua communicavit, hoc *Henrionii* heredes petenti conceſſere, ſpem ſuam magna ex parte deluſam ingenue fatetur. Neque enim illis aliud fere adjectum cerni, quam uberiorem numiſmatum copiam, in *Henrionii* vero exemplo etiam admiſceri luce vix digna, eundemque & ſub initium æreos nummos pro magnitudinis diverſa ratione diſtinguere ab invicem conatum, mox conſilium hoc, difficultatis quippe pleniſſimum & vix perficiendum niſi ab eo, qui longa peregrinatione Muſea perreptaverit omnia, mutata ſententia abjeciſſe. Itaque, ut lectoris expectationi, quoad ejus fieri poſſet, nihilominus ſatisfaceret Cl. *Argelatus*, in nova hac editione primo mendas typographorum ſuſtulit cum eas, quas ipſe jam *Mediobarbus* notavit, tum alias innumeras, ei neglectas. Dein, cum vel maxime inquirendum eſſet, tametſi id prætermiſſum a *Mediobarbo* filio pariter & *Hen-*

Digitized by Google

Henrionio, an in Conſulatuum ratione ac nominibus Conſulum Autor a vero aberraverit, an Imperatoribus aliquando alienos tribuerit nummos, an ſinceris adulterinos admiſcuerit, an in rebus geſtis Imperatorum deſcribendis, in decennalium item enumeratione ac tempore, quo Cæſares vel Auguſti appellati, quove ad imperium evecti & vita functi, aſſignando nonnunquam dormitaverit, ut ne deſiderari aliquid ea ex parte in nova hac editione poſſet, augendo ceteroqui numiſmatum numero, niſi quæ ex calce prioris editionis & exemplo filii *Mediobarbi* huc translata ſunt, non intentus, ſtudioſe perfecit. Precibus enim ſuis, ut eam ſibi provinciam mandari pateretur, adduxit clariſſimum virum, *Franciſcum Mariam Biaccam*, *Vindiciis Flavii Joſephi* nomen in hoc ſtudiorum genere apud cives ſuos adeptum, qui notis ac ſtricturis doctisſimis Opus hoc *Mediobarbi* velut gemmulis atque unionibus diſtinxit. Is ille igitur, ubi Conſules, quibus novi Imperatores creati, minus recte indicavit *Mediobarbus*, ubi vera eorum nomina neglexit, vel ſuis eos annis, quibus magiſtratum reapſe geſſerunt, non adſcripſit, ſolicite id obſervavit, *Goltzium* & *Panvinium*, ſed non ſine examine prævio, ac, ſi rectiora monuiſſent, *Petavium*, *Pagium*, *Noriſium*, *Tillemontium*, ſecutus, quorum autoritate Conſulatus omnes, tribunitias poteſtates, Cæſarum & Auguſtorum appellationes, geſtorum ordinem, decennalia, inaugurationes & tempora obitus, ubi opus fuerat, correxit, prout & *Spanhemium*, *Vaillantium*, *Patinum*, ceterosque rei numariæ arbitros, conſuluit, ut tolleret errores, quos admiſit *Mediobarbus* ſive in deſcribendis nummis, ſive in loco iis congruo tribuendo, ſive in fictitiis & ſpuriis in genuinorum numerum referendis. Ut vero Lector de editione nova hac *Mediobarbi* judicium ferre tutius poſſit, non contenti generali hoc judicio, ex docta Cl. *Argelati* Præfatione, quæ ſplendidæ Dedicationi invictiſſimo Imperatori Carolo VI ſacræ ſubjuncta eſt, potiſſimum hauſto, ad ipſam paulo propius inſpiciendam pergemus. Quod igitur ad Pompejum magnum, unde orditur *Mediobarbus*, attinet, nihil & hic novi acceſſit, p. 2. niſi quod ad A. 699 notatur, M. Licinium Craſſum II Coſ. eo

 anno

anno fuiſſe; in veteri editione idem Craſſus ad hunc annum
Conſul reperitur, ſed abeſt nota numeri II, index Conſulatus
B. 5. ejus ſecundi. Julio Cæſari addita eſt nota ex emendandis veteris editionis, qua *Mediobarbus* fatetur, male ſe A. Hirtium
ad A.U. 708 inter præfectos urbis retuliſſe ex nummo aureo &
argenteo, quo PR. appellatur, quando literæ hæ Præturam ejus
9. deſignant. Hanc notam ſequuntur duæ obſervatiunculæ, ex
Vaillantio depromtæ, de nummis Valentiæ, quam urbem Hiſpanicam ille interpretatur, Romam contra *Mediobarbus*, itemque de nummis, in quibus literæ C. I. V. quæ *Vaillantio* rurſus Colonia Julia Valentia, *Mediobarbo* eas de Colonia Julia
4. Victrice explicante. Mirum vero, a diligentiſſimo Editore
non ſublatum errorem, quo A. U. 705 cum anno ante Chriſtum natum 45 conjungitur, pro quo A. 48 ſcribendus erat,
ut ſilentio prætereamus minora alia ſphalmata, quæ novæ edi-
5. tioni nonnunquam irrepſere, ut, quando pro verbis, *ſive potus ſive cibus continuo naſceretur*, ut recte legitur in veteri edi-
11. tione, in nova excuſum eſt: *ſive potus, ſive civibus continuo naſceretur*. Ad Lepidum IIIvirum pergimus, ubi in nova editione ad A.U. 712, converſis Conſulum nominibus, legitur: *M.*
12. *Æmilius Lepidus II L. Munatius Plancus*, cum in veteri editione Plancus Lepido præponeretur. Ad A. 714 *Domitius Calvinius* & *Aſinius Pollio* Conſules in veteri editione reperiuntur, ubi jam *Mediobarbus* in emendandis *Domitius Calvinus*
legendum monuit. Sed in nota, novæ editioni ſubjecta, ad-
ead. ditis prænominibus *Cn. Domitius Calvinus II* & *C. Aſinius Pollio* ex *Idatio* & *Pagio* laudantur. Eam obſervatiunculam alia
excipit, ex *Mediobarbi* emendandis deſumta, de porticu Pauli,
quam refectam a M. Æmilio Lepido IIIviro *Mediobarbus* crediderat, donec ex *Noriſii Cenotaphiis Piſanis*, a nepote trium-
13. viri demum A. 759 factum id eſſe intelligeret. Sextum Pompejum, in quo A. 716 Conſulum alteri *Norbano Flacco* prænomen C. reſtitutum in nova hac editione, M. Antonius IIIvir
14. ſequitur, ubi ad A. 711 conſulibus ſuffectis Octaviano Cæſari &
Pedio ordinarios C. *Vibium Panſam* & *A. Hirtium* præiviſſe,
Octavianum autem Cæſarem una cum collega Q. Pedio a. d.
XIII Cal.

Digitized by Google

XIII Cal. Octobr. Conſulatum primum atque adeo ex ſententia quorundam imperium cepiſſe, ex *Pagio* ſubnotatur. Ad A. 714 Conſules *Domitius Calvinus* & *Aſinius Pollio* recurrunt. De iis ſubjecta notula ad ſuperius obſervata lectorem ablegat, quibus addi prænomina, quæ una deſunt, rectius fortaſſe poterant, prout addita reperiuntur, quibus editio vetus caret, ad A. 716, in cujus anni Calendas Januarias æræ Hiſpanicæ initium, quod in nova hac editione additur, incidit, itemque ad A. 718, ad quem de nummo C. Fonteji Capitonis notatur, vel numerum III non eſſe in eo, vel forſan: IIIVIR R. PC. Ad A. 722 Conſules in veteri editione reperiuntur *Domitius Ænobarbus* & *C. Soſius*, perinde ut inſequenti anno C. Julius Cæſar Octavianus III & Meſſala Corvinus, ubi mirum, in nova editione neque Domitio Cn neque Meſſalæ M. prænomen additum reperiri, cui poſteriori & gentile Valerii nomen addi ex æquo poterat. Sub Auguſto, præter addita aliquot Conſulum prænomina & notam de *A. Terentii Varronis* Conſulis, antequam magiſtratum iniret, morte, ſuffectoque ei *Cn. Calpurnio Piſone*, nihil editioni huic acceſſit, niſi novi aliquot nummi, & quæ ex emendandis, veteri editioni præfixis, vel correxit Cl. Editor vel tranſtulit; cujusmodi eſt obſervatio de nummo C. Marii Pro III Viri cum tribus capitibus C. & L. Cæſarum & matris Juliæ, quem ad A. 733 retulerat *Mediobarbus*, ſed, curatius expenſa re, ad A. 748 referendum eſſe agnoſcit. Mira videri poſſit penuria novarum obſervationum in Imperatore, qui tot annos regnavit, cujus Imperii anno XIV, qui ad A. 750 C. Calviſio Sabino Coſ. adjungitur collega, non dictus eſt *C. Paſſienus Criſpus*, ſed *Rufus*, vel, ut habet *Sulpitius Severus*, *Rufinus*. Sed a Tiberii inde Imperio Cl. Viri, *Franciſci Mariæ Biaccæ*, cura haud paulo clarius elucet, quem ſub hoc Imperatore demum in partem operis vocatum eſſe haud vana conjectura colligas ex obſervationum Chronologicarum farragine, quæ haud paulo uberior jam adjecta cernitur, ſed de quibus ex ipſo Opere Lectores, quorum patientia abuti jam tum videbimur fortaſſe, rectius judicabunt. Inde facile perſpicient, an ſuperatæ ſint omni ex parte difficultates, quibus laborat Chronologico ordine num-

p. 15. 17. 18. 19 ſq. 31. 33.

mos diſponendi ratio, an ſublati undique errores, quibus abreptus aliis impoſuit *Mediobarbus*, cum *Occonis* tum aliorum diligentia ſecure contentus nonnunquam, ubi accuratiori examine opus erat, nonnunquam eidem præter rationem diffiſus, aliis mutatis perperam, aliis prætermiſſis, quæ non parum ad temporum rationes conſtituendas momenti trahebant. Ita, ut exemplo uno, quod ad poſterius attinet, utamur, omiſit *Me-*
p. 170. *diobarbus Occonianum* nummum, in quo: *Imp. Domit. Aug. P. M. Coſ. II*, quod falſum arbitraretur, neſcius, Conſulatum hic ordinarium intelligendum eſſe, prætermiſſis ſuffectis, quos an-
id. 171. te, quam fratri ſucceſſit Tito, Domitianus geſſit. Atque eandem ob cauſam ei alius neglectus, in quo: *Imp. Cæſar Domitianus Aul. P. M. Tr. P. Coſ. VI*, itemque alius, cujus inſcriptio: *Imp. Comit. Cæſ. Divi Veſp. Aug. P. P. M. Tr. P. Coſ. VI.* De quibus quidem aliisve nummis nihil in nova hac editione monitum, quod augendorum numismatum numero de induſtria inſudare nollet Cl. Editor, qui liberalius in Numismata Græca & Romanos Faſtos, quorum utrumque ſe editurum receperat *Mediobarbus*, operam contuliſſet, niſi ſchedas, quibus Operum ſuorum fundamenta jecerat vir celeberrimus, tam inconditas turbataſque inveniſſet, ut ſpem eorum unquam edendorum omnem omnino abjecerit. Ceteroqui Lectores Viro clariſſimo haud parum ſe obſtrictos fatebuntur imagine longe pulcherrima *Mediobarbi*, huic editioni præmiſſa, haud paulo plus ei debituri, ſi iconi curatiorem biographiam ſubjungiſſet.

HISTORIA LEOPOLDI MAGNI, CÆSAris Auguſti; Autore FRANCISCO WAGNER, Societ. Jeſu Sacerdote.

Pars II.

Auguſtæ Vindel. ſumtibus Martini Happach & Franc. Xav. Schlüter, 1731, fol.

Alph. 8 pl. 18.

Cum

Digitized by Google

CUm primam hujus Operis Partem, A. 1719 editam, in *Actis Anni 1720 M. Mart. p. 79* recenseremus, non dissimulavimus, perplacuisse nobis institutum Autoris Rev. &, quid e libro disci posset, aliquot speciminibus docuimus. Neque est, quod in altera hac Parte, in qua historiam Leopoldi ab A. 1687 ad diem ejus emortualem, quæ fuit d. 5 Maji anni 1704, deduxit, valde desideremus, nisi quod dolemus, curam correcturæ negligentiorem adhibitam, ut Autor necesse habuerit ingentem erratorum, quanquam non omnium, syllabum addere, ad quem in Opere passim recurrendum. Nunc ex multis, quæ notari ex hac Parte merentur, hoc unicum notamus, quod de Dünewaldo affert, eum a multis secreti in Badensem odii fuisse accusatum, unde & A. 1690 in pugna ad Salankemum sinistrum cornu paulo lentius in auxilium adduxisse Badensi, sæpiusque in hæc verba erupisse dicitur: *A Sene Juvenis bellum gerere disceret*, &, quamvis vepres & dumeta, quæ in via erant, non tam facile superari potuisse Noster ostendat, tamen mox Viennam festinasse Dünewaldum, probat, ut se a multis contumeliis purgaret, sed in eadem, quam conscenderat, navi Essekini mox mortuum, unde quibusdam fuerit suspicio, eum ad prævertendum judicium hausto toxico se ipsum peremisse. At, cum omnino lectu digna sint, quæ Autor, postquam mortem Leopoldi eleganter descripsit, de ejus charactere ac moribus addidit, in gratiam Lectorum lubet eorum vel initium hic repetere: *Ut porro, quo domicilio mens tanta habitarit, paucis commemorem, humili potius, quam mediocri, statura erat, membris apte conformatis, sed gracilibus admodum, & postremo senio invalidis. Frons nihilominus ad exterorum Legatorum admirationem majestatis plena, nec gaudio solutior unquam, nec tristitia contractior; oculus acer licet, & vividus, vitro tamen etiam ad propinqua contuenda assuetus. Labia, quod Austriacis proprium volunt, admodum extantia; barba veteri germano more supra labium retorta, & in medio mento barbula. Vox gravis, &, nisi de industria intelligi nollet, articulata. Habitus ratio fere ad Burgundici moduli vetustatem, quodque multis peregrinum, sæpe tunica diversi*

p. 186.

790 sq.

diversi coloris manicis. Primam juventutem literis, quodque literarum genus infimum est, linguis addiscendis naviter coluit. Hispanicam, consanguineæ nempe gentis, qua plurimum delectabatur, nec minus Gallicam, tenebat, quanquam hac uteretur perraro, nec æque ferret, aulicos hostium linguam usurpare, ad quam mores, item & studia, se flectere soleant. Italica nempe Romanorum Imperatori familiaris erat, ac prope domestica. Latina vero & epistolas sciribere, & alloquentibus prompte respondere amabat; quod in orationibus, aut poematis, barbarum, vel impolitum, acutus censor summo judicio notabat; anagrammatico etiam lusu tempus fallere solitus. Princeps autem adeo literatus, ut multis seculis fortasse pauci, characteres pingebat tam informes, ut Oedipo fere opus esset, ac interprete, &, qui foris erant Legati, Principis mentem ex arcanis cifris, quam literis scribentis, facilius assequerentur. Hanc tot linguarum peritiam admirabilis memoriæ felicitas alebat, qua prolixas etiam in Senatu disputationes redordiri a capite, causarumque allata momenta minutim retexere solebat; nomina eorum, ac merita, qui longe ab aula in Provinciis militaribus aut civilibus muneribus functi essent, vel a prima juventute retinebat fidelissime; notabatque in concionatore aulico, si quam ante plurimos jam annos dictam orationem iteraret.

Infinitas inter curas ac fastidia in lectitandis libris levamentum dulcissimum posuit, quos & in conclavi, & in itineribus, apud se habere voluit lectissimos. Adolescentior multas sæpe horas in Bibliotheca cum Lambecio literariis de rebus confabulari, Commentarios pervolvere, de novis scriptoribus judicium grave ferre solitus. Bibliothecam eandem cum Ambrosianis manuscriptis, tum pretio comparatis, Budam item tum Turcicam missis nequidquam conquisitoribus, augere studuit, &, quia loco incommodo, angusto, nec satis tuto erat sita, prope aulam magnis sumtibus fabricam a fundamentis extulit, intervenientibus deinde bellis quidem diu imperfectam, hodie tamen a Carolo Imperatore, bonarum literarum instauratore maximo, publicis usibus, ea magnificentia & splen-

ſplendore exædificatam, ut ſtructuræ elegantia in Europa parem nullam, librorum vero & multitudine & præſtantia paucas æquales habeat. Ejus auſpiciis præter alias per Germaniam Olomucenſis, Oenipontana, Vratislavienſis, Univerſitates ſurrexere; celebria item tria Academicorum Collegia, Naturæ Curioſorum, Imperiale Hiſtoricorum, & Artis Conſultorum, quæ tamen ob temporum difficultates haudquaquam in eam maturitatem & ſplendorem adolevere, quem Germanicæ genti ad exterorum invidiam conciliare poterant. Pictoriæ, Encauſticæ, Mechanicæ, Technicæ, quin & Empyricæ, artium magiſtris magnus ab eo honos, ſtipendia, aurati torques. Etſi in illa bellorum aſſiduitate atque nativa modeſtia ab ædificandis hortis ſeu palatiis cohiberetur, Vienna tamen ſub ejus Imperio altera fere ſui parte auctior ac propemodum e lutea marmorea evaſit. Præ ceteris Muſicæ fuit impenſiſſime deditus, nec aliud diverticulum ſuavius habuit, atque accinenti Auguſtæ, vel Archiducum cuipiam, clavicymbala admodulari; artis non modo gnarus, ſed cui & inter magiſtros locus eſſet, ſacros hymnos ipſe concinnavit bene multos, qui hodiedum in aulico ſacello decantantur, gravi ſtylo & ſtatario, Auguſti Poetæ imaginem referente. In deligendis Muſicis, qui voce vel organis canerent, id diſcrimen adhibebatur, ut ſcriberet quiſpiam, ſi in replendis tribunalibus omnibus par felicitas fuiſſet, Viennam & virtutis & ſapientiæ theatrum futuram. Qui Capellæ, quam vocant, præfuere, Bertallius, Kerlius, Sanceſius, magna ſunt in regno Muſico nomina, Athanaſii *item* Kircheri *cum Muſurgicos, tum ceteros egregios conatus magnam partem Auguſtæ largitiones provexere. Scenicos ludos in prima adoleſcentia, ac Portia Principe Prætorii Præfecto dedit eo apparatu, ut multis ſeculis nihil ſimile. Centum & amplius imperialium millia in unam fabulam conjecta conſtat. Quin ne Academicis quidem theatri exercitationibus, etſi perquam prolixis, adeſſe dedignabatur. Alterum, quo curarum tædia falleret, Regiæ & humaniſſimæ oblectationis genus erat venatus: quo Viennæ Cæſares tam propinquo, tamque multiplici, utuntur, ut nemo Europæ Principum æque. Stata erant tempora, queis apros, cervos, lepo-*

res, ursos, sectaretur, tum falconum pugnis aeriis mirifice capiebatur. Universim tamen his scientiarum, ludorum, venatus, honestissimis deliciis haudquaquam ita se permittebat, ac ut vires assidua, qua regimini vacabat, contentione exhaustas colligeret identidem, neque oneri in medio cursu succumberet, revera si quisquam ea ætate Principum longe laboriosissimus.

LA VIE DE MAHOMET.

i. e.

VITA MOHAMMETI, EX ALCORANO, comprobatis Sonnæ traditionibus optimisque Arabum Autoribus, transscripta & compilata a JOANNE GAGNIER, Professore linguarum Orientalium in Academia Oxoniensi.

Amstelodami, apud Wetsteinios & Smith, 1732, 12 maj. Alph. 1 pl. 13, except. Præf. & Introd. Tab. æn. 3.

M*Obammeti*, maximi omnium, quos terra tulit, stupuit, horruit, sive impostoris, sive enthusiastæ, sive prædonis, sive ducis bellici, *Vitæ Historia*, qua Cl. *Gagnerius* orbem literatum nuper donavit, alia commendatione vix indiget, præter celeberrimum Autoris nomen, qui tanta Orientalium linguarum, tanta Arabicæ historiæ scientia dudum inclaruit, ut ægre parem inveniat. Edidit jam *Mohammeti* vitam latine scriptam A. 1723, sed in gratiam amicorum aliorumque, qui & Latinæ & Arabicæ linguæ non adeo gnaros se esse fatebantur, ut utramque sine hæsitatione legerent, eandem aliquot abhinc annis Gallice retractatam doctissimo *Clerico* in manus tradidit, qui eam bibliopolis & typographis Amstelodamensibus longe famigeratissimis, *Wetsteiniis Smithio*que, ut prelo subjiceretur, commiserat; cum, nescio quis, *Codercus*, Londinensis librorum mercator, per literas *Gagnerio* renunciaret, *incidisse in manus suas Vitam Mohammeti a Comite de* Boulainvilliers *incboatam quidem, sed non absolutam, quod Autor morte præventus Historiam herois sui ultra annum quintum vel sextum Vocationis ejus perducere haud potuerit: interim hoc Opus, ut cetera Comitis istius, perleganter scriptum, ob intertextas historiæ filo meditationes politicas,*

audaces pariter atque novas, omnibus procul dubio fore gratiſſimum, ſi divulgetur; modo eſſet perfectum: huic rei conficiendæ neminem ſe magis noſſe idoneum magisve aptum Gagnerio, *quem & literarum Arabicarum callentiſſimum eſſe, & Vitam Pſeudoprophetæ Gallice jam elaboraſſe, perceperit.* Reſpondet *Gagnerius: Equidem non fefelliſſe* Codercum, *qui de vita Mohammeti quædam Gallice a ſe conſcripta eſſe detulerint. Verum ea cum in nuda narratione eventuum iſtius Hiſtoriæ conſiſtant, nullis omnino admixtis conſiderationibus politicis, quibus Comitis de* Boulainvilliers *ſcriptum abundare dicatur, fieri non poſſe, ut hoc Opus, niſi præ oculis habeat, rite queat abſolvere. Mittat ergo, ſi velit, MS. quo facto, ſe, ut deſiderio ejus ſatisfaciat, anniſurum.* At horum nihil effectum eſt; ſed vita *Mohammeti* Autore Comite de *Boulainvilliers*, magna feſtinatione typis expreſſa, Londini A. 1730 comparuit. Cauſam hujus rei Autor noſter in Præfatione hanc reddit: *Videntes me Autographi communicationem poſtulare, diffiſi ſunt, & merito quidem, me ſecuturum conſilium tam temere conceptum, tam commentitium, impium & in religionem Chriſtianam injurium. Profecto enim tantum abeſt, ut ad hoc opus tenebrarum in lucem protrahendum tantillum operæ contuliſſe velim; ut potius, poſt primam ejus lectionem* Coderco *ſuaſiſſem, ne monſtrum hoc poſthumum ſuſciperet, ſed in ipſis potius cunabulis præfocaret: declaraſſem ſimul, optimam rationem librum iſtum in lucem edendi hanc fore, ſi in conſpicuas flammas conjiciatur; certe combuſti ſunt alii minus improbi.* Cetero omni hac Præfatione, quæ per paginas quadraginta duas excurrit, hoc agitur, ut demonſtretur, librum de Vita *Mahommeti*, qui Comiti *de Boulainvilliers*, ſive jure, ſive injuria, adſcribitur, ex fontibus turbidis hauſtum, fabuloſis fictisque narrationibus refertum, impium denique & ſceleratum eſſe. Circa finem tamen Autor admonet, pleroſque Vitæ *Mahommeti* ſcriptores, *Maraccium* etiam & *Pridaum*, omne conviciorum genus in Pſeudo-Apoſtolum hunc conjeciſſe, ut redderent inviſum omnibus & exoſum, ſæpe quoque ob res maxime innoxias criminis eundem poſtulaſſe: contra Comitem *de Boulainvilliers*, immoderate laudando impoſtorem, fines

 exce-

Digitized by Google

excedere ſanæ rationis: ſe igitur conſtituiſſe in medio ſubſiſtere, & neutri faventem parti, libere judicandi facultatem æquo lectori relinquere.

Sic ſatis de Præfatione: jam libri ipſius conſpectum demus. Præmittitur autem tractationi *Introductio* ſane utilis, eaque in Partes duas ſecatur, quarum illa de origine *Arabum*, hæc de *Genealogia Mohammeti*, agit. Reliquum Opus omne in Tomos duos diſpeſcitur, qui ſeptem libros complectuntur. Liber I a nativitate *Mohammeti* incipit, ejusque infantiam & juventutem, itinera, matrimonium primum, miſſionem, perſecutiones, fugam priorem, apparitiones Angeli Gabrielis, aliaque miracula & prodigia, quæ ipſi contigiſſe creduntur, usque ad converſionem *Cazregjitarum* ad religionem *Mohammetanam*, Capitibus 22 deſcribit. Liber II narratione *itineris nocturni*, quod *Mohammetus* Mecka Hieroſolymas & inde usque ad ſeptimum cœlum & thronum Dei feciſſe fertur, pene abſolvitur; niſi quod de ulteriori progreſſu cultus *Mohammetani* & de fuga altera Pſeudoprophetæ quædam ſubnectuntur. Liber autem hic ſecundus Capita 17 continet. Liber III introitum *Mohammeti* in urbem *Medinam* & inſtitutionem cultus atque cerimoniarum novæ ejus religionis, tum varia bella, contra *Koraishitas*, *Judæos*, *Aſaditas*, *Arabas*que, ab eo geſta, Capitibus 12 enarrat. Liber IV, qui ultimus eſt Tomi prioris, 8 Capita exhibet, in quibus hiſtoria quarundam expeditionum militarium, nec non uxorum aliquot, quas duxit *Mohammetus*, percenſetur. Libro V ſive primo Tomi II per 12 Capita agitur de ſomniis, viſionibus & inauguratione voluntaria Pſeud-Apoſtoli, de pace, quam cum *Koraishitis* iniit, de viſitationibus locorum ſanctorum, ab ipſo inſtitutis, de faſcino & veneficiis, quibus affectus fuit, de legatis, ab eo ad Principes terrarum emiſſis, de crimine fornicationis ab eodem commiſſo, de pugna demum apud *Mutam* contra Chriſtianos Græcos, Imperatoris Heraclii ſubditos. Libro VI in Capitibus 20 narratur, quomodo *Mohammetus*, *Mecka* recuperata, idola deſtruxerit, templa eorum everterit, bella geſſerit contra infideles, urbesque eorum oppugnaverit; quibus adduntur ſingularia quædam de cerimoniis ritibusque nonnullis, ab eo

novi-

noviter inſtitutis, nec non de rebus geſtis per legatos, vicarios & amicos ipſius, tandem de morbo noviſſimo, obitu & ſepultura Pſeudoprophetæ. Libro denique VII & ultimo 21 Capitibus notabilia multa referuntur, de *Mohammeti* ſtatura & forma corporis, ingenio & moribus, liberis, uxoribus, ſociis comitibus, amicis, familiaribus, miniſtris domeſticis, ſervis, libertis, præfectis provinciarum, ſcribis, judicibus, equis, mulis, camelis & reliquo pecore, gladiis, arcubus, pharetris, loricis, clypeis, galeis, haſtis & baculis, inſignibus, variis prærogativis, cum perſonæ, tum familiæ ipſius, tandem etiam de modo inviſendi ſepulchrum Pſeudoprophetæ, de nobilitate & excellentia urbis *Medinæ*, quam habitavit, nec non de ſingulari cognitione artis medendi, qua polluiſſe dicitur.

Hæc fere ſunt, quæ libro noſtro continentur, etſi ſingula attingere brevitatis ſtudium vetuit. De pretio, merito & virtutibus hujus Operis, qui legent, ipſi judicabunt. Illud nos aſſerere poſſumus, ſcriptionem Cl. *Gagnerii* eſſe nitidam & elegantem, ipſa etiam narrationum ſimplicitate, ad morem Orientalium accommodata, placere. De ſuo nihil addit Cl. Autor, ſed omnia ipſis *Alcorani*, *Sonnæ*, ſive traditionis avthenticæ, & Autorum *Mohammetanorum*, verbis recenſet: unde venerabilis *Apoſtoli Dei* titulus, quo *Mohammetus* ubivis inſignitur, magna & fere divina ejus encomia, una cum ſeria deſcriptione miraculorum & prodigiorum, quæ perpetraſſe falſo perhibetur, primo intuitu, lectorem talium inſuetum offendere poſſe videntur. Nihilo tamen minus mala fides, vita impurior & crudelitas Pſeudoprophetæ ubique locorum tranſparent, ut adeo vel teſtibus domeſticis damnetur; cum, e contrario, ipſa hæc hiſtoria, verbis conceptis ardentiſſimorum cœtus *Mohammetani* Zelotarum relata, veritatem, ſanctitatem, & philanthropiam religionis Chriſtianæ magis confirmet. Ne exemplo res careat, lubet referre ſpeciminis loco, quomodo *Mohammetus Vocationem* ſuam manifeſtaverit. Irriſus plus vice ſimplici a ſuis, quod *Prophetam, Apoſtolum* & *Legatum Dei* ſeſe venditaret, convocaverat denuo cognatos, amicos & familiares, quibus comparentibus, ſic exorſus eſt: *Omnis Arabia neminem ſane hominem alit, qui tam excellentia bona vobis*

Tom. I p. 112 ſqq.

procreare valeat, quam quibus ego hodie vos beabo. Offero vobis felicitatem hujus mundi, æque atque vitæ futuræ. Deus altissimus ad se vos vocare me jussit. Quis ergo meus erit Vizirius, sive Vicarius & adjutor, in tanti momenti negotio? Quis laboris hujus & oneris partem in se suscipiet? Quis frater meus, quis nuncius, quis legatus erit? His dictis, obmutescere omnes, quotquot aderant, seque invicem respicere, nec, quid responsi darent, habere. Hæsitantibus cunctis, extemplo *Ali*, Mohammeti alumnus, exsurgit, *ego sum iste*, inquiens, *qui, quod jubes, efficiet. Quisquis ille erit, qui tibi semet opposuerit, væ capiti ejus! edentulum illum faciam, effodiam oculos, ventrem dilaniabo, crura confringam. Ego iste sum, o Propheta Dei! qui tuus ero Vizirius adversus incredulos quoscunque.* Tum vero Apostolus Dei, scilicet, in collum *Ali* se conjiciens, hominem molliter complexus, *ecce fratrem meum!* exclamat, *ecce nuncium! ecce legatum meum apud vos! huic morem gerite, huic obtemperate.* Hæc tam stolida, ut amicis etiam & propinquis *Mohammeti* cachinnum extorquerent, quantum eheu! differunt ab ista Christi beatissimi Salvatoris nostri mansuetudine, qua Petrum jussit ensem, quem pro defendendo Magistro nudaverat, in vaginam recondere. Longum foret, si singula factaque dictaque inepta, præstigia, imposturas, peccata gravissima, iniquitates, cædes, rapinas & desolationes, quorum *Mohammetus*, fatentibus suis, reus fuit, enarrare & cum divina sapientia, miraculis, simplicitate, sanctitate & humanitate Servatoris nostri conferre velimus. Sufficiunt, quæ huc usque in medium allata sunt, ad demonstrandam libri, de quo agimus, utilitatem: ex quo tamen & hoc discimus, *Mohammetum*, qualis qualis fuerit, cum magnis vitiis magnas virtutes conjunxisse, ut, si libidinem excipias, idem fere de eo prædicari possit, quod de *Siculo Dionysio* priore *Nepos* dixit: *& manu fortis & belli peritus fuit, &, id quod in tyranno non facile reperitur, minime libidinosus, non luxuriosus, non avarus, nullius denique rei cupidus, nisi singularis peculiarisque imperii*, adde, & superstitionis suæ per omnem terrarum orbem propagandæ, *ob eamque rem crudelis.*

MICHA-

Digitized by Google

MICHAELIS HOSPITALII, GALLIARUM CANcellarii, Carmina. Editio a prioribus diversa & auctior. Amstelodami, apud Balthasarem Lakeman, 1732, 8 maj. Alph. 1 pl. 10.

INter Poetas, qui felicissimo ingenio ætate nostra veteres Romanorum veneres ac suavitates carmine expressere, haud ultimum locum occupat *Michael Hispitalius*, Galliarum Cancellarius, magnum seculi sui ornamentum, & in poetica dicendi ratione vir prorsus admirabilis. Habent ejus Carmina id præ multis aliis singulare ac præcipuum, quod nativum maxime vigorem & ingenii mirum quoddam flumen præ se ferunt, atque in rebus explicatu difficillimis incredibilem facilitatem ostendunt. Quæ, a *Jac. Aug. Thuano*, *Scæv. Sammarthano*, & *Vido Fabro Puibracio*, in unum corpus collecta olim, & a *Michaele Huralto Hospitalio*, *Michaelis* nepote, A. 1585 Parisiis in officina Patissonii edita, & prelo postea Genevæ repetita, cum rarioris jam inter eruditos usus esse animadverteret *Petrus Vlamingius*, Vir doctissimus, & de *Sannazarii* Carminibus jam olim præclare meritus; ne carerent in posterum eruditi his Poetæ elegantis deliciis, laudabili instituto novam, eamque locupletiorem longe emendatioremque, horum Carminum editionem paravit. Jamque eam rem secum cogitans, opportuno tempore incidit in Codicem horum Carminum geminum, alterum in auctione librorum *Davidis Hoogstratani* coemtum, alterum, quo & ipse olim usus *Hoogstratanus* dicitur, in Bibliotheca exstantem illustris Viri, *Joannis de Witt*, illo altero longe scriptum emendatius. Quos cum diligenter inter se conferret, & suppleret alterum ex altero, re ipsa longe majorem, quam olim in lucem prodierat, Carminum *Hospitalii* extare numerum cognovit. Deditque nobis adeo & eorum, quæ olim lucem publicam aspexerant, & aliorum, quæ nove jam accesserunt, editionem nitidissimam. Sunt in his, quæ incerto autore olim circumlata, nonnullis viderentur sat manifesta habere vetustatis indicia, & a prisci Latii Poeta quodam crederentur condita. Qualis honor contigit Satyræ *de Lite*, in quam *M. Zuerius Boxhornius* exercuit manum criticam, scripsitque animadversiones, tales prorsus, quales *Juvenalis* forsan aut *Persius* merebatur. Et fatendum

utique, præterquam quod multa ſint in his Carminibus, unde hiſtoria illorum temporum clariſſimam lucem accipiat, ſingula hæc ingenio ſcripta admodum molli eſſe, nec quemquam fore, cui non jucunda ſit eorum lectio. Sed erunt forte, qui moleſtius ferant obvias paſſim in mediis carminibus lacunas, ita ſæpe comparatas, ut vix conjectura aſſequi ſenſum Poetæ poſſis. Sed ita in fatis fuit, ut, ignotum, cujus culpa, mutilata hæc ad poſteros venirent, olim in ſupplendis iſtis uſuros ingenio ſuo. Ceterum, qua ratione factum ſit, ut tanta optimorum *Hoſpitalii* Carminum copia potiretur *Hoogſtratanus*, ex cujus Codice hæc ſunt tranſcripta, & qui ipſe olim eorum editionem in animo habuit, ignorare ſe cum iis, qui familiariſſime uſi ſunt *Hoogſtratano*, fatetur Cl. *Vlamingius*. Magno is orbem eruditum ſibi beneficio obſtrinxit, quod pulcherrimas has venæ *Hoſpitalianæ* reliquias ab interitu, qui imminere iis videbatur, vindicavit feliciter, &, quorum lectio conjuncta eſt cum voluptate noſtra, ea nobiſcum communicavit liberaliter. Carminibus præmiſſa habes duo *Hoſpitalii* Elogia, alterum a *Scæv. Sammarthano*, alterum a *Theod. Beza* compoſitum, quibus ſubjuncta ſunt quædam in Poetam noſtrum Carmina, ea ipſa, quæ addita ſunt Genevenſi (Lugdunum mentitur titulus) horum Carminum Editioni. Tum libri VII *Epiſtolarum*, cum libello *Tumulorum*, & *Mantiſſa Carminum Miſcellaneorum Hoſpitalii*, leguntur, ſingula ordine diſpoſita, &, quam fieri potuit, diligentiſſime recognita. Additæ ſunt ad calcem Operis *ex Codice Wittiano variæ Lectiones*, non adeo negligendæ, & *Boxhornii ad Anonymi* (Hoſpitalii) *Satyram de Lite Animadverſiones*, in quibus Critici perſonam probe ſuſtinet, pro arbitrio ſuorum laudans alia, alia vituperans, & alia ſæpe in locum aliorum verba ſubſtituens.

Eykens von Repgow Sachſen-Spiegel ꝛc.

EPKONIS DE REPGOW SPECULUM SAXONICUM, ſeu Jus provinciale Saxoniæ, libris tribus comprehenſum. Cum vetuſtiſſimis Codicibus MSS. contulit, ex his genuinum ejus ſenſum reſtituit, & errores varios, quibus depravatum miſere fuerat, ſuſtulit; binas

nias item, ad vetuſtiorem ſuperioris Saxoniæ ſermonem accommodatas, nec editas antehac, hujus Juris formulas, verſionemque ejus Latinam, nec non varias lectiones, quæ in diverſis MStis & editionibus obvenere, obſcuriorumque verborum explicationem congruam, denique univerſam Juris Provincialis Gloſſam Germanicam, ex MSS depromtam & a recentioribus Acceſſionibus liberatam, addidit; hisque omnibus Indicem copioſum ſubjecit, & de Autore, ætate, Codicibus & Editionibus hujus Juris, Præfationem præmiſit D. CAROLUS WILHELMUS GÆRTNERUS, Jurium in Academia Lipſienſi Profeſſor Publicus.

Lipſiæ, apud hæredes Lanckiſios, 1732, fol.
Alph. 3 pl. 17.

SAxones non ex gratia aut beneficio Regum atque Imperatorum, ſed ex primæva libertate, acceptum jus habuerunt, ut ſuis legibus viverent. Inde ab ultima ſeculorum memoria mores patrii pro legibus valuerunt, ipſumque adeo Imperium Caroli M. & ſucceſſorum nihil mutavit. Poſt Carolingorum exceſſum Saxonia peculiares quidem Duces ſuos ac Principes habuit, ſed illi poteſtate legislatoria uſi non ſunt: decreta fiebant in conciliis populi per ſuffragia ſeniorum, ſententiæ in judiciis ferebantur voce Scabinorum, conſilio & conſenſu adſtantis multitudinis. Omnia uſu & memoria continebantur, nullumque fragmentum & ne veſtigium quidem ullum ſcriptæ ac promulgatæ legis apud Saxones extat, usque ad interitum Electorum ſtirpis Aſcanienſis. Speculum noſtrum quidem ante hæc tempora concinnatum & farrago eſt morum patriæ, ſed privata hodieque manet Collectio, quæ nunquam vim legis publica confirmatione obtinuit. *Eyke de Repgowe*, Eques Saxoniæ ſuperioris, Judiciorum ſub *Hoyero* Comite *Falckenſtein*. per multos annos Aſſeſſor, conſuetudines judiciorum provincialium, longo uſu cognitas, ſeculo XIII, quo etiam in aliis terris Introd. §.7.

atque in civitatibus compilationes legum factas esse accepimus, conscripsit, & quidem, quod argumentis constat, intra an-
Introd.§.3,8. num 1235 & 1247. Initio in suum usum Opus scripserat Latine, qua lingua libentissime tunc utebantur, qui mores & acta judiciorum literis mandabant; postea hortatu *Heyeri* Comitis in Germanicam transtulit, ut etiam expertes literarum haberent, quo instruerentur. Latinum Compilatoris textum plerique omnes intercidisse putant, sed Conf. *Gærtnerus* ex collatione veterum Codicum & librorum quasi convictus est, bonam & quidem longe maximam ejus partem in ipsa vulgata versione apud *Zobelium* hodieque nobis superesse: quamvis librarii & recentes editores multa, pro captu quisque suo, interpolaverint, phrasesque inconcinnas aliis elegantioribus commutaverint. Hinc, quo vetustiores sunt Codices & libri impressi, eo in iis rudior est latinitas, sed eo etiam luculentior & menti Autoris propior. Profecto in universum dici potest, Speculum Saxonicum industria recentiorum magis depravatum,
§. 11. quam restitutum, fuisse. Recensentur editiones impressæ XXII, numerus, uti magnus, ita pœnitendus. Nam, quæ adhuc prodierunt, inquinatæ sunt mendis, difficillimæ intellectu, & ad unam omnes parvi aut nullius pretii. Quo factum est, ut in tanto cumulo editionum non pauci eruditi emendatam & ad plures genuinos Codices restitutam requisiverint. Dignum hunc ingenio suo laborem existimavit Conf. *Gærtnerus* noster, manumque admovit operi, ad Germanicam, non ad Saxonicam solum, Jurisprudentiam utilissimo ac necessario. Nec fortuna cœptis defuit. Bibliotheca Paulina Lipsiensis, cujus liberalissimo apparatu lætatur ac fruitur orbis eruditus, egregios Codices MSS. editionesque impressas rariores suppeditavit. Inter Codices quidem principatum tenent duo membranacei, nitidissime scripti, & conservati ex medio circiter seculi XIII, atque ita fere *Repkovio* ætate proximi, ex quibus Speculum integrum, sicut est, quam accuratissime exscriptum exhibetur. A latere visum est textum adjungere ex Codice Quedlinburgensi optimæ notæ & ætatis, ob singularem prorsus & adhuc incognitam ordinis, quem præ se fert, diversitatem. Tertium e regione occu-

Digitized by Google

occupat locum verſio Germanica, plane oris hodierni, ad optimos Codices recenſita, ubi vocabulis obſoletis & obſcuris uſitatiora ſubſtituuntur. Ultimo eſt Latinus textus ex editione *Zobeliana* de A. 1614. Codici Lipſienſi ſubjiciuntur variantes ex aliis Codicibus, interpolationesque ac depravationes *a*) *Zobelianæ*, quæ multæ magnæque in omnes impreſſos libros irrepſerunt, diligenter annotantur. Interdum etiam vera vocabuli alicujus ſignificatio *b*) pro confirmanda verſione eruitur. Ac, ne quid deſit, quod ad integritatem operis pertinet, Gloſſa quoque Germanica in conſpectu eſt, eaque multo emendatior, omiſſis recentiorum interpolationibus. Non p. 56 lit. t, p. 138 lit. p & t, p. 464 lit. g.

a) Ubi quidem non prætereundus eſt locus, quem ignorantia priſcæ linguæ corrupit. Nempe Codex Lipſ. habet *not. x pag. 5: Ich ſte zu rame* (i. e. zu ziele) *ſam ein wilt Daz die* &c. Pro quo eſt apud *Zobelium: Ich ſtehe zu Rom als* &c. Conf. Introduct. §. 8.

b) *Pag. 52 not. i* quædam occurrit explicatio, quæ a vero ſenſu Speculi paulo longius diſcedit. Articulus XVIII inter alia: *Daz dritte iſt daz man chein urteil ſo recht vorme riche binnen Sachſen en vindet. wil ez ein Sachſe ſchelden. vnd zuhet erz an ſine vorderen hant vnd an die meiſten meine. vnde wider vehet er daz urteil ſelbe ſibende. wider ander ſiebene. ſwo die meiſte meine geſiget. die hat daz vrteil behalden.* Obſervat Conſult. Editor, hæc verba procul dubio antiquiſſimi Saxonum de non appellando ad Imperii judicia privilegii monumentum eſſe. Sed, qui verba textus accurate ac penitus inſpiciunt, nullum ampliſſimi hujus privilegii monumentum ac ne veſtigium quidem ibi deprehendiſſe videntur. Senſus eſt: nullam ſententiam ita æquam & juſtam in Saxonia in tribunalibus Imperii pronunciari, quin ab ea Saxones ad judicium Dei provocare poſſint: quale jus Suevi non habuerunt. Vid. Artic. ſeq. in fine. Non miſere itaque, ſed ſatis bene, locum verterunt Interpres Latinus & Gregorius Pontifex in Articulis reprobatis. Vid. p. 527.

Digitized by Google

ignorant quidem periti, quam futilis ea sæpe atque inepta sit, at quoniam scripta est a JCtis, qui in foris Germaniæ versabantur, non pauca passim loca occurrunt, quæ *c*) illustrationi Jurisprudentiæ antiquæ Germanicæ inserviunt. Ceterum *Conringius de Orig. Juris Germ. Cap. 30* unum Autorem Glossæ agnoscit, ac vixisse putat seculo XV, cum certum atque exploratum sit, unum quidem fuisse Compilatorem Glossæ, sed plures autores Scabinos Nobiles, quorum opiniones afferuntur: & ex quodam Codice Lips. pateat, Glossam initio seculi XIV jam tum extitisse. Quæ omnia accurate docteque Consult. *Gærtnerus* in præmissa Introductione persequitur, &, quo utilius deinde Opus esset, Indicem locupletissimum Speculi, Glossæ & interpretationum, in fine adjecit.

Glossa ad L. III Art. 65 p. 469.

Prudentes omnes ejus laudant institutum, probant curas & studium, quod in Jurisprudentiam Saxonicam contulit, successumque gratulantur. Scilicet non vilis atque inglorius labor est, qui Speculo impenditur, neque nugas difficiles agunt, qui Speculatori vacant. Nam hodieque in foris nostris non quidem Speculum, sed antiquæ consuetudines gentis nostræ, quæ ibi comprehenduntur, sua valent autoritate, ac præ Jure Romano ad decisionem controversiarum allegantur. Atque usus ille non heri demum affectatione quadam JCtorum invaluit, sed multis retro temporibus Saxones nostri Saxonicas in Speculo consuetudines agnoverunt atque æstimarunt. Quo factum est, ut vulgo in antiquis statutis *d*) legibusque municipalibus multa capita ex Speculo expressa & repetita legamus: ut

c) V. g. pag. 32 †† & p. 33 ** de Sacramentalium numero. P. 104 * de usu duellorum. P. 127 †*† de tempore accusandi. P. 132 † cautela pro indemnisatione advocati. P. 137 †† de accusando reo sine nomine. P. 148 *** de fidejussoribus. P. 304 ** de clamore stupri violenti. Passim etiam antiquos mores judiciorum carpit Glossator. Vid. p. 125 ** p. 134 * p. 161 *†* p. 232 †*† p. 250 ††.

d) Quod Cl. *Moserus* in *Unpartheyischen Urtheilen* P. III n. 19 p. 280 de antiquo usu Juris Alemannici contendit, ex Histo-

Digitized by Google

ut veteres Scabini in judicando hunc Codicem Legum consulerent, ut Doctores Juris Civilis in eum tanquam librum forensem probatæque autoritatis glossas conscriberent & in caussis tiam Principum disceptandis capita Speculi Sax. allegarent. Vid. omnino memorabilis locus in *B. Menckenii* Scriptor. rer. Germ. T. III p. 1196 C. Facturus operæ pretium esset, qui ex antiquitatibus medii ævi usum atque autoritatem Speculi Sax. paulo accuratius doceret, &, quantopere cum aliis antiquis Juribus Germanicis conveniat, quibus in locis olim valuerit, quibus in capitibus adhuc valeat, quanto denique in reformanda Jurisprudentia adjumento esse possit, peculiari opera exponeret. Tum demum fore confidimus, ut erubescant iniqui censores, qui ambo Specula nugas, peregrinam fabulam, imposturam, scripta, ubi certent invicem stultitia & stupor, laborem pistrino digniorem, quam foro, & nescio quid vilius, appellare non dubitant. Illi vero, qui hoc Volumen morum ac legum Saxonicarum ex merito jam dudum æstimant, magis magisque confirmabuntur, & in hac editione nihil aliud forsitan desiderabunt, quam ut cum Speculo Alemannico, quod in B. *Schilteri* Thesauro Antiquit. Teuton. nuper optime prodiit, esset collatum, simulque cultus externi paulo major habita ratio, ut duo Specula sicut antiquitate, ita etiam splendore, æmularentur.

SILESIORUM REI HISTORICÆ ET GEnealogicæ Accessiones, quibus I NICOLAI HENELII Vitæ Episcoporum Wratislaviensium, II Diplomatarii Bohemo-Silesiaci Continuatio, III Illustrissimarum, quibus liberæ Silesiæ Dynastiæ parent, ab iisve nomen, familiarum Tabulæ Genealogicæ, denique IV Historiæ Genealogicæ

ricis vel priscis Juribus provincialibus longa experientia sibi constare, pleraque omnia hujus Speculi capita hinc inde juris scripti fuisse; id vero etiam de Speculo nostro Saxonico ii, qui notitia veterum legum ac judiciorum instructi sunt, affirmare sustinent.

logicæ Ducum Piastorum Supplementum continetur. Clausit hoc suam in colligendis Scriptoribus Rerum Silesiacarum ineditis operam FRIDERICUS WILHELMUS A SOMMERSBERG, *Eques Silesius.*

Lipsiæ, sumtibus Michaelis Huberti, 1732, fol. Alph. 5 pl. 20½.

OPeris, ad Historiam Silesiæ, nobilissimæ Provinciæ, illustrandam maxime facientis, cujus ideo in *Actis* nostris jam bis meminimus, Tomi equidem I *A. 1729 Mense Martio pag. 134*, Tomi vero II *A. 1730 Mense Aprili pag. 158*, nunc damus Tomum III, has Silesiorum rei Historicæ & Genealogicæ Accessiones, quibus Illustri Autori placuit, Scriptoribus suis Silesiacis colophonem imponere, a reliqua Operis præstantia nihil dissidentem. Servavit autem & in hoc Tomo morem sibi familiarem, tenuitque institutum, quo hactenus usus est, Senator Reipublicæ patriæ Amplissimus, edendi ea, quæ majorum industria jam in usum posteritatis confecerat, producendi in lucem chartas & Diplomata, negotiorum civilium causa olim conscripta, nunc magnum rei historicæ præsidium, subnectendi denique ea, quæ propria industria ad rem patriæ Genealogicam emendandam, supplendam, stabiliendam, habuit parata. In classe prima apparet Scriptor equidem unicus, sed ille quantivis pretii, *Nicolaus Henelius ab Hennenfeld*, cujus infinita in res patrias merita vel ex iis, quæ nos in his *Actis* nostris passim diximus, Lectores nostros latere non possunt. Hujus Viri prorsus indefessi hic legitur *Series Episcoporum Wratislaviensium*, ex multis cum manuscriptis tum typis excusis monumentis collecta, quæ nunc eo ornatior lucem videt publicam, quod Illustri Autori placuerit, cum suas annotationes remissionesque, tum inprimis Vitas eorundem Episcoporum ex diligentissimi Viri, *Nicolai Pohlii*, Annalibus Wratislaviensibus MSStis, ubi quid diversum habent ab *Henceliano* labore, ubique subnectere. Antiquissima est illa Cathedra cum ipsis Christia-

ſtianiſmi in Polonia initiis A. 965 Epiſcopo Gothofredo, in Smogrenſi Sileſiæ pago nata, ſeculo ſequenti A. 1041 infulam gerente Bernhardo, Bicinum, Bregenſis Ducatus oppidulum, poſt vicennium & quod excurrit ab Hieronymo Præſule bono omine Vratislaviam translata, cui, cum Jaroslaus Epiſcopus, e Sileſiæ Ducibus, Niſſenſe territorium acquiſierit, Thomas I indulgentia Papali Ingenuam effecerit, Precislaus de Pogrella Ducatu Grotkovienſi locupletaverit, mirum non eſt, Principes Viros iſtud pedum ambiviſſe, & tenuiſſe, quod Epiſcoporum noviſſimorum, Caroli, Auſtriæ Archiducis, Caroli Ferdinandi, Poloniæ & Sueciæ Principis, Leopoldi Wilhelmi & Caroli Joſephi, Auſtriæ Archiducum, & poſt Sebaſtianum, Grotkoviæ a parentibus mediocris fortunæ ortum., ſed ſua virtute in cathedram principali dignitate præfulgentem evectum, Friderici, Haſſiæ Landgravii, S. R. I. Cardinalis, Wolfgangi & Franciſci Ludovici, Ducum Palatino-Neoburgicorum, (quorum poſteriorem, per decem fere luſtra Epiſcopum, poſtea ad alias etiam ſummas Eccleſiaſticas in Imperio dignitates, ipſumque earum faſtigium, Archipræſulatum, Archicancellariatumque Moguntinum, traductum, hanc ſuam Diœceſin unice dilexiſſe conſtat,) &, qui nunc rerum potitur, Eminentiſſimi Cardinalis Sinzendorffii exempla *ſatis teſtantur.* *Claſſem* ſecundam tenent *Diplomata tria & ducenta*, maximam partem ex Archivo Celſiſſimi Principis Caroli Friderici, Ducis Wurtembergico-Olsnenſis, depromta, quibus res Ducum Sileſiæ, Eccleſiarum Vratislavienſium, Cathedralis S. Joannis & Collegiatæ S. Crucis, & geſta Auguſtæ Gentis Lucenburgicæ mirifice illuſtrantur & confirmantur. Quibus omnibus jungenda ſunt alia nonnulla Diplomata inedita, quæ Illuſtris Autor in quadam Coronide ſubnectit, & nonnulla Hiſtoriæ patriæ momenta iisdem feliciſſime explanat. In Claſſe tertia comparent Genealogiæ ſeptem Celſiſſimarum & Illuſtriſſimarum Gentium in Sileſia, Schafgotſchianæ, Dohnavianæ, Malzanianæ, Promnizianæ, Hatzfeldianæ, Henkelianæ, Schönaichianæ, multo ſtudio ab Ampliſſimo Autore conquiſitæ atque illuſtratæ. Nempe poſt præſtitam Ducibus Sileſiæ eximiam in eruendis originibus operam,

rum, ſupererat, ut eæ gentes nunc explicarentur, quibus liberæ illæ in Sileſia Dynaſtiæ, in Comitiis totius Ducatus Sileſiaci voto curiato gaudentes, aut parent, aut ſaltim aliquando paruerunt. Jam vero conſtat, Dynaſtiam Wartenbergenſem ad Burggravios de Dohna, Mielicenſem ad Comites Malzanios, Pleſſenſem ad Comites Promnizios, Trachenbergenſem ad Hatzfeldios Comites, Beuthenenſem ad Comites Henkelios, Beutheno-Carolathenſem ad Comites Schœnaichios pertinere, quibus Ampliſſimus *Sommersbergius* Illuſtriſſimam Schafgotſchiorum gentem merito præfixit, non modo ex ea ratione, quam & titulus Operis loquitur, quod Schafgotſchiis, ut Trachenbergenſibus quondam Dynaſtis, nomen adhuc & titulus perennet, ſed vel eam maxime ob cauſam, quod Celſiſſimum Illuſtriſſimæ Gentis Caput, Joannes Antonius, inter alias dignitates maximas, quibus eum liberalitas Auguſti cumulavit, toti nunc Patriæ vice ſacra, &, quod propriis virtutibus debet, cum omnium bonorum plauſu præſit. Hæ Tabulæ omnes ab Ampliſſimo Autore hiſtoricis Diſſertationibus ubique ſunt illuſtratæ, & variis documentis exornatæ. Huic Tomo Index rerum memorabilium ex toto Opere concinnatus acceſſit. Operas typographicas peccaſſe, quid mirum? nec æquus unquam Lector hæc Autori tribuerit. Certus de melioris partis applauſu, & de incorrupto poſteritatis gratæ judicio, in id, opinamur, omni ſtudio incumbet, ut patriam novo beneficio, *Annalibus lingua vernacula adornandis*, ſibi devinciat, &, ſi in noſtris precibus quidpiam eſt ponderis, literarum hiſtoricarum nomine, ut quam proxime illud fiat, etiam rogamus.

CONSPECTUS CHEMIÆ THEORETICO-Practicæ, in forma Tabularum repræſentatus, in quibus Phyſica præſertim ſubterranea, & corporum naturalium principia, habitus inter ſe, proprietates, vires & uſus, itemque præcipuæ Chemiæ, Pharmaceuticæ, & Mechanicæ, fundamenta e dogmatibus BECHERI *&* STAHLII *potiſſimum explicantur, eorundemque & aliorum cele-*

celebrium Chemicorum experimentis stabiliuntur, Autore D. JOANNE JUNCKERO; Prof. Publ. Ordin.

Halæ Magdeb. impensis Orphanotrophei, 1730, 4. Alph. 7 pl. 4.

TAnta sunt & tam illustria Germanorum in Chemiam merita, ut exteris ea in arte palmam non dubiam reddere, sed suo jure præripere, ii omnino videantur. Non postremum inter nostrates, qui Chemiam ornarunt, celeberrimi viri, *Becherus* atque *Stahlius*, locum tenent, quorum insignis doctrina & experientia accuratior ex scriptis in publicam lucem editis satis patet, omniumque intelligentium virorum linguis literisque prædicatur. Atque horum quam maxime theoriam dignam habuit, quam more suo in tabulas redactam nobis repræsentaret, Cl. *Junckerus*. Miratur enim Cl. Vir, cum maximus e Chemia in Physicam usus redundet, e superioris seculi Chemicis ante hos duumviros extitisse neminem, qui ex sua arte ad illustranda doctrinæ naturalis quædam capita solidi quidquam attulerit. Neque enim *Paracelsi*, nec *Helmontii* & *Boylei*, nec *Tachenii*, nec *Willisii*, placita ea in re valere quidquam, primum vero fuisse *Becherum*, qui lucem non mediocrem ad principia corporum physica melius intelligenda accenderit, ejus vero theoriam ab interprete acutissimo, *Stahlio*, dignitati suæ assertam, emendatam, multisque inventorum accessionibus locupletatam, & novo velut habitu indutam esse, arbitratur. Quamobrem, cum plurimi jam pridem in votis habuerint, ut, quæ cum *Stahlius*, tum alii exercitati viri, Latine & Germanice sparsim ediderant, omnia in Latinum sermonem conversa, & in systematis ordinem redacta, publicæ luci exponerentur, Noster, etsi aliis hunc laborem relinquere maluisset, tamen, cum multis operæ pretium facturus videretur, si Chemiam pariter, atque olim Medicinam & Chirurgiam *Stahlianam*, in tabularum formam redigeret, eundem tandem subiit, superatisque variis difficultatibus, hoc Opus concinnavit, quod

D tamen

tamen longe adhuc abesse ab eo perfectionis gradu, ad quem ejusmodi Chemico-physicum Syntagma provectum esse cuperet, fatetur. In theoria itaque, ut jam memoravimus, *Bechero & Stablio* plurima debet, adeo, ut horum duumvirorum scripta chemica lecturis introductionis loco hic Nostri liber esse queat; pauciora autem, quæ disertis verbis non attigerunt illi, interspersit. In practicis præterea *Glauberum, Kunkelium*, aliosque, consulendos putavit, quorum etiam theoriam & phænomenorum explicationes identidem annotavit. Ut itaque summa hujus libri capita more nostro indicemus, Tab. I de natura & constitutione Chemiæ, ejusque variis divisionibus, diversoque usu, ortu demum & progressu, II de signis chemicis, III de instrumentis ad operas chemicas necessariis, IV de principiis chemicis, eorum differentia, proprietatibus, effectibus, quos in corporibus habent, existentia item, & præsenti in tribus imo quatuor naturæ regnis usu, V de syncrisi & diacrisi, earumque cum differentiis, methodo, & exemplis, tum ætiologia, & modo fiendi, usuque, VI de instrumentis Chemiæ essentialibus, eorum differentiis, descriptione, applicandi modo, effectu & usu, modoque agendi, VII de menstruis, eorum differentia, descriptione generali, effectu, methodo applicandi, modo agendi & usu, IX de aquis, earum differentiis, methodo & exemplis, ad aquas præsertim dulces examinandas & repurgandas, ætiologia de origine & indole variarum aquarum, & usu, X de terris & lapidibus, methodo & exemplis, ad terrarum lapidumque indolem & habitum inter se & alia corpora explorandum, theoria de variarum terrarum constitutione & ortu, denique usu, agit. Tab. XI operationes in genere, earumque differentias, methodum generalem & requisita, ætiologiam generalem & usum, sistit. Tab. autem XII ad XXXI ad operationes singulares, nimirum comminutionem, fusionem, solutionem, extractionem, amalgamationem, mercurificationem, coagulationem & conglaciationem, vitrificationem, reductionem & revivificationem, sublimationem, destillationem, digestionem, secretionem &

clarifi-

Digitized by Google

clarificationem, crystallisationem, præcipitationem, calcinationem & cæmentationem, transmutationem universalem & particularem, metallurgiam pyrotechnicam, & docimasiam, progreditur, earumque differentias, subjecta, methodum & exempla, ætiologiam, & usum, explicat. Tab. XXXII de metallis in genere, eorum differentiis, historia physica, & physico-chemica generali, ætiologia & usu, exponit. Tab. demum XXXIII ad XLIV sigillatim aurum, argentum, cuprum, ferrum, stannum, plumbum, Mercurium, Antimonium, Bismuthum, Zincum & Cadmiam, Arsenicum & Auripigmentum, persequitur, eorumque differentias, methodum e mineris separandi, historiam habitus cujusvis metalli, ad varia instrumenta, & corpora physica in diversis operationibus chemicis, ætiologiam & usum, enarrat. Singulis vero per totum librum Tabulis observationes & cautelas, quibus, quæ ad superiores classes commode referri nequiverunt, traduntur, subnectere consuevit. Quoniam id in nostris Commentariis præcipue agimus, ut literarum progressus & incrementa referamus, & virorum bene de iis meritorum memoriam ab interitu vindicemus, ab instituti nostri rationibus haud alienum esse existimamus, si, quid illustri *Stahlio* Chemia debeat, ad mentem Cl. Autoris nostri commemoremus. Quippe celeberrimo illi Viro inventori Noster tribuit 1) genesin sulphuris artificialem, indeque petitam demonstrationem, quod sulphur minerale constet ex acido vitriolico, & materia sicca inflammabili; 2) analysin acidi vitrioli, vel sulphuris, indeque fluentem ἀπόδειξιν, oleum vitrioli vel sulphuris mixtum esse ex aqua & terra fixa vitrescibili, adeoque hac in parte cum metallis pariter vitrescentibus convenire; 3) volatilisationem ejusdem acidi vitrioli, & volatilisati restitutionem in pristinam fixitatem; 4) elasticitatem aquæ præ omnibus aliis corporibus, & ipso aere, e qua etiam per calorem aeris varie expansa, ideoque premente motum Mercurii in barometro, primus derivavit *Stahlius*; 5) præsentiam & efficaciam τοῦ φλογιστοῦ in plurima corpora, præsertim mineralia, ex eoque nascentem reductionem cal-

 cium

cium ignobilium metallorum, qua reductione intellecta, simul multæ operationes metallurgicæ extricantur; 6) convenientiam principiorum in naturæ regnis, & eorundem ex uno in alterum promtissimum ingressum artificialem; 7) regni meteorico - athmosphærici statum, indeque vegetationem plantarum, ex aere magnam suæ mixtionis partem haurientium; 8) sulphuris resolutionem per subtile acidum salis in mineralibus sulphureis, speciatim pyritis, seu marcasitis martialibus; 9) salium acidorum mineralium diversam fixitatem, seu gravitatem, indeque pendentem rationem, spiritum nitri & salis communis destillandi; 10) repentinam mixtionis seu essentiæ nitri destructionem, interveniente deflagratione; 11) vinosæ & acetosæ fermentationis verum perspicuumque fundamentum; 12) Spiritus vini conversionem & ingressum artificialem, itemque Succi Citri transmutationem in vinum; denique omnium fermentabilium transitum in terram insipidam; 13) solutionem auri per sulphur, & martis in alcali, pluraque alia. Ceterum non solum cum Nostro optamus, ut Illustr. *Stahlius* nobiliora inventa, quæ sibimet etiam nunc reservat, in publicum usum primo quoque tempore expromat, sed ipse etiam Cl. *Junckerus* Tomum alterum, quo eadem methodo subjecta sulphurea pleraque, tum salina acida, alcalina, neutra, ultimo Zymotechniam, ejusque varia specimina & producta, explanaturum se pollicetur, propediem bono cum Deo luci exponat.

JOANNIS GEORGII LOTTERI de Prima, eademque rarissima, editione WILLERAMI Observatio.

Mereri inter eruditos alios famam, alios vero plerumque, miro quodam fortunæ ludibrio, consequi, quisquis veterum primus edixit, næ ille secundum rationem atque experientiam pronunciavisse censendus fuerit. Præter ceteros manet hoc, si quidem ita nuncupari potest vere, infortunium interdum illos, qui primi ac principes instituti cujuspiam, inventi,

venti, aut alius cujuscunque operæ, eruditorum civitati proficuæ, autores exſtiterunt. Hi, quod vel cum invidia æqualium colluctari cogantur, vel ſuorum incurioſa ætas pro meritis ipſos celebrare intermittat, illud ſæpiſſime unum laborum præmium, egregium profecto, reportant, ut ſive omnis eorum memoria mature ſatis intercidat omnino, ſive tenuiſſima ſaltim atque obſcuriſſima ad poſteros transmittatur. Novum, idemque illuſtre ſatis, conſimilis fati experimentum nos ipſi nuper demum fecimus in primo illo *Willerami*, Abbatis Eberspergenſis in Bavaria, *Paraphraſeos in Canticum Canticorum* doctiſſimo Editore, *Menrado Moltbero*, Auguſtano. Ille enim, indigniſſimo exemplo, hunc ſtudii ſui, in vulgando iſto Opere ſcitiſſimo multa cum curatione collocati, fructum retulit, ut, præter æquales forte aliquot eruditos, qui juſtam ipſi ob hanc rem gratiam profiteri noverunt, per ducentos integros annos nemo fere amplius de *Willeramo Moltheri* cogitarit, aut ſcriptis expoſuerit publicis. Tolerabile aliquantum fuiſſet, ab illis, qui in gregariorum cenſu in republica docta habentur, veluti aliorum plurium, ita & *Moltheri*, nomen ac merita ignorari. Sed, quod Semones ipſi literarii conſummatiſſimique Polyhiſtores, atque hos inter illi ipſi, qui in edendo poſthac vicibus una pluribus *Willeramo* ſui in egregium publicum ſtudii documenta edere inſtituerunt, aut commentati minimum de inſignis hujus Germaniæ ornamenti notitia ſunt, v. c. *Polycarpus Leyſerus* in *Hiſtoria Poetarum medii ævi*, omnem *Editoris principis* memoriam adeo procul remotam habuerint, uti ne unus quidem, ubi opus fuerat quam maxime, illum cum debito elogio allegaverit; illud vero eſt, fateor, quod in vegrandem me admirationem conjecit.

Hoc non aſſertum temere a nobis eſſe, mox demonſtrabimus. Scilicet conſtat inter omnes, *Paulum Merulam*, Profeſſorem Lugduno-Batavum celeberrimum, anno MDIIC ex officina Plantiniana apud Chriſtophorum Raphelengium edidiſſe *Willerami*, *Abbatis Merſeburgenſis*, *Paraphraſin geminam in Canticum Canticorum*, quarum *prior*

 rhythmis

rhythmis Latinis, *altera veteri lingua Francica*, concepta eſt: cum *explicatione* ejusdem *Belgica*, quam *Jano Houtenio* quidam, alii vero *Pancratio Caſtricomio*, autori tribuunt, & *Notis*. Conſtat porro, A. MDCXXXI Vormatiæ apud *Vægelinum* typographum (qui præter meritum tanquam Editor paſſim allegatur,) *Paraphraſin Theotiſcam* ſolam vulgaſſe *Marquardum Freherum*, hoc indice ornatam: *Uralte Verdolmetſchung deſs Hohenliedes Salomonis, auſs Abt* Walrams *zu Ebersperg in Bayern berühmter Deutſchen Auslegung, die er vor 550 Jahren daruber ausgeſtellet, abgedruckt*; *notis* itidem atque *variantibus Lectionibus* inſtructam. Iterum conſtat, elucubraſſe *Franciſcum Junium Obſervationes in Willerami Abbatis Francicam Paraphraſin Cantici Canticorum*, omiſſo textu utroque, Amſtelodami A. MDCLV in proprio typographeo impreſſas. Neque fugere etiam quemquam facile poterit, *Martinum Opitium Præfationem Willerami*, in *Merulæ* editione deficientem, ex *Codice Rhedingeriano* Vratislavienſi optimæ notæ reſtitutam, publicam feciſſe; quod idem præſtiterit in notis ſuis *Freherus* ex *MSto Palatino*. Et denique quis neſcire queat, recentiſſimam omnium *Willerami* editionem a *Jo. Schiltero*, ſummo viro, deſtinatam, ſed ab excellentiſſimo demum doctore, *Jo. Georg. Scherzio*, perfectam atque elimatam, & Tomo primo *Theſauri Antiquitatum Teutonicarum Schilteriani*, æterni Operis, inſertam? Sed hi quidem in edendo ipſo *Willerami* Opere inſudarunt. Ex illis vero, qui alias de *Willerami* perſona ſcitiſſime expoſuerunt, appellaſſe, præter *Leyſerum* ſuperius iam memoratum, ſuffecerit nobiliſſimos Triumviros, ex ſolidæ πολυιςωρίας laude inclitos, *Danielem Georgium Morhofium*, *Joan. Georg. Eccardum*, & *Jo. Frickium*. Iſte enim in libro vernaculo *de Lingua & Poëſi Germanica Cap. VII p. 291*; ille in *Hiſt. Stud. Etymol. ling. Germ. Cap. XIV p. 125*; hic demum in Præfatione *ad Tomum I* generali eruditiſſima, *Syſtemati* laudato *Schilteri* præmiſſa, fol. XIII, *Willerami* notitiam ſuppeditarunt. Omnes autem *Paulum Merulam*, omiſſo penitus *Molthero*, primum *Willerami* editorem conceptis

ceptis

ceptis verbis uno ore celebrant, aut hunc saltim communi silentio prætereuntes, ignotum sibi abunde satis profitentur.

Quæ cum ita sint comparata, veluti diximus, atque demonstravimus ad oculum, nemo non inde summam raritatem Editionis hujus *Moltberianæ* vel sua sponte intellexerit. Voluit fortuna ante biennium, ut illam inspiciendam usurpandamque ac tractandam per multum tempus manibus amici beneficio nanciseeremur. Tum nondum quidem pretium, quod raritatis singulare habet, pro merito agnovimus; agnovimus autem nuper, cum per otium *Willeramo* perlegendo aliquot dies forte impenderemus. Factum est hinc, ut, re penitius pensitata, consilium caperemus concinnandi extemporalem aliquam Commentationem, his eruditorum *Actis* commodo quodam loco inserendam, neque lectu, nisi fallimur, prorsus injucundam; qua tum expleri sic possit exigua quaedam librorum historiæ lacunula, tum vero honesta ratione defuncti civis, quocum communem patriam haberem, in rem litterariam præstiti officii, non hercle ignobilis, memoria instaurari.

Ut autem jam dicendis tanto integrior constet veritas, vel duobus verbis præmonendum adhuc esse videtur, qua occasione perducti fuerimus ad cognoscendum dijudicandumque hunc *Moltberi Willeramum*. Scilicet anni 1731 sub auspicia publicam Epistolam ad Clariss. Amicum nostrum, *J. G. Schelhornium*, emiseramus, in his ipsis *Actis* Mense Apr. p. 196. seq. commemoratam, qua suppetias doctorum hominum ad ornanda amplius *Opuscula Conr. Peutingeri*, quibus edendis strenue adhuc insudamus, conferendas, & hæc inter *Epistolas* potissimum *Peutingerianas*, sive editas, sive ineditas, expetebamus. Accidit non multo post, uti Vir illustris, *Z. C. Uffenbachius*, pro sua optima quæque juvandi promovendique literaria instituta benevolentia, transmitteret ad nos ἀπόγραφον *Epistolæ Menr. Moltberi ad* eundem *Peutingerum*, qua ipsi editionem *Willerami* abs se curatam offerebat atque dedicabat. Insigne hoc nos beneficium, uti decebat, reputantes, præsertim cum inter ἀνέκδοτα pridem retulisset

lisset

liſſet hanc *Epiſtolam* in *Catalogo MStorum Bibliothecæ* ſuæ Vir clariſſimus Tom. III fol. 471, mirifice nobis de illius acquiſitione gratulabamur; quod tum digniſſimis rerum argumentis referta, tum doctrina ſtiloque ornatiſſima, nobis quidem videretur. Ita gaudio per aliquod temporis intervallum delibutis communicat nobiscum, ſimili *Peutingeriana* noſtra locupletandi fine, inclitus Islebienſium Theologus, *Jo. Erdmannus Biekius*, ipſam illam *primam Willerami editionem, a Moltbero Peutingeri nomini inſcriptam;* qua ſimul occaſione jucundiſſime intelleximus, jam olim illam typis publicis vulgatam fuiſſe. Nunc vero citra ambages rarioris hujus libri notitiam atque deſcriptionem curatam ſimilium deliciarum cupidis Lectoribus propinare feſtinamus.

Titulum hunc præfixum cernimus: *Wilrammi Abbatis olim Eberespergenſis in Cantica Salomonis myſtica explanatio, per Menradum Moltherum in lucem reſtituta. Adjecta eſt ex Spanbemenſi* (Trithemio) *autoris vita, qui ſub Henrico tertio anno M70 floruit.* Conſtat Opus univerſum duodecim omnino plagulis, in formam octopertitam complicatis, & in fine legitur: *Excuſum Haganoæ per Guilielmum Seltz, 7 Septembris anno 1528.* Literarum character adhuc ſatis elegans eſt; crebræ tamen, pro more iſtius ætatis, abbreviaturæ, & quæ paſſim, negligentia correctoris, irrepſerunt ſphalmata, difficiliorem aliquanto reddunt libri lectionem minus attentis aut exercitatis.

Ceterum operæ quoddam pretium fuerit potiſſima *Dedicationis*, quam diximus, *ad Peutingerum* præmiſſæ, capita ſummatim huc retuliſſe. Principio ſtatim Editor *Moltherus* invehitur in illos ſuæ ætatis homines, qui, neglectis veterum ſcriptis, nova tantum & ſua imperite adamarent, ſe primos omnium ſapere cœpiſſe exiſtimantes, &, niſi ſua opera ac ſcripta intercederent, actum fore de bonis literis arbitrantes. Salſe hos tales cum filiis Loth comparat, quæ, relicta Pentapoli, non ampliorem, quam quantum ſuis oculis metiri poſſent, orbis ambitum ſimplices autumarunt, atque hinc putarunt, univerſum genus hominum interiturum, niſi ſua quidem

Digitized by Google

dem opera mature prospiceretur. Hanc veram caussam tot novorum librorum nascentium intereuntiumque in dies censet; ita ut nullum fere jam sit parvum oppidulum, nullus vicus, unde non novus aliquis βιβλιόποιος existat. Gaudet tamen Noster, superesse adhuc viros, quorum judicio nemo ullus in album vere doctorum, sive in profanis sive in divinis litteris, referatur, nisi qui pertinacissima librorum antiquorum lectione solidam sibi eruditionem comparavisset. Quos inter cum *Peutingerus* merito suo non postremus ab omnibus doctis ponatur, ut quo non alius vetustatis aut major admirator, aut observator facile reperiri possit diligentior: factum hinc, ait, ut ipsi præcipue *Wilrammum Morseburgensis* Monasterii Abbatem, *in Epithalamion Solomonis de Christi & Ecclesiæ nuptiis christianissime commentatum*, in Bibliotheca sua, nobilissimorum librorum supellectili splendidissima, apud sui similes reponendum transmiserit. Obiter notamus, nostrum *Morseburgensis* Abbatis titulo primum hic post *Trithemium* appellare *VVilleramum*; cum tamen & in fronte Operis, & paullo post, *Eberespergensem* celebrarit; nulla tamen addita duplicis hujus cognomenti ratione.

Gravi deinde ac prolixa censura plurimos sui ævi monachos notat (omnes etenim uno loco non habendos sapienter admonet) ac religiosos, qui vita, moribus, doctrina ac institutis tantum a priscis illis Patribus ecclesiæ reverendis discreti sint, quantum, quod proverbio dicitur, Mysorum atque Phrygum termini. Sed hæc jam, tanquam aliena, enotare omittimus; & judicium potius *Moltheri* de *Willeramo* concinne repetimus.

Celebrat nempe hunc virum *Editor* tanquam de suo seculo optime meritum, & quem, præter reconditam eruditionem vitæque integritatem, aurea antiquitas, ultra quadringentos & amplius abhinc annos provecta, commendet. Composuisse ipsum, pergit, præter alia, *mysticam* hanc *explanationem Canticorum Solomonis carmine & prosa*, pulcra certe, *Trithemio* judice, varietate. Et *carmina* quidem, quamvis sint *leonina*, hoc est, *mediis & ultimis syllabis con-*

ſonantibus, quæ huic cultiſſimo ſeculo non admodum pulcre reſpondeant; veluti jam olim ὁμοιοτέλευτα, καὶ ἰσοκατάληπτα, καὶ πάρισα, καὶ ὁμοιόπτωτα riſerit *Lucilius*, ferenda tamen arbitratur ceterarum contemplatione virtutum, præſertim cum conſtet, quæ fuerit eo ſeculo eloquentia, & digni ſint profecto venia, qui jacturam elegantioris literaturæ pietate morumque innocentia rependant.

Candide & ex vero hæc abs *Moltbero* pronunciata fuiſſe, optimus quisque, putamus, nobiscum cenſuerit. Fallimur autem, an & multa noſtræ ætatis eruditorum pars in noſtram ſententiam ultro conceſſura eſt, qua, eadem ſeculi venia, quam *Willeramo* ſuo juſte petiit, vel ipſum *Moltberum* maxime, propter mox dicenda, indigere ſtatuimus. Scilicet, poſtquam porro monuiſſet, præter verſus iſtos leoninos e regione proſam, & quidem vernacula lingua, abs Autore adſcriptam fuiſſe, ut nunc Græcis ex adverſo Latinum adjungitur, addit: *cum nulli aut uſui aut voluptati lectori illam fore* putaſſet, *cum* iterum *dialecto ſua uſus* fuerit Willeramus, *nec omnibus familiari, nec plana, cum* denique *Latinorum verborum non parum interſeruerit, ſiquidem ſcripturæ teſtimonia Latine excitet; ſe convertiſſe* hanc *Paraphraſin Theotiſcam in ſermonem Latinum, quam ſimpliciſſime potuerit, totam; id quod neminem inique laturum exiſtimet.* Alia profecto, atque ex parte melior, mens fuit, qui ipſum inſecuti ſunt, *VVillerami* editoribus; utpote qui majorem curam atque rationem *Paraphraſcos Theotiſcæ*, præ carmine Latino, Germanis habendam eſſe optimo judicio exiſtimarunt.

Ceterum facile quemvis aſſenſurum eſſe *Moltbero*, credimus, affirmanti, ſibi *lectionem* illius *tum ob inſolitas & obſoletas illas voces, tum ob vetuſtatem Codicis, non parvo labore conſtitiſſe.* Interim, licet non addat magis diſtincte, qualisnam ille Codex fuerit, an poſſederit proprium, an aliunde acceptum uſurparit, hoc nobis quidem perſuaſum tantisper eſt, eundem fuiſſe cum illo, quem, ſeculo integro elapſo, *Palatini* titulo poſtea celebravit rerum Germanicarum *Moltbero* intelligentior atque amantior Auguſtanus, *Marquardus Freherus.*

Si-

Siquidem itidem exhibet, quam manibus tenemus, editio *Prologum VVilerami*, quem postea & descriptum dederunt idem *Freberus* atque *Opitius*, & demum clarissimi ἐργοδιῶκται *Schilteriani*. Exhibet etiam *Carmen dedicatorium VVilerami ad Henricum Regem*, post *Freberum* a *Schiltero* & *Scherzio* in Præfatione repetitum, una cum his versibus incerti Autoris:

Prænotat a longe Solomon dotalia Sponsæ
Quam thalami summi dignam scit sedere fungi.

Inter hoc carmen & hos versus (quod monemus obiter) infertum legitur sub titulo *Invocationis VVilrammi* Distichon sequens:

Qui pluviis doni quondam plueras Solomoni
Exiguo scribæ da nunc vel munera stillæ,

a *Frebero* ac *Schiltero* omissum. Demum & hoc conjecturam nostram, quod idem sit Codex *Moltbero* adhibitus cum *Palatino*, firmare posset, quod ex *Gesneri* testimonio in Bibliotheca, & aliunde, satis constet, *Menradum* illo tempore Heidelbergæ docendis publice bonis literis vacavisse; cujus urbis nomen huic etiam ad *Peutingerum* Dedicationi pridie Cal. Decembr. A. 1528 subscripsit.

Quicquid interim fuerit de isto Codice, adeo hanc conjecturam non adamamus profecto, uti potius primi fere iterum illam repudiemus. Nefas foret tam subito, uti apparet, mutatæ sententiæ causas intempestivo silentio Lectores nostros celare. Videlicet docuit nos αὐτοψία, *Paraphrasin Theotiscam*, quam Latine abs se conversam hic sisti affirmat *Moltherus*, neutiquam esse posse eandem cum illa, quam descriptam exhibent *Merula*, *Freberus* atque *Schilterus*. Postremam hanc *textualem*, vel, si mavis, *literalem*, vocare posses; cum *Moltherianæ Expositionis* sive *accommodationis* libri Salomonei *mysticæ* titulus magis ex vero competat; quæ haud raro prolixa satis atque verbosa occurrit. Argumenti in vicem primi saltim commatis ex primo Capite explanationem *Moltheri* ex versione huc transscribere non pigrabimur. Ita vero ad verba: *Osculetur me osculo oris sui*, legitur: *Ante actis quidem æta-*

tibus non raro sponsus meus suum mihi per Sanctos Prophetas adventum in carnem denunciavit. At modo suam mihi, quam multis praeconiis designavit ipse, praesentiam exhibeat, & osculetur me sui Evangelii suavitate. A pluribus dandis speciminibus, ob chartae angustiam, abstinendum consulto jam quidem nobis est; sed vel hoc unum sufficere poterit ad demonstrandum id, quod affirmavimus. Atque ideo, cum de hac ipsa *expositione Theotisca* altum sileant *VVilleram* editores reliqui universi, *Moltherum* tamen illam ante oculos habuisse atque transtulisse palam existat, si qui futuri sint, quibus inde alius longe *Moltherianus* Codex, atque a *Palatino* toto coelo diversus, videatur; nobis quidem non integrum fuerit refragari amplius. Optandum certe esset, ut luculentiorem sive Avtographi sive Apographi MSti notitiam dedisset vir doctus, hac in re seculi sui vitio, an virtute, (qua in fidei suae conscientia confisus insuper habuit lectoribus exposite rationem reddere de sui Codicis constitutione,) justo negligentior; uti ex his indiciis indagari jam posset ab harum rerum studiosis, atque exquiri, ubinam locorum delitescat *Theotisca* haec *VVillerami* & *mystica explanatio*, non minus illustris reliquis priscae Linguae monimentis citra dubium futura. Digna haec foret prae multis aliis Consultissimo *Scherzio* occupatio, una cum Codicis *Vindobonensis variantibus lectionibus*, de quibus sigillatim vulgandis spem fecit, in publicos eruditorum usus aliquando collocanda.

Interim dum in his amplius expendendis animum jucunde pascimus, atque relegimus identidem *Praefationem Willerami*, quam a *Molthero* primum, post & *Frehero* atque *Opitio*, vulgatam esse, supra monitum fuit; sequentia Autoris verba digna majori paullo attentione nobis quidem videntur. Illa ita habent: *Itaque Cantica Canticorum, - - statui, si Deus annuerit, & versibus &* Teutonica *planiora reddere: ut corpus in medio positum his utrinque cingatur, & ita facilius intellectui occurrat, quod investigatur. De meo nihil addidi, sed omnia de sanctorum Patrum diversis expositionibus eruta in unum compegi, & magis sensui, quam verbis,*

bis, tam in verſibus, quam in Teutonica, *operam dedi. Eisdem interdum utor verſibus &c.* Monemus quaſi in tranſitu, editionem *Moltherianam* pro voce *Teutonica*, quæ hic bis legitur, utroque loco exhibere vocem *proſa*; & inferius paullo tertium repetitam penitus omittere; quemadmodum & aliæ adhuc, licet levioris momenti, diſcrepantiæ in illa deprehenduntur. Ceterum fallimur, an hæc ipſa verba declarant, aliam omnino eſſe hanc, quam *myſticam* ſupra, diſtinctionis cauſſa, appellare cum ipſo Autore placuit, *expoſitionem* ab illa *textuali*, a *Merula*, *Frehero* atque *Schiltero*, expreſſa. Pluria enim in illa exſtant *diverſarum expoſitionum Patrum*, quæ ipſe innuit *Willeramus*, atque evidentiora veſtigia; quæ in hac vel plane nulla, vel certe rariora. Parum hinc abeſt, uti inducamur ad credendum, duobus diverſis temporibus optimum virum vernaculo ſermone *Canticum Salomonis* Commentario ſuo illuſtrandum ſuſcepiſſe; quorum alter in *Moltheri* manus inciderit, indigna poſthæc oblivione quaſi conſepultus, alterum laudati mox triumviri in vulgus ediderint. Et pronum nobis inſuper eſt exiſtimare, *Præfationem* hanc non ad poſteriorem, ſed ad priorem illum Commentarium pertinere; unde & fruſtra quæratur apud *Merulam.* Novum fortaſſe argumentum hujus ſuſpicionis ſuppeditant verba *Willerami*, quæ non multo poſt addidit: *Expoſitionis tenorem* ſponſo & ſponſæ, *ſicut in corpore, ſic & in verſibus & Teutonica* (hanc poſtremam vocem plane abeſſe apud *Moltherum* modo diximus) *placuit adſcribi &c.* Etenim ne ſemel quidem apud *Schilterum* aut *Merulam* legitur inſcriptio: *Vox ſponſi, vox ſponſæ*; quæ tamen apud *Moltherum* conſtanter fere expreſſa uſurpatur.

Sed hæc quidem majoribus ingeniis amplius diſcutienda libenter permittimus. Antequam vero calamum omnino deponamus, juvat inſignes maxime (leviores etenim, transpoſitiones vocum ſimplices, orthographiam iſto ævo receptam, qua *Æcclesia*, *Clyma*, *hii*, *phas &c.* ſcribitur, ſphalmata manifeſta &c. hic curare, hoc quidem eſſet operam perdere,) Latini textus, qualis a noſtro Editore traditus eſt, a *Schilteriano*

 diſcre-

discrepantias, in curiosorum gratiam, enotare. Haud difficulter hi deprehendent, plurimis in locis amice nostrum conspirare cum *lectionibus*, a doctissimo *Kranzio* ex Codice *Rhedingeriano Vratislaviensi* excerptis, & a Consultissimo *Scherzio* ad calcem sui *Willerami* diligenter adscriptis; esse tamen & loca uno plura, ubi manifeste satis dissentiant uterque. Age igitur, & *varias* has *lectiones* secundum ipsum Capitum atque commatum naturalem ordinem proponamus.

Cap. I v. 3 largo nectare; *pectore* Gratia non stillat; *nunc* v. 4 amore tuo recolentes; *amore pio recolantes*. V. 5 Perfere; *persero*. V. 6 Cedibus -- populet; *pepulit*. Vinetis quodque; *quoque*. V. 7 Ne vaga; *nec*. V. 8 ut quam; *vel* quam. Consimilabitur; *assimilabitur*. V. 10 quare non *reveror*; *vereor*. Voce sonas; *sonans*. V. 14 sit vinum; *fit*. V. 16 plurima florum; *pluria*. V. 17 Robore dictorum; *doctorum*. Cap. II v. 1 Sed lilium; *& lilium*. Flos ego virgineus; *purpureus*. V. 2 Neu tibi; *ne*. V. 3 Concedit carper; *concedat*. Hujus; *Cujus*. V. 4 Viribus & totis; *ex*. V. 5 in fine, post versum: *ut bona ceperitis &c.* additur versus:

Languida sum mundo sponsi faciem sitiundo.

V. 9 Judicat hunc capreæ similem, mea mens hinuloque;

Hunc similem capreæ mea mens putat hinuleoque.

Sponsum conspiciamus; *adspiciamus*. Et velut acclivis; *acclinis*. V. 10 fratrem perspice; *fratrum prospice*. V. 13 materia juncta; *macheria*. V. 16 Et cum nox; *Ut cum*. Cap. III v. 2 docta nocivæ; *nocivis*. V. 3 descendens patris; *patris descendit*. Semper adhibebo; *adhærebo*. Vicem redhibebo; *redibo*. V. 4 spem præmeditari; *speciem*. Ut perfusa; *persuasa*. V. 6 comptio prolis; *contio*. Cordibus abjectis; *sordibus*. V. 7 robore pleni; *lecti*. Bella periti; *parati*. V. 8 His etenim bravii; *bravium*. V. 9 Esset ut ascensus; *accessus*. V. 10 non gloria; *nec*. Dilectio legis; *felix*. V. 11 Synagoga potenter; *patenter*. Cap. IV v. 1 pulchrius intus; *intro*. Æstimo amica; *existimo*. Caprinis gregibus; *caprigenis*. Purgatis sordibus; *sedibus*. Carnis quos implicat; *quas*. V. 2 nulla tenenda relinquunt; *caduca*. His ovibus tonsis; *hos*. Comitantur quaque gemel-

Digitized by Google

gemellus; *comitatur quamque.* V. 3 Nam quia prævalide; *tam.* Credo colore genas; *crede.* Pulchrius intus; *intro.* Hos in fine; *hoc.* V. 4 cum Dominus David; *ſum Dom.* Sic fidei veræ; *Hic.* Ut per tela; *&.* V. 6 Protinus his aſſum; *proximus.* V. 7 quam nota majorum; *quem.* V. 8 Qua juga; *quam.* V. 13 paradiſus adeſt; parad. *eſt.* Geſtuque decoris; *guſtu.* Qualem proferre colorem; *præferre.* V. 14 Ligna nec his; nec *hic.* Sic quoque ſunt humiles; *hic.* Præcluis; *præclivis.* Unguenta ut debile corpus; ung. *indebile.* V. 15 impete vaſto; *impetu.* A te plantatas; *plantatis.* Puteo nunc clauditur ille; *conditur.* Nunc quoque vivarum; *hunc.* Baptiſmaté locus; *lotus.* V. 16 Nunc quaſi torrentes; *terrentes.* Cap. V v. 1 Sponſus veniat; *veniens.* Nunc falſe; *falſo.* Sed neutris; *neutri.* Ipſi quoque mente; *quo.* Hi proceres; *hos.* Notandos habiles; *potandos. Fronte dapes*; & ſequentes quatuor verſus ita habet *Moltherus;* veluti exſtant in *MSto Rhedingeriano;* niſi quod in ſecundo pro *bibat libat* exhibeat. V. 2 te commiſcere; *commiſceto.* V. 3 vox inſiſtere amici; vox inſ. *ſponſi.* Semiverbia; *ſeminiverbia.* Facie quoque; *faciet.* V. 4 poſt verſum: *verbis & factis*, legitur alius:

U*pote* quæ *nollem verbi portare laborem.*

Miſeratio Chriſti; miſ. *ſponſi.* V. 5 Ut pedibus puleris proferrem munia; & ped. pul. prof. *nuncia.* Ut bona quæ; bona *cum.* V. 6 Ejus ad exemplum; *amplexum.* Nil libeat niſi commanſiſſe; niſi *tantum flere.* Res geminas petii, ſed quid det utramque pétenti; res gem. pet. *deſiderio icta fideli.* V. 7 mens raperetur; *rapiatur.* Mœnia Chriſti; *ſponſi.* Vulnera mœroris renovanda; *renovando.* V. 10 conſulta quid ſit ab omni; *quod abſit ab omni.* V. 11 Ut numerum; *&.* V. 12 Huic oculi; *hinc.* Gratia Chriſto; *ſponſo.* Scripturæ ſacræ; *ſanæ.* V. 13 Illius areolis; *illinc.* Qualis ab his herbis; *in his.* Coram poſitos vivit; *juvit.* Dat mortificatio; *det.* V. 14 dextera Chriſti; *ſponſi.* Firmavit dogmate; *dogmata.* Laſſusve quievit: *quieſcit.* V. 15 egreſſio Chriſti; *ſponſi.* Decet hunc forma; *docet.* V. 16 Quem ſiſtit Angelicus; *quam ſitit.* V. 17 tibi reddere par eſt; *tibi credere.* Cap. VI v. 1 paſcua carpat; *paſcula.*

Digitized by Google

fcula. Dogmata plantando; *dogmate*. V. 2 ſponſo ſervo; *ſponſa*. O animæ ſanctæ conſultum; *conſilium*. V. 4 ſemper eo tendas ſolum; *ſolii*. Finito hoc verſu, totidem ſyllabis repetuntur a *Moltbero*, quæ jam *Capitis quarti* ſub auſpicia poſita fuerant, a verbis: *æſtimo amica tuos;* usque ad verba: *non poſſunt eſſe bonorum*. Et bene quidem; cum & repetat textus ipſe ſacer, & hoc fieri debere, omnino expreſſe declaraverit *Willeramus*, ſcribens in Præfatione ſæpius laudata paullo ante finem: *Eisdem interdum utor verſibus; quia quæ Spiritus ſanctus eisdem verbis ſæpius* repetivit, *hæc etiam me eisdem verſibus ſæpius* repetere *non indecens viſum fuit*. Atque adeo inde patet, minus recte illos verſus a *Schiltero* fuiſſe omiſſos. Plane etiam alia a priori ſequitur verborum iſtorum *myſtica Willerami explanatio*. Omiſſus vero etiam eſt ibi ſequens verſus ſextus: *Sicut cortex mali punici, ſic genæ tuæ absque occultis tuis;* cujus παράφρασιν *Willeramianam* hanc ob cauſam huc transſcribimus, quæ ſic habet:

Crede colore genas tibi tali ſponſa refertas,
Ut, ſi frangantur, quæ punica mala vocantur:
Hoc tamen excepto, latitet quod pulchrius intro.
Cum ſint ſponſa tui Doctores more venuſti,
Eſſe verecundi cupiunt ad turpia mundi,
Sed rubor hos nullus vetat aut ſuffuſio vultus
Pendere lucra crucis, fuerat quæ paſſio turpis,
Gloria nunc mundi per clymata quadra rotundi
Et rubor ille mei quid ſanguinis attulit orbi?
Quantum candorem lucis vitæque nitorem
Edidit ad gentes in mortis valle ſedentes?
Hæc equidem vitæ gaudent myſteria ſcire.
Hæc quoque fraternis ardent reſerare catervis.
Officio tali merito ſunt hii modo clari.
Gloria mercedis, quæ nunc abſcondita cœlis,
Hos in fine manet, non hoc in tempore patet.

Additur & huic commati peculiaris Ἐξήγησις; nos interim παραφράσεως verſionem *Theotiſcam*, a neſcio quo negligenter omiſſam, ægre deſideramus in exemplo *Schilteriano*.

V. 7

Digitized by Google

V. 7, non 5, uti habetur in *Thesauro* fol. 48, merito distinguitur ordo, *meriti*. Hæ misere poterunt; *Rec.* V. 9 climate mundi; *climata*. Hortus ut auroræ; *ortus*. Fortiter æris; *aeriis*. V. 10 gratia tanta decoris; *datoris*. Sponsi cirucieus hortum; *ortum*. Cap. VII v. 1 Et motu verbi; *ex*. Jungit & unanimes; *una fides*. V. 2 frutetis; *fruteEtis*. Quam qui possessa; *quam ad*. Præmia utrimque; *utrumque*. V. 4 Et robur verbi; *viridi*. Robur præstat; *præstant*. Pastibus illecebrosis; *postibus*. V. 5 vincta canali; *juncta*. Circumcidet honeste; *circumcidit*. Sanguinis exemplum; *sanguine*. Atque colorandam; *utque*. V. 6 Jugiter æris; *aeriis*. V. 7 Fit parte; *fit*. Præmia vel laudes; *laudis*. Quin speres; *speras*. V. 8 Principe jam mundi; *nam*. Nunc quoque doctores; *tunc*. Fluet Allegoriæ; *fluit*. V. 9 Dentibus & labris; *labiis*. Grex animarum; *animatum*. V. 11 Dant germen; *florem*. V. 12 verbi solidentur; *solidetur*. V. 13, inter versum *Corporis humani*, & alterum: *Paullus ut prænumerat &c.* insertus est sequens, velut & in *MSto Rhedingeriano:*

Doctoris norunt passivo glutine morum.

Hic quoque doctores; *sic*. Nec pro spe: *ut*. Donetur quid mihi pro te; *quod* mihi *per* te. Cap. VIII v. 1 Et quem nunc; *ut*. V. 2 quo me perducas eodem; *quo per te ducar eodem*. Ponam tibi pocula; *promam*. Fecerit ut cupiant; *fecero quo* cupiant, atque rubore; *rubere*. Et quasi granatis; *de quasi*. Exemplum placet; *patet*. V. 3 Nam desideriis; *jam*. Pignora nunc mihi sunt; *tunc*. V. 4 placita; *placida*. V. 5 Inscia verbi; *veri*. Judææ cognita; *incognita*. Ergo per injunctam; *injustam*. V. 7 Læva meos; *sæva*. Mundatos in me; *fundatos*. V. 8 Glutine leni; *levi*. V. 9 Fidei nam robur; *nunc*. Indita divinis; *indita*. Glutine leni; *levi*. In fidei; *fideique*. V. 10 mea sed sunt ubera; *mea sunt sicut*. Qui fratrum; *matrum*. Blando dogmate; *blande*. V. 13 constantia magis; *jugis*.

ALBERTI RITTER, REGII GYMNASII, quod Ilfeldæ floret, Con-Rectoris, Lucubratiuncula II de Alabastris Schwartzburgicis; cui subnexa est re-

rum quarundam naturalium ejusdem terræ brevis delineatio; inſcripta maxime Reverendo, Ampliſſimo, Doctiſſimoque Viro, M. JOANNI CHRISTOPHORO OLEARIO, Templi quondam Monachorum diſcalceatorum, nunc primarii in urbe Arnſtadio, Archi-Diacono digniſſimo, fideliſſimo, Conſiſtorii principalis Aſſeſſori ſpectatiſſimo.

Absque mentione loci, 1732, 4.
Plag. 4, cum fig. æn. 1.

CUm priorem *de Alabaſtris Hohnſteinenſibus* Commentationem, memoratam in his *Actis Anno* ſuperiore *M. Febr. p. 75*, ederet Cl. Autor, non defuere, quibus ea legeretur cum voluptate, & continere bona multa diceretur. Ab his initurus gratiam, alteram jam *de Alabaſtris Schwartzburgicis* in lucem exire Diſſertatiunculam jubet, æquali ſtudio conſcriptam, & naturæ curioſis haud exiguo, quod auguramur, futuram oblectamento. Ordinem ſcribendi eum ſecutus eſt, ut primum de *Alabaſtris* generatim ageret, & de horum inprimis politura varia ſcitu non injucunda, &, præter artifices in hoc negotio verſantes, paucis huc usque cognita, expromeret, tum univerſum tractum Schwartzburgicum percurreret, &, quos oppidum aut pagus quisque præ ceteris haberet præcipuos, accurate alabaſtros exhiberet, de ſingulis notatu digna commemoraret, hisque demum rerum ſelectiſſimarum, quas natura his terris ſingulares dedit, brevem hiſtoriam ſubnecteret. Quæ de Alabaſtris hic docet, Lectorum perveſtigationi relicturi, ex his, quæ poſtremo loco addidit, cum Lectore communicabimus aliquot ſpecimina, in deſcribendis iis, ne minus congrue rem eloquamur, ipſis Autoris verbis uſuri. Meminit inter alia *rarioris imo rariſſimi, ad novem pollices longi, Sondershuſæ inventi, turbinitarum minimorum & nitidorum pollicis craſſi, incluſi lapidi cineraceo duriſſimo*, quem ubi propius conſpicias, vix ſimile quid vidiſſe te unquam recorderis. Nec minus commemorabilis videtur *Dendrites* ille, *qui eſt genus marmoris Florentini, & quidem lapis cæſius, lubricus, & tactu non aliter*

Tab. I Fig. 1.

Tab. I Fig. 2.

ac

TAB. I a

Fig. 1



Digitized by Google

ac ſapo Venetus , fruticeta vero & arbuſculæ , interdum vero in illo quaſi apum examina conſpiciuntur, eleganter colore nigro depictæ ipſum penetrant lapidem , & non in ſuperficie modo , uti communiter fit , hærent. Fatendum eſt, aſpectum hujus lapidis, prope pagum *Holtzengel* obvii, eſſe pulchrum prorſus atque elegantem, ut mirari vix ſatis poſſis naturæ in fingendis his rebus artificium. Jungimus his nitidum *Ammonis cornu, lineis undulatis quaſi cælatis excellenter efformatum*, miræ figuræ lapidem, quem inventum forte in monte Bonifacii (*Bonifacien Berg*) ipſe domum ſecum tulit Autor noſter. Denique pretii non eſſe nullius putamus *concham ſtriatam duplicatam, certe nitidiſſimam ſimul cum matrice ſua*, intra mœnia Arnſtadienſis urbis repertam, quam in ſcriniis ſuis ſervat, & obvio cuilibet pro humanitate ſua facillime oſtendit S. R. *Olearius*, rerum naturalium incomparabili ſcientia jam olim ſingularem famam conſecutus.

Tab. I Fig. 3.

Tab. I Fig. 4.

NOVA EX SUMMIS ALPIBUS VULGATA & Tabulis æneis colluſtrata a JOANNE JACOBO SCHEUCHZERO, Med. D. Math. Prof. Acad. Imperialis Carolinæ & Societ. Reg. Anglicæ & Pruſſicæ Membro.

Tiguri, typis Joannis Henrici Byrglini, 1731, fol. Plag. 3½, Tabb. æn. 5.

COmmunicat hic Cel. Autor obſervationes meteorologicas in monte *S. Gothardi* & Tiguri inſtitutas A. 1728 a menſe Auguſto usque ad finem anni. In montem ſcilicet *Gothardi*, qui ſupremus Europæ apex eſt, transferri juſſit barometrum, ibique apud Rev. P. P. Capucinos plantare, collatum prius & æquatum cum ſuo, quo quotidie utitur. Ibidem R. P. *Joſephus de Seſſa*, Capucinorum Prior, bis in die annotavit & barometri altitudinem, & cœli conſtitutionem : quod idem Tiguri fecit Autor. Obſervationes in utroque loco inſtitutæ uno conſpectu exhibentur, ut facilis ſit earundem collatio, variationes vero barometricæ Tabulis æneis inciſæ eo modo repræſentantur, qui hodie inter obſervatores invaluit. Differentia media in utroque loco menſe Auguſto fuit quoad Mercurii altitudinem $4'' \, 8\frac{1}{2}'''$, in ele-

Digitized by Google

elevatiori autem Gothardi culmine $5''\ 6'''$. Eadem differentia mense Septembri fuit $4''\ 9'''$, mense Octobri $4''\ 11'''$, mense Novembri $5''$ major, elevato quasi (quemadmodum Autor ait) ipso monte ultra suum terminum, & Decembri benique $4''\ 11\frac{1}{2}'''$.

NOVA LITERARIA.

Venetiis Propediem in officina *Francisci Pitberii* venale prostabit Opus eruditissimum, cui titulum Autor hunc fecit: *In duas celeberrimas Epistolas, quæ exstant inter Cyprianicas, adversus Decretum S. Stephani Papæ I, de non iterando Hæreticorum Baptismo; quarum altera est S. Cypriani, Carthaginiensis Episcopi, ad Pompejum, Episcopum Sabratensem, num. 74; altera S. Firmiliani, Cæsareæ Cappadocum Episcopi, ad eundem S. Cyprianum, num. 75; Dissertationes criticæ, quibus unam & alteram a Donatistis fuisse confictam nunc primus demonstrat* Fr. Raymundus Missorius, *Franciscanus Conventualis.* Præcipua hujus Operis momenta eo redeunt, *Eusebii* Cæsariensis Historiam de Orientalium atque Afrorum Anabaptismo in falsis habendam, Concilium Plenarium, cui Hæreticorum babtismum ratum fuisse dicat *Augustinus*, ad Arelatense referendum, S. Stephani Papæ Decretum seu confictum, seu turpiter a Donatistis adulteratum, Concilium Carthaginiense III ex numero Conciliorum removendum esse, pervulgatam distinctionem de fidei ac disciplinæ quæstione Anabaptismi causæ non congruere, denique Rebaptizantis maculam, quæ jam prorsus inveteraverit in nomine *Cypriani*, immerito prorsus ei fuisse inustam. Adhæc, quod maximam Operis partem conficit, abstrusum Donatistarum & verum *S. Augustini* contra Donatistas Systema diligenter explicatur, & ex limpidissimis Historiæ Ecclesiasticæ fontibus in clarissimam lucem profertur.

Veronæ *Joannes Albertus Tumermannus*, celebris hujus urbis Typographus, nunc in eo est, ut *Dionysii Longini* aureolum περὶ ὕψους librum post *Francisci Robortelli, Pauli Manutii, Gabr. Petræ & Jac. Tollii*, aliorumque, editiones, Græce, Latine, Hetrusce & Gallice, in 4 majori prelo subjiciat.

Tex-

Textum Græcum, variis lectionibus atque annotationibus inſtructum, & verſionem Latinam ex editione Oxonienſi 1710, 8, quam *Joanni Hudſono* debemus, Gallicam ex Operibus *Nic. Boilavii*, una cum *Io. Clerici* & aliorum Diſſertationibus, in eisdem obviis, repetet. Hetruſcam converſionem duplicem exhibebit, alteram *Pinelli* Florentini, elegantem hodieque rariorem, alteram *Joannis Falgani aut de Falgano*, qui circa A. 1570 floruit, & inter claros Academicos Florentinos locum habuit, antea nondum publicatam. Excudetur textus cum his verſionibus in quatuor columnis, &, qui in præſenti ſeptem denarios Venetos (*lire Veneziane*) & finita editione, quod intra ſemeſtre ſpatium futurum cenſet, adhuc ſeptem eidem ſolvet, exemplum in charta optima nanciſcetur. Præfigentur etiam nomina eorum, qui ſubſcriptione ſua hoc Opus juverunt, quod ab erroribus operarum diligenter repurgare, variisque iconibus illuſtrare idem promittit.

Pariſiis *Carolus Osmont*, Typographus, novam *Freſnæi Gloſſarii Latini*, octo Voluminibus comprehenſam, ſub prelo habet editionem, a PP. Bened. Congreg. S. Mauri multis modis auctam, & paſſim emendatam feliciſſime. Hujus Operis venum exponet ſub initium A. 1733 Tomos quatuor priores. Complectitur inprimis Tomus IV præter alia Commentationem de omnibus, præſertim quæ hodie in Gallia uſu veniunt, monetis. Hujus primas quidem lineas duxerat, ſed affectam reliquerat, *Ducangius*; poſtea ope multorum æque MStorum, ac annotationum clariſſimi *Graſſini*, rei monetariæ ſupremi in Gallia præfecti, in meliorem formam redacta, multisque figuris, affabre in æs inciſis, exornata fuit. Menſe Aprili anni 1734 V atque VI, nec ita multo poſt VII atque VIII ejusdem Operis Tomos in manus eruditorum dabit *Osmontius*. Complectentur autem duo Tomi poſteriores *Ducangii* pariter atque aliorum eruditas Diſſertationes, una cum Indicibus & Supplementis. Ne igitur emtoribus caro nimis liber iſte conſtet, Tomos IV priores ſibi comparaturis eosdem, 33 thaleris imperialibus & 8 groſſis exſolutis, transmittet, in conſtituendo reliquorum pretio haud minus rationem æquitatis habiturus. Ex Germanis noſtris ſi qui e re ſua eſſe judicaverint, copiam ſibi fieri

 præſtan-

præſtantiſſimi Operis, hi pretium, modo indicatum, *Caſp. Fritſchio*, nobiliſſimo civitatis noſtræ Typographo, exſolvant, librum ipſum circa Feſtum Paſchatos præſentis anni certiſſime accepturi.

Berruyerius, e Soc. Jeſu, qui nuper edidit Animadverſiones in *Baylii* de S. Auguſtino ſententiam, (*Refutation des Critiques de Mr. Bayle ſur S. Auguſtin*) meditatur jam in univerſum Dictionarium ejusdem Criticam, quam, partitis cum amico quodam operis, ſperat, fore, ut intra biennium abſolvat. Ipſe rebus ſacris, ſocius profanis, vacabit. Integrum Opus, ad Lexici modum conſcriptum, quatuor grandioris formæ Voluminibus conſtabit. Atque idem hic eſt *Berruyerius*, qui aliquot abhinc retro annis famoſiſſimum illud Opus, *Hiſtoire du Peuple de Dieu*, VII Vol. in 4, in lucem publicam emiſit. Recenſetur in eodem hiſtoria V. Teſtamenti, at ſermone tam turpi, tamque profano, ut a plurimis Galliæ Epiſcopis ſolenni Edicto liber damnatus ſit, inprimis ab Epiſcopo Montispeſſulano. Multo tamen pejorem adhuc eum, ſunt, qui exiſtiment, futurum fuiſſe, niſi *Tourneminius* varia in illo emendaſſet.

Circumferunt hic Jeſuitæ certum librorum, a ſuis conſcriptorum, catalogum, quos præ reliquis magna laude extollunt. Complectitur ille, præter alios, *Du Chesne* hiſtoriam Bajoniſmi, *Longuevalli* hiſtoriam eccleſiæ Gallicæ, *Buffierii* Argumenta ad probandam veritatem religionis Chriſtianæ collecta, denique infauſtum, cujus modo indicium fecimus, illum *Berruyerii* fœtum. De quibus forte haud præter rem Autor *Novellarum Eccleſiaſticarum* non ita pridem judicavit: *Tous ces ouvrages ſont faits, pour remplacer les bons livres, qu' on a deſſein de proſcrire.*

Dom *Remi Ceillier*, Monachus Benedictinus, inſigne Opus edere cœpit, inſcriptum: *Hiſtoire generale des Auteurs ſacrés & Eccleſiaſtiques, qui contient leur vie, le catalogue, la Critique, le Jugement, la Chronologie, l' analyſe & le denombrement des differentes editions, ce qu'ils referment de plus intereſſant ſur le dogme, la morale & ſur la diſcipline de l' Egliſe, l' hiſtoire des conciles &c.* Hujus Operis jam proſtant Tomi III in 4, & vineta *du Pinii*, qui in

Digitized by Google

in eodem argumento quondam verſatus eſt, Autorem cædere, nemo non intelligit. Ad *Guil. Cavei* atque *Caſim. Oudini* Opera num Supplementa hic quærenda ſint, ipſa Operis inſpectio quemque docebit.

Joannes Brædelet, Bibliopola Trajectinus, edicit Lectoribus, ſe proximo die 21 Jan. præſentis anni ſubſcriptoribus traditurum iteratam editionem *Theſauri Juris Romani, qui continet rariora meliorum interpretum Opuſcula, in quibus Jus Romanum emendatur, explicatur, illuſtratur, itemque Claſſicis aliisque Autoribus haud raro lumen accenditur; cum Præfatione* Ev. Ottonis, *JCti & Anteceſſoris. IV Vol. in Folio.* Quare, qui nomina dedere, rogantur, ut ei, ſoluto vecturæ pretio, remittant apochas cum reliquis nummis, quos ex conditionibus publicatis debent, (quo ſine nullum exemplar tradetur) nempe pro charta regia 40 flor. pro minore 27 flor. Belgicos. Nihil opus erit hujus Operis præſtantiam denuo commendare poſt tam honorifica de eo in compluribus Actis literariis judicia; ſed ſatis erit indicaſſe, quibus in rebus hæc editio priori ſit potior. Chartarum typorumque elegantia, qua priorem antecedit, in his vel minimum locum obtinet, cum alia ſint commoda longe majora, quorum en tibi brevem enumerationem. Hæc editio aucta erit Tomo quinto, qui conſtabit collectione Autorum æque excellentium & raro obviorum, ac Tomi IV præcedentes. Erunt enim pleraque ejus Opuſcula judicio ejusdem Ampliſſimi atque Illuſtriſſimi *Bynkershœkii* comprobata, cujus ſalutari conſilio delecta erant priora: quorumque Catalogum cum conditionibus, quibus quintus ille Tomus typis mandabitur, brevi in vulgus editurus eſt *Brædeletius.* Præfationes, prioribus Tomis præmiſſæ, altero fere tanto ab Autore ſuo, Cl. *Ottone*, ſunt adauctæ, quæ acceſſio ut Operi non exiguum ſplendorem conciliat, ita Lectori non levem utilitatem afferet; quippe eæ omnes id agunt, ut plura ab Autoribus minus plane tradita, inprimis de nominibus propriis Pandectarum & de Legibus XII Tabularum, ſuppleant, alia non ſatis accurate ab illis poſita emendent, nec paucas conjecturas & judicia Lectoris judicio ſubmittant. Præter hæc incrementa plus quam quingenti errores Juridici, Gramma-

Digitized by Google

matici & Orthographici, non modo a typothetis & correctoribus prioribus, sed ab ipsis quoque Autoribus, commissi, attentissima animadversione sunt sublati, quorum pars sensum orationis obscurum reddebat, pars plane corrumpebat atque auferebat. Si cui volupe est cognoscere, quot verborum monstra correcta, conferat scripta *Fornerii*, *Suerinii*, *Marcilii*, *Perrenonii*, *Zoannetti Prateji*, *Freberi*, *Catharini*, *Osii Aurelii*, nec non *Jac. Gothofredi*. Quin & *Pulvaeo* ad Legem Atiniam & *Fabroti* Exercitationibus integræ periodi omissæ sunt adjectæ. *Ferandus Adduensis* & *Catharinus* jam Capitum numeris sunt distincti, ut observationes eorum commodius laudari, & laudatæ reperiri possint. Multis item locis Capita Historicorum, versus Poetarum, & sedes Inscriptionum *Gruteri* appositæ, aut correctæ. Verba veterum literis currentibus distincta, eademque ad recentiores Editiones non semel emendata. Millies denique interpunctionum vitia correcta, quæ sensum sæpe mirifice perturbabant, aut legentibus negotium facessebant, parenthesibus item inclusa, quæ ad filum orationis non pertinebant. Ad hæc tam accurate constituenda & sollicite corrigenda, præter Virum Cl. non parum industriæ contulit Corrector, in hoc laboris genere versatissimus, qui præterea multos Capitum & versuum sacri Codicis numeros supplevit, vitiosos emendavit, indicemque locorum Biblicorum illustratorum confecit, qui ceteris adjicietur. Quanquam vero insignia illa Præfationum, Indicis atque correctionum, augmenta Operis magnitudinem adeoque & sumtus auxerint; tamen nihil amplius sibi solvi a subscriptoribus postulat præter id, quod ex conditionibus debetur. Ne tamen editio prior prorsus inutilis reddatur, quædam exemplaria Præfationum seorsum sunt impressa, quæ vendentur flor. 2 - 10 St. pro charta minore, 4 vero fl. pro majore. Si quos nomen non dedisse pœnitet, poterunt hanc novam Operis Editionem adhuc sibi comparare pretio 45 florenorum. Nos cupidissime expectamus Opus egregium & accommodatum ad usum publicum, precamurque ex animo, ut ad similes conatus Viro optimo, *Bredeltio*, vires in posterum & fortunæ sufficiant.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Fèbruarii Anno MDCCXXXIII.

سيرة السلطان الملك الناصر صلاح
الدين ابي مظفر يوسف بن ايوب
بن شذي

VITA ET RES GESTÆ SULTANI, ALMAlichi Alnasiri, SALADINI, Abi Modaffiri Josephi F. Jobi F. Sjadsi, Autore BOHADINO F. Sjeddadi; nec non Excerpta ex Historia Universali ABULFEDÆ, easdem res gestas reliquamque historiam temporis compendiose exhibentia; itemque Specimen ex Historia majore SALADINI, grandiore cothurno conscripta ab AMADODDINO, Isspahanensi. Ex MSS. Arabicis Academiæ Lugduno-Batavæ edidit & latine vertit ALBERTUS SCHULTENS. Accedit Index Commentariusque Geographicus, ex MSS. ejusdem Bibliothecæ contextus.

Lugduni Batavorum, apud Sam. Luchtmanns, 1732, fol. Alph. 5.

L*Evinus Warnerus*, qui medio seculo superiore in urbem Haleppensem se, splendido ornatus munere, & inde Constantinopolim contulerat, opima sibi magnis sumtibus MSta collegit. Hæc Academiæ Lugduno-Batavæ legato cesserunt; quibus interpres constitutus ante biennium fuit

 Cele-

Celeberrimus Vir, *Albertus Schultens*, ex Academia Franequerana illuc ad obeundum Collegii Theol. regimen, & ad docendas literas Orientales evocatus. Nolunt Illuſtres Academiæ Curatores, illa ſua cimelia condita clauſaque jacere, ſed ad orbis eruditi emolumentum expromi; quorum liberalitate laudatiſſimus Editor hujus Operis utendum eſſe exiſtimans, poſt emiſſum ante aliquot menſes *Haririi* ſpecimen, nuper *Saladini Vitam*, plura inpoſterum editurus, rerum literarumque orientalium amantibus exhibuit.

Heros, cujus res geſtæ hoc codice commemorantur,
Præf.fol.1.a. eſt *Saladinus*, Chriſtianorum Europæorum in Palæſtina Sec. XII victor; quod nomen tamen appellativum eſt, *ſalutem religionis* notans. Idem de reliquis ejus titulis ſtatuendum.
b. Nam, *Sultanus* quid ſit, nemini eſt incompertum, *Almalichus Alnaſirus* eſt *Rex defenſor*, *Abi Modaffir*, *patrem vincentem* ſignificat. Ita ſalutatus videtur ob rapidiſſimum victoriarum curſum, quo potentiſſimos hoſtes proſtravit. Proprium ejus nomen eſt *Joſephus*; quæ ſequuntur, patris avique nomina.
2. a Autor Vitæ eſt *Bohadinus*, filius *Sjeddadi*, cujus nomen, cum in fronte MSti non compareat, aliunde evincit Cel. Editor, v. g. in Excerptis *Abulfedæis*, quæ hoc ipſo Opere exhibentur, p. 61 aſſeritur, judicem *Bohadinum*, filium *Sjeddadi*, acceſſiſſe demum, poſtquam Saladinus exſpiraſſet; id ipſum cum de ſe narret Noſter, in Vita ejus p. 276, nihil dubii circa
1. a. Autorem reliquum eſſe videtur. Hinc erravit Catalogus Bibliothecæ Lugduno-Batavæ, tum qui A. 1674 prodiit, p. 292, n. 11, *Ibn Abbas Gazæum*, tum qui A. 1716, p. 483 n. 1819, *Abu*
2. b. *Mudaffir Juſuf Ibn Sjadi* vitæ Saladini ſcriptorem nominans. Fuit autem *Bohadinus* noſter in ipſo Saladini comitatu, omnium fere teſtis αὐτόπτης, ceterorum autem, quæ ipſe non vidit, a fide digniſſimis certior factus; adeoque in-
3. a. ter Hiſtoricorum primos referendus. Ceterum, ut illaudata quædam ſui Saladini facinora incruſtat, ita tamen in reliquis probi Hiſtorici partes explet, dum acceptas ab illo clades &
b. hoſtium virtutem non diſſimulat. Accedit ſtili ſimplicitas, fidei & ingenuæ mentis teſtis. In hoc tamen officio non ſatiſ-

ſatisfeciſſe ſuo argui poſſit, quod, quæ Saladinus ſub initium imperii per Ægyptum, Arabiam, Syriam, Meſopotamiam, Aſſyriam, Armeniam, geſſit, ſaltim obiter attingit, nec, quod nemo illo potuiſſet melius, eadem diligentia, qua expeditionem in Francos, deſcribit. De ejus patria & gente nihil certi affirmari poteſt; dignitate fuiſſe القاضي *Alcadium*, ſive judicem, paulo ante fuit monitum. Quo nomine cum ipſe etiam primarius ſacrorum antiſtes (*Muſty* vulgo dictus) veniat, *Bobadinum* his ipſis honoribus exſplenduiſſe, exinde non improbabile eſt, quia ſcribendi ratio ubique virum eccleſiaſticum prodit. V. g. cum, ubi Sultanum nominat, ubique addit رحمه الله *miſereatur ejus Deus*, vel رحمة الله عليه *miſericordia Dei ſuper eo ſit*, vel, quoties de urbibus Islamiticis loquitur, formulam ſolennem ſubjungit حرسها الله *Cuſtodiat eas Deus*, vel, cum Francorum mentionem facit, لعنهم الله *Maledicat illis Deus*, addit. Sic, religionis antiſtitem fuiſſe *Bohadinum*, forte exinde colligas, quod illi ſanctiſſimi Gymnaſii regimen Hieroſolymis commiſſum fuit, idemque Sultano peregrinationis Meccanæ capeſſendæ autor exitit.

Præf.fol.1.b.

3. a.

b.

4. a.

Pergit Præfatio ad *Amadoddinum*, alterum belli ſacri Saladinici buccinatorem, a patria Iſpahano *Iſpahanenſem*, a munere الكاتب *Alkateb*, ſive a ſecretis, dictum; cujus inter varia Opera, ab *Herbelotio* in Bibliotheca Orientali allegata, extat جريدة العصر *palma ſeculi*, magnumque Opus البرق الشامي *Lumen Syriæ*, vel rectius *fulmen Syriæ*, Hiſtoriam Saladini ſeptem Voluminibus proſequens. Hoc Opus *Amadoddini*, ex quo ſpecimen aliquod Cel. Editor ſuo *Bobadino* ſubjicit, quodque ignotum *Herbelotio* fuiſſe videtur, inſcribitur: كتاب الفتح القسي في الفتح القدسي *Liber eloquentiæ Cuſſiticæ in expugnatione Kudſitica.* Ad quem obſcurum titulum intelligendum facit, noſſe, inter Arabes dicendo valuiſſe *Kuſ-*

b.

ſum, unde proverbium أبلغ من قس *facundior Kuſſo*, & *Kudſum* appellari urbem Hieroſolymitanam. Unde apparet ſenſus. Idem liber in Catalogis Bibliothecæ Lugduno-Batavæ aliis verbis indicatur, & quidem in veteri p. 293. n. 21: *Palæſtinæ ab Arabibus recuperatæ Hiſtoria, Autore Coresjio Sphahanenſi*; in recentiore n. 1800 accuratius: *Abu Abdallæ Muhammed Ben Muhammed Coreisjitæ Iſpahanenſis Hiſtoria belli ſacri inter Saracenos & Francos geſti*, anno 583 ad 587 Hegiræ. Stilo ſcriptum eſt hoc *Amadoddini* Opus tumido & ſublimi, meriſque figurarum fulminibus referto, ſæpe tamen jucunda etiam dictione lectorum animos demulcet.
Præf. fol. 5. a Nec parum lucis inde ad plura obſcura *Bohadini* loca intelligenda ſibi affulſiſſe, lubens gratusque fatetur Editor, uſumque ſibi illius inſignem pollicetur in contexendo *Commentario Hiſtorico & Critico* ſuper res a Saladino geſtas, quo *quod Bohadinus tranſcurrit, ſe preſſius decurſurum, vel potius perambulaturum, ad facemque*, ipſius verba ſunt, *lucidam temporum perluſtraturum*, tum promittit, *ſi non omnino pœnitendum laborem in Saladino producendo contriviſſe ſe perſentiſcat, hoc eſt, ſi in Bibliopolæ ſui manum repræſentetur, haud diſplicuiſſe orbi erudito corpus ipſum Hiſtoriæ hujus Saladinicæ.*

Ad *Iſmaelem* denique *Abulſedam* progreditur doctiſſimus Præfator, ex cujus *Hiſtoria univerſali* excerpta in Operis hujus auctario primo ſubjicit. Is a fratre Saladini ortus, Hamatenſis provinciæ in Syria principatum tenuit. Natus anno Hegiræ 672, Chriſti 1273, Rex ſeu Sultanus renunciatus anno Heg. 720, Chriſti 1320; obiit Heg. 733, Chriſti 1332, autore *Jo. Gagnierio* Præf. ad vitam & res geſtas Mohammedis, ex *Abulfedæ* Comp. Hiſt. Univerſ. primo omnium a
h. ſe editas, & verſione ac notis illuſtratus. Ceterum *Abulfeda* ſuam Hiſtoriam ad annum Hegiræ 730 produxit, teſte exemplari Lugduno-Batavo, completiori, quam, quo uſus eſt laudatus *Gagnierius*, quod in die 10 menſis Moharram 712 deſinere, ipſe Præfatione modo commemorata autor eſt.
6. b. Princeps hic literatiſſimus, variaque ſcientia, Medica, Philoſophi-

sophica, Astronomica, poetica, clarus, præter hoc Historiæ compendium, etiam Librum تقويم البلدان *Takwymol-Buldan*, quod *rectam Constitutionem regionum*, sive canonem Geographicum, sonat, scripsit. Totum Opus XXVIII tabulis absolvitur, quarum tres jam sunt editæ; *prima* Arabiam, in Geograph. minoribus *Hudsonianis*, *vicesima quinta* ac *sexta*, *Chowarezmiam* & *Mawaralnahram* delineans, ex versione *Jo. Gravii*, Mathematici Angli, qui medio seculo superiore *epochas celebriores Ulug-Beigi*, atque geminæ *Abulfedaæ* Tabulæ specimen edidit, idque Syntagma Geographicum anno Heg. 721, Christi 1321, absolutum affirmat. Universam Geographiam *Abulfedaam* se editurum, *Gagnierius* Præf. ad vitam Mahom. promisit. Tenendum tamen, illum *Longitudines locorum* non ab *Insulis fortunatis*, ut *Ptolemæus*, & ceteri tum Græci tum Latini, ac plerique Arabes, sed a continente extremæ Africæ, ultimoque promontorio, quod mare Atlanticum alluit, ducere; unde decem graduum differentia existit.

Præf. fol. 7. a

Sub Præfationis finem cujusdam Lexici Geographici, quod noctem sibi in multis discussisse, alias insuperabilem, Cel. *Schultens* fatetur, fit mentio, in Catal. Biblioth. Batavæ n. 1703 his verbis indicati: *Jacouth Hamatensis Thesauri Geographici Compendium Ord. Alph.* & mox n. 1705: *Abu Abdalla Zacouth Hamatensis Thesaurus Geographicus.* Ejus autem titulus Arabicus est, &c. كتاب مراصد الاطلاع Liber *Mararisd Alitlai*, i. e. *Liber Observatoriorum*, unde prospicitur in nomina locorum & plagarum, cujus Autorem non esse *Jacouthum* Hamatensem, inde apparet, quod anno Heg. 997 absolutus est, uti ex verbis, calci ejus adscriptis, colligere est, satis longo post *Jacouthi* fata tempore; *Safiedino Abdalmoumeni Ben Abdelhak* potius illum deberi docet *Herbelotius* Biblioth. Orient. Videtur autem ille *Marasid* Compendium esse magni cujusdam Thesauri Geographici, كتاب المعجم الكبير i. e. *Liber Musjim* magni, dicti

dicti, 784 Capitibus digesti Ord. Alph. duorum Tomorum. Hæc historiæ literariæ amantibus haud ingrata futura ex Præfatione Operi præmissa adducere visum fuit.

Opus ipsum in duas *Bohadinus* Partes distribuit, quarum prior Saladini nativitatem, dotes & mores, Capp. VIII,
p. 3. altera res ejus gestas Capp. CLXXX exhibet. Natum anno Hegiræ 532, qui est a N. C. 1137, patre Jobo Ibn Schjadsi, ar-
5. cis Tecritæ præfecto, perhibet. Religionis principia ita ait calluisse, ut de præcipuis ejus capitibus docte dissereret, liberos suos ipse doceret, & recitantes audiret; ita liberalem fuisse, ut, cum regales teneret divitias, decedens nihil auri præter 47 nummos argenteos Naziriticos, unum nummulum aureum, nec quidquam fundorum, ad hæredem transmitteret;
7. Alcorani ita amantem, ut, illo prælecto, plerumque, uti erat homo in lachrymas facilis, illas non teneret, sique quos audiret peritos illius doctores, ad se in aulam arcessitos cupide auscultaret, sin ex iis essent, qui regum ædes frequentare
11. 12. non solerent, ad eos ultro ventitaret; ad condonandas injurias ita pronum, ut, cum *Omarus* quidam eum ereptarum sibi magnarum opum coram tribunali accusaret, ab actore, post cognitam causam, quod mala fide cum Sultano egisset, convicto, non solum pœnas justas non sumeret, sed & veste splendida largaque pecuniæ summa ornatum a se dimitteret; ita justum, fortem, patientem, clementem, affabilem, ut nemo magis.

Cum res ab eo gestas exponit, hanc Saladino obtigisse inclarescendi occasionem affirmat. Ejectus Ægypto per *Dargamum* quendam Vezirius ejus imperii *Sjavarus*, ad *Nour-*
31. *redinum* Syriæ moderatorem supplex confugit. Is *Asedoddinum* cum exercitu ad res recuperandas mittit, qui Sjavarum, *Saladini* nostri, comitis tum sui, consiliis & fortitudine ac felicitate adjutus, facile restituit. Interim Asedoddinus ipse desiderio Ægypti potiundæ capitur; quod intelligens Sjavarus *Francos*, Hierosolymitanum tunc regnum tenentes, in auxilium vocat. At illi, post variam cum Asedoddino pugnam acceptamque cladem, inde recedere coguntur, pacta pace,

qua

Digitized by Google

qua, ſe Ægypto abſtinere velle, promittebant. Revertitur & Aſedoddinus in Syriam. Mox, promiſſi immemores redeunt. At Sjavarus, ut, quos ſuis provinciis inhiare intelligebat, a ſe amoliretur, Aſedoddinum revocat. Quem metuentes Franci, pedem referunt. Aſedoddinus, tum quod impenſas factas Sjavarus nondum rependerat, tum metu, ne poſt ſuum diſceſſum Franci redirent, cum copiis ibi remanet. Cumque appareret, Sjavarum nunc ſocios, nunc Francos, ludere, eum per Saladinum ex inſidiis capit; quo trucidato, Ægyptii Aſedoddinum declarant Vezirium. Hoc paulo p. 34.
poſt mortuo, ad Saladinum defertur imperium. Ab eo tempore ſe totum ad bellum ſacrum contra Francos accingit. Hanc ei felicitatem invidentes Franci, ſpe Ægypti occupandæ, Damiatam urbem fruſtra obſident. Circa illud tempus 35. 36.
Cundum aliquem, Ægyptios denuo concitantem, ſubigit, Francosque, nova iſta turbatione ad ſpem Ægypti occupandæ reverſos, ideoque Alexandriam oppugnantes, inde depellit. 40.
Novum nactus adverſarium, Saiphoddinum, Moſulæ Dominum, felicitati ſuæ ac rebus creſcentibus invidentem, felici prælio ſuperat. Hinc in Ægyptum reverſus, compoſitis ibi rebus, ad bellum ſacrum contra Francos in Palæſtinam redit, 41. 43. 45.
quos ad *Ramlam*, urbem Hieroſolymis iter diei diſtantem, quam Chriſtiani ſcriptores Ramam ſive Arimathæam veterem fuiſſe ajunt, aggreſſus, ab illis, duce eorum *Arnaldo*, 46.
funditur. Cladem hanc prælio *Hittinenſi* (*Hittyn* vicus eſt inter Tiberiadem & Ptolemaidem,) reparat. Vivi in poteſtatem veniunt Rex Francorum, *Guido*, frater ejus, & inter multos alios proceres *Arnaldus*. Huic inprimis infenſus Saladinus, quia tempore induciarum catervam viatorum, ex Ægypto regiones ipſius tranſeuntem, in carceres conjecerat, 27.
iisque, cum ad inducias provocarent, illuſerat, *veſter hinc vos eripiat Mahomedes*, inquiens, ſua ſe illum manu propterea trucidaturum, ſi unquam ejus potiretur, ſolenni voto in ſe ſuſceperat. Ergo illum una cum Rege capto ad ſe arceſſitum, iſto dimiſſo, *Reges enim a regibus trucidari non ſolere*, acinace ferit, qui adſtant, conficiunt. Prænunciabat ei haud obſcu-

Digitized by Google

p. 70. 71. obscure exitium, dum ad se adducto potum negabat, quem tamen Regi Guidoni præbebat. Mos enim est Arabum, vinctos, quibus potum cibumve præbuerunt, non lædere; tantum tribuunt humanitati & hospitalitati. Paulo post ipsa
73. Hierosolyma expugnat, die, in cujus noctem memoria itineris cœlestis a Mahomede suscepti, incidebat; manifesto, ut ipse quidem existimabat, indicio, operam suam, in liberanda urbe sancta præstitam, Deo pergratam fuisse. Eadem
75. facilitate se Tyrum sperans expugnaturum, clade navali accepta, re infecta discedit. Interim Rex Alemannorum (Fri-
119. dricum I fuisse constat) in subsidium venit, cujus ingentes copias sævissima fame in itinere vexatas, magnam armorum vim, quæ portare amplius non valuerint, in unum cumulum congessisse; ex eo incenso ferri tumulum supermansisse, Regem autem in flumine ad civitatem Tarsensem lavandi causa natantem, morbo inde contractio periisse, non tam affir-
120.124. mat *Bohadinus* autor, quam, famam tum fuisse, ait. Hujus post mortem exercitui præficitur filius, numeroso quidem, sed debili & morbis fracto; qui paulo post, prælio in extrema ora maris commisso, ita accipitur, ut per parasangæ spatium porrecta jacerent cadavera, decem tantummodo ex Musul-
127. mannis, iisque obscuris & ignobilibus, desideratis. Quatuor in exercitu feminæ strenue pugnarant, quarum duæ occubuere,
130. 131. duæ captæ sunt. Inserta est h. l. Epistola Isaacii, Constantinopolit. Imperatoris ad Saladinum, ex qua de fœdere inter utrumque constat. Finem facit his verbis (ex translatione Cl. „Editoris): „Ceterum quid ita oblitus nostræ Societatis, Ma„jestati meæ nihil significasti de iis, quæ intendis, quæque „moliris? Omnino liquet Majestati meæ, aliud nihil me ex „amicitia tua fecisse lucri, quam immicitiam totius Francici
159. 160. „generis.„ Post hæc commemoratur Regum Angliæ & Galliæ cum ingentibus copiis adventus, variæque victoriæ, & alia, quæ ad illustrandam eorum temporum historiam, in quas *Tertia*, ut appellant, *Expeditio sacra* incidit, non parum faciunt. Definit tandem totum Opus in morte *Saladini*, post
276. morbum XII dierum extincti, anno Hegiræ 589, Christi 1193.

Se-

Digitized by Google

Sequuntur duo Auctaria, alterum Excerpta ex Hiſtoria Univerſali Principis Hamatæ, (Syriæ urbis, olim חמת dictæ Jerem. XLIX, 23, Am. VI, 2,) *Abulfedæ*; alterum, Selecta quædam ex *Amadoddini* libro Eloquentiæ Kuſliticæ, doctis Celeb. Editoris obſervationibus illuſtrata, continens. De utroque ſupra ex ejusdem Præfatione, quantum ſatis eſſe poteſt, dictum fuit; cui, ut, quæ ad ornandas juvandasque orientales literas animo molitur, feliciter abſolvat, animi corporisque vires precamur.

DOMINICI MARIÆ MANNII DE FLOrentinis Inventis Commentarium.

Ferrariæ, ex Typographia Bernardini Pomatelli, 1731, 4.
Plag. 15.

EXſtant, atque curioſis doctorum manibus teruntur varii *de rerum Inventoribus* ſcriptores. Commode inter priſcos in hunc cenſum retuleris ſtupendum *C. Plinii ſecundi* de natura rerum Opus, quod unum hujus generis temporis edacitatem evaſit, ampliſſimi profecto uſus, neque a fabulis tamen immune prorſus. Recentiori ætate nota humaniori cuivis *Polydori Vergilii*, Urbinatis, *M. Antonii Sabellici*, *Joannis Matthæi*, Lunenſis, *Vincentii Bruni*, Amalphitani, *Alexandri Sardi*, Ferrarienſis, *Guilielmi Paſtregici*, *Gilberti Cognati*, *Guidonis Pancirolli*, *Theodori Janſonii ab Almeloveen*, *Joannis Chriſtophori Sturmii*, *Georgii Paſchii*, & forte adhuc aliorum, nomina, ob collatam in hujus argumenti elaborationem induſtriam, celebranda occurrunt. Idem animum apud ſuum vel nuper demum deſtinavit *Joſephus Lanzonus*, Ferrarienſis, primarius Phil. & Med. in Patrio Lyceo Profeſſor, optime meritus de civitate erudita; ſed morte A. 1730 præpeditus, effectum dare non potuit. Enimvero & illi, quos laudavimus modo, Autores ſuis quisque defectibus premuntur atque vitiis non ſane exiguis. Alii, quod univerſi argumenti infinitum fere ambitum emetiri præſumſerint inaniter, dum per plura mentem circumferunt, minorem ad ſingula ſenſum ſibi fuiſſe abunde commonſtrant.

ſtrant. In aliis juſtum deſideres ordinem, in aliis teſtimoniorum fidem debite adductam riteque expenſam; alia iterum in aliis. Vel unus *Vergilii* liber infinitis jam antea mendis, gerris, fabulis, inquinatus, male ſedula tot Continuatorum Gloſſatorumque contentione ita in conſpectum hominum proditus eſt, ut ſatius fere eſſet, nunquam fuiſſe exſcriptum. Hoc tamen præcipue peccatum urget inter hujus materiæ Commentatores haud unum, quod, cæco quodam ſuæ, ex qua nati ſunt, gentis amore abrepti, juſtitiæve obliti omnis, ſi quid laudabile in humanis rebus detectum atque inventum reperiant, ſtatim illud ſuis civibus inconſiderate adſcribant, cum reliquarum nationum invidia ac contemtu. Advertit Cl. *Mannius*, ita cum Italis quandoque agere quosdam Transalpinos; quos *ceteroquin ſuis laudibus refertiſſimos* ultro agnoſcit; ſtatuitque hinc publico quodam ſcripto vindicare tam atrocem gentilium ſuorum injuriam. Pronum admodum, ait, hoc ſibi futurum eſſe ad efficiendum de *Romanis*, *Bononienſibus*, *Venetiis*, *Neapolitanis*, &c. rerum inventoribus: Maluiſſe tamen præſenti Commentatione initium capere a *Florentinis*, qui communi civitatis jure propius ipſum reliquis attingerent, & iniquius ereptam illis ab exteris inventorum quorundam gloriam poſtliminio reſtituere, horum autem plagiis debitum incutere pudorem. Perplacuit ipſi & hoc nomine iſtud conſilium deinceps, quod inaudiiſſet, ſimilia prorſus animo volvere Cl. *Hyacinthum Gimmam*, Neapolitanum, ex *Italiæ eruditæ Hiſtoria* nobiliſſimum, quem & executurum, quæ promiſiſſet, eſſe fas foret confidere.

In quinquaginta tria Capita diſtribuit omnino Noſter opellam ſuam, a Typographo Eminentiſſ. R. E. Cardinali, *Alexandro Aldobrandino*, veteri gentis ſuæ ſplendidiſſimæ exemplo ſummo literarum Mecænati, ex merito inſcriptam. Priora quatuordecim noſtram, qui *Eruditorum Acta* prodimus memoriæ, curam non adeo requirere hic videntur, quod de primis familiarum quarundam religioſarum, rituum eccleſiaſticorum, ordinumque equeſtrium ſacrorum, conditoribus agant; adeoque conſulto admodum a nobis poterunt

ſilentio

Digitized by

ſilentio transmitti. Reliquorum e diverſo rationem tanto magis diligenter habebimus, ut Lectoribus de illorum Summa conſtare queat, quanto jucundior ſimilis generis notitiæ ſtudioſis rei literariæ inquiſitoribus contingent.

Caput XV itaque deſtinatum eſt exponendis *Accurſii* in prudentiam Juris meritis, quæ & noſtra demum adhuc tempeſtate invidendis fere elogiis cohoneſtavit *Janus Vincentius Gravina*, JCtus humaniſſimus. Primus enim ille Legum Gloſſator perfectionem Civili Juri, ex Autoris noſtri ſententia, addidit; quod idem poſtea de Decretalibus fecit *Bernardus Parmenſis*. Floruit circa A. 1220, & communi priſcis ſeculis ore de ipſo circumlatum fuit:

Juriſconſultos interpres Acurſius *omnes*
Expellit, brevibusque notis ænigmata legum
Expoſuit, nullusque error reperitur in illis.

Cap. XVI, ubi de Florentinis in *Medica Arte* inventis, memoratur de *Nicolao Falcuccio*, mortuo A. 1412, quod plurima pharmaca repererit, & inprimis *Syrupum cychoreæ compoſitum*, uſus præſtantiſſimi. Juxta Cap. XVII *Botanicam* adauxerunt *Philippus*, Minoritarum aſſecla, A. 1572 detecta *Braſſica ſilveſtri*; *Bruno Tozzi*, *Linaria ſemper virente*; *Antonius Cocchi*, *fungoide minimo lentiformi*; pluribus aliis *Petrus Antonius Michelius*, qui adhuc vivit, ex libro, *Nova Plantarum genera juxta* Tournefortii *methodum diſpoſita, quibus plantæ 1900 recenſentur, ſcilicet fere 1400 nondum obſervatæ*, inſcripto, inclutus, & a Cl. *Boerhaavio* honorifico admodum *mortalium omnium in perveſtigandis ſtirpibus ſagaciſſimi* titulo alicubi celebratus. Capite XVIII narratur, primam germinationem *mali Limoniæ citratæ aurantiæ*, quam Itali *la Bizarria* nuncupant, in horto nobilium *de Pantiatichis* medio ſeculi proximi contigiſſe. Sequenti dilaudantur, qui de cultura *agrorum viridariorum*que aliquid novi commenti ſunt; & XX demum refertur de quodam ex nobiliſſima familia *Ruccellai*, qui circa A. 1330 primus docuit lanam tingere colore *hyacinthino*, Italis *Oricello* dicto.

Americus Veſputius, a quo nomen quartæ orbis parti re-

cens detectæ impositum ignorat nemo, Caput XXI occupat; cui in proximo ad latus jungitur *Joannes a Verrazzano*, qui auspiciis Francisci I, Galliæ Regis, oram illam maritimam Indiæ Occidentalis detexit, quæ Britannorum tangit promontorium. Cap. XXIII & XXIV *Galilæi a Galilæis* εὑρήματα celebrat, notiora profecto in vulgus, ut illis huc referendis immorari opus sit. Cap. XXV *Salvinum* quendam *de Armatis Conspicillorum*, quos naso imponere solent μύωπες ac senes, autorem principem dilaudat, anno jam 1317 vita functum. Insequens Cap. XXVI *Galilæo*, quem diximus modo, *Thermometrorum* usum, ante omnes alios commonstratum, vindicat; XXVII vero ejusdem atque aliorum in *Philosophia experimentali*, & XXVIII in *Geometria*, noviter prolata arguit.

De *Horologiorum* aliorumque *Instrumentorum motus perpetui* effectoribus Florentinis, *Alexio Baldovinetto*, *Laurentio a Vulparia*, quem miris modis extollit *Angelus Politianus* in Epistolis, & *Bernardo Botalentio*, nonnulla leguntur Cap. XXIX, veluti XXX de *Francisco Generini*, qui *Globum*, quem appellat, *ambulantem (il Globo andante)* princeps construxit. Occurrit porro loco XXXI *Bolis Albertiana*, hoc est, *Leonis Baptistæ Alberti* inventum ad explorandam profunditatem maris comparatum; XXXII machina singularis *Thomæ de Capponibus*, cujus beneficio in sicco moli potest farina; XXXIII ejusdem, qui supra dictus est, *Botalentii* machina ad secandos lapides, & XXXIV tormenta bellica varii generis; ubi & notatur, hunc ipsum reperisse pilas militares, quas vernaculo sermone *Granate* nuncupant Itali.

Hæc gens, veluti præter alias excellit & delectatur arte *Musica*, ita habuit superioris seculi circa medium *Franciscum Nigettum* repertorem *Cymbali omnichordi*, *Protei* item appellati, laudatique mirum in modum a *Scipione Maffejo* atque aliis, quod Cap. XXXV; & alterum *Amphichordi*, *Joannem Baptistum Doni*, quod Cap. XXXVI demonstratur. Artem *pingendi sericum ex utraque parte* ostendit primus A. 1470 *Alexander Philippi*, cognomento *Botticelli*, veluti in vexillis militaribus conficiendis mos est, quod vernaculo sermone

mone *per commeſſo* nuncupant, teſte Cap. XXXVII. Singulare *opificium fictile* ex terra, *della Robbia* dicta patrio idiomate, producere primi Autores ſeculo XIV docuerunt *Georgius Vaſari* & *Raphael Borghini*, ſecundum Cap. XXXVIII. Mortuorum autem perſonas (*maſchere*) ex gypſo princeps effinxit *Andreas Verrochi* Cap. XXXIX. Sub annum 1440, non, quod ait *Peregrinus Antonius Orlandus*, 1460, *Thomas Finiguerra*, aurifex, inſtituit primum in æs incidere juxta Cap. XL. Tres ſequentes Articuli, XLI, XLII, XLIII, quorundam in Architectonica ἐυϱημάτων, *repræſentationum* potiſſimum, quas dicunt, mentionem faciunt.

His abſolutis, ad *humaniores artes* deſcendit Autor, vernaculæ inprimis linguæ, in proſa ac verſa, culturam; & ſummatim quædam ac extremis quaſi digitis de *Dante Aligherio*, *Franciſco Petrarcha*, *Joanne Boccaccio*, *Joanne Caſa*, *Benedicto Varchi*, aliis, &, qui d. XVI Cal. Jan. A. 1729 demum obiit, *Antonio Maria Salvinio*, ſingulis Etruſcæ linguæ amplificatoribus, Cap. XLIV delibat. Proximo XLV *Angelus Politianus* laudatur, qui primus Dithyrambica Poemata Poeſi Italicæ intulit. De *Phantaſtica* Poeſi ab Autore *Dominico Joanne*, tonſore Florentino, dicto vulgo *il Burchiello Burchielleſca* vocitata, Cap. XLVI, de *Romanenſi*, cujus conditor *Bruaccius*, Cap. XLVII, & de jocoſo carminis genere, *Berneſco* nuncupato a *Franciſco Bernio*, Cap. XLVIII proletaria quædam afferuntur & nota in vulgus. Non injuriam fecerimus Autori, ſi quidem de hujus ſcriptionis fine ſimilia prorſus pronunciemus. Etenim, quæ Cap. XLIX de inventione Etruſcorum Poematum ſolutis verſibus conſtantium, de Epigrammatibus, &c. & Cap. L de inventore novæ Poeſeos Etruſcæ, affert in medium, ita ſunt comparata, ut vel centies magis expoſite pertractata ab aliis, & lecta totidem vicibus exiſtant etiam illis inter exteros, qui mediocrem ſaltim induſtriam ad evolvenda Italorum ſcripta contulerunt. Demum Cap. LI originem nobilis nummi, *Floreni* nomine, Florentinis itidem tribuit, anno primum 1182 procuſi; veluti LII originem *contractus Cambialis* de loco ad locum *per epiſto-*

Digitized by Google

lar. Postremum denique LIII cum brevi relatione de Florentino *Harpasti ludo*, cognomento *il Calcio*, concludit, addito prætermissorum quorundam auctario. Nos si quid videmus, scriptum hoc est juvenis politissimi, qui tirocinium posuit haud ita pridem. Merebitur de patria aliquando adhuc magis, lectorumque reportabit gratiam, si præsentem farraginem sedula & continua optimorum hanc in rem scriptorum lectione locupletatam, post aliquot annos retractabit, &, neglectis *locorum communium*, quibus singulorum Capitum auspicia ad nauseam turgent, produntque satis subsellium Scholasticum pene derelictum, desperatis fere subsidiis, fortiores demum atque gratiores eruditorum stomachis dapes apponet. Poterit ex hac causa quoque, si nos quidem audiet, *Cl. Mannius* in unum alterumque annum adhuc premere suum, quem appellat, *de Florentinis Restitutionibus* Commentarium, suppleturum, quod ait, studio hic abs se brevitatis omissa, quod noluerit voluminis magnitudine gloriam avide aucupari. Quasi vero ex mole æstimari soleat magnique fieri scriptionis cujusdam pretium intelligentioribus.

BOEK-ZAAL DER NEDERDUYTSCHE Bybels &c.

i. e.

BIBLIOTHECA LIBRORUM DIVINOrum in Germaniæ inferioris dialectum versorum, opera ISAACI LE LONG.

Amstelodami, apud Henricum Viroot, 1732, 8.
Alph. 5.

QUanquam alii jam Bibliothecarum sacrarum scriptores, ac in primis homonymus Autori nostro Vir celeberrimus, *Jacobus le Long*, amplam satis versionum Codicis sancti in Germaniæ inferioris dialectos mentionem fecerint, attamen in præstantissimo hoc Opere longo illum intervallo post se relinquit. Ille enim quinque tantum Manuscriptos Codices,

dices, & ducentos fere impreſſos, hic autem centum manu
exaratos, & mille fere excuſos collegit, duabus Partibus,
quarum prima verſiones ante inventam artem typographi-
cam, ſecunda poſt eam ſuſceptas commemorat. In illa, p. 1.
cum quæſtionem diſcuſſiſſet, an Codicem divinum in alias
linguas transferre liceat, ad originem diverſitatis linguarum 3.
progreditur, ac in ſpecie de Linguis Teutonicis, quas ex Cel- 7 ſeq.
tica derivat, ac ipſo Teutonum nomine diſſerit, dein ad Ve-
tus Teſtamentum Hebraicum pergit, quod a Judæis accepi- 15 ſeq.
mus, ubi diſquirit, num ab iis corruptum fuerit, & in cuſto-
dienda ejus integritate ſingularem illorum curam laudat, divi- 23.
ſionem ejus in varios libros annotat, ac tandem optimas edi-
tiones Hebraicas allegat. Græci etiam Novi Teſtamenti li- 25 ſeq.
bros, & Veteris Verſiones Græcas recenſet. Cui prolixum 38 ſeq.
de Latina translatione, ſeu Vulgata, ut vocant, interpretatione 41 - 51
ſermonem attexit. Nunc ipſas antiquis dialectis Germani-
cis ſcriptas verſiones commemorare incipit, nempe Gothi- 52 - 70
cam, ab *Ulphila* confectam, Anglo-Saxonicam, Francicam,
Helveticam, Danicam, Islandicam, Norvegicam, Runicam,
& cum multa notatu digna in his attuliſſet, diviſionem in
Evangelia & Epiſtolas, ejusque originem, indicat. Porro 72 ſeq.
de converſione inferioris Germaniæ incolarum ad fidem
Chriſtianam per *Willibrandum* agens, ſimul in dialectos ejus
tempore uſitatas inquirit, ac neglectam tunc valde a Mona- 91 ſeq.
chis Scripturam ſacram ex variis monumentis probans, Scho-
laſticæque Theologiæ ortum narrans, primam a *Petro Wal-* 128
do verſionem in linguam vulgarem Francicam illius tempo- 142 ſeq.
ris, factam eſſe monſtrat, ac dein ſpecimen veteris linguæ Fri-
ſicæ in decem præceptorum & orationis dominicæ translatio- 146 - 152.
ne exhibet, cui aliud ex Speculo Saxonico adjungit. Valden- 153.
ſium ſtudio Biblico excitatus *Jacobus van Maerland*, Scriptu-
ram ſacram in ligatam vertere conatus eſt, cujus interpreta-
tionis Rhythmicæ novem exempla deſcribit & excerpit, 155 - 222.
ac decem præcepta cum articulis fidei duodecim, a Monacho
quodam, *Somme le Roy* dicto, verſos annectit. Circa annum
1300 ex lingua Latina verſio etiam in proſa ſuſcepta fuit, cu- 223.
jus

p. 229-258 jus autorem ignorari ait, ac singularia ejus & memorabilia
258-270. adducit, & speciales Psalmorum versiones annotat. Novi quo-
270. que Testamenti, ex lingua Latina translati in Teutonicam hanc
dialectum, historiam prolixam hic reperies, & excerpta nota-
bilia, ac de verbi divini ea ætate contemtu universali, &
361. falsis libris documenta. Inventa arte Typographica, de qua
365-406. nonnulla monet, prima a Pontificiis Bibliorum editio A. 1477
procurata fuit, quæ qualis sit, per singulos libros ostendit.
Tempore insequenti, Carolo V regnante, corrupta valde Pon-
tificiorum opera editio prodiit, paulo ante Reformationis,
406-493. ut vocant, tempora, cujus in variis capitibus specimina inse-
rit. Post repurgatum divinum cultum & puriorem reli-
gionem introductam, Protestantes novam moliti sunt versio-
nem, ac *Erasmi* studio Novum Testamentum translatum e
lingua Græca fuit, cujus editionem rariorem producere ac
497. pontificiorum contra illorum versiones malignos conatus per-
587 seq. stringit, & *Biblia Lovaniensia*, Novum Testamentum *Coste-
ri* ac *Jansenii*, describit. Quid *Lutherus* & *Menno*, ejusque
664 seq. asseclæ in Codice divino vertendo tentarint, diversasque edi-
tiones porro exponit, & duplicem pro Reformatorum sacris
703-781 seq. editam versionem, antiquiorem & recentiorem, ampla de-
scriptione pertractat, ac speciales quasdam Novi Testamenti
Teutonicas Versiones, Malaicas & Formosanas subjungens,
846 seq. illam multis magnisque laudibus concelebrat, eosque, qui cir-
ca eam aliquid monuerint, allegat. In fine Chronologicus
860 seq. Index omnium exemplorum post artis typographicæ incuna-
bula editorum accessit.

HISTOIRE DE L' ACADEMIE ROYALE des Sciences A. MDCCXXIV.

h. e.

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM A. 1724, una cum Commentariis Mathematicis & Physicis ejusdem Anni.

Amstelodami, apud Petrum de Coup, 1731, 12, chart. aug.
Alph. 1 Plag. 13, Tabb. æn. 26.

In

IN *Phyſica generali* novam theoriam adſcenſus liquorum in tubulis capillaribus condit *Petitus*, Medicus. Cauſam petit a vi, qua aqua parietibus tubi adhæret, & a vi, qua ſibi invicem adhærent. Singula, quæ defendit, ſive ad confirmandam theoriam ſuam, ſive ad deſtruendas hypotheſes alias, experimentis ſelectis confirmat. *De Mairan* deſcribit effectum fulguris, quem obſervavit in quercu fulmine tacta. Quercus a radicibus e terra ad 2½ pedum profunditatem evulſa in quatuor partes principales diſrupta fuerat, particulis ligni & corticis undiquaque ad intervallum 300 pedum ſparſis. Singulæ partes diverſis intervallis a loco natali proſtratæ deprehendebantur. Recenſetur ibidem phænomenon ſingulare fluxus & refluxus maris in inſula Martinica, ubi tempus affluxus & refluxus non ſit æquale, quemadmodum in zonis temperatis. Conſtat, prolem ex coitu Æthiopis cum femina Europæa vel contra prognatam coloris eſſe intermedii inter nigrum & album, ex cujus cum Æthiope coitu naſcitur proles, cujus color ad nigredinem iterum propius accedit, quemadmodum ex ejusdem cum Europæa coitu prognaſcitur proles, cujus color ad albedinem propius accedit. Obſervavit vero *de Hauterive*, quod, quomodocunque continuato iſtiusmodi coitu mixto inter Europæos & Americanos, proles continuo retineat veſtigia generis Americani, ſive colorem, ſive capillos, ſive oculos, ſive cetera ſpectes ad Phyſiognomiam pertinentia. Idem autor eſt, ex Terra firma in inſulam Martinicam afferri lapidem viridem, cujus contactu arcetur epilepſia. Refert præterea, radicem *Tabulani*, quæ Gallis *Apinel* dicitur, ea virtute præditam eſſe, ut, ſi fruſtum baculo affixum gulæ ſerpentum ingeratur, extemplo moriantur; ſi vero radice maſticata affricentur manus, ſerpentes non modo fugiant appropinquantem, ſed & absque ullo periculo manibus apprehendantur. Unde ad arcendos ſerpentes radix iſta in cubiculis aſſervari ſolet. Idem *de Hauterive* communicavit alia admodum curioſa, quæ ad Hiſtoriam naturalem ſpectant, cum Academia Regia Scientiarum. *Maraldus* quantitatem pluviæ A. 1723 obſervavit 7 digitorum 8 linearum; declinatio-

nem acus magneticæ d. 22 Dec. A. 1723 a Septentrione in Occidentem 13°, qualis fuit a menſe Octobri A. 1720 usque ad 4 Jan. 1724, ut adeo integro triennio nihil mutationis in ea acciderit. *Godofredus junior* humores in ulmo ad examen revocat, qui in foliis naſci ſolent. Deſcribit inſecta, a quibus producuntur, & quæ intra eos deprehendit.

In *Anatomicis* fœtum bicipitem deſcribit *Lemery*, in quo partes ceteræ omnes externæ fuere ſimplices, quales in uno fœtu comparent. Intus erant duæ œſophagi, duo ſtomachi, duo truchiæ, duo pulmones, duplicis ſexus partes genitales, duæ ſpinæ dorſi tertia quadam ſpinæ ſpuriæ ſpecie a ſe invicem ſeparatæ, cor unicum unico ventriculo & auricula unica inſtructum. Ex anatomia ipſius oſtendere conatur *Lemery*, quomodo fœtus hic monſtroſus per confuſionem duorum oculorum in unum formatus fuerit in utero materno. Cum dracunculos (quæ ulcerum quædam ſpecies eſt) examinaret *Petitus*; eos polypis, nequaquam vero vermi cuidam, ſimiles intus deprehendit. Organa reſpirationi inſervientia accuratius, quam ab Anatomicis huc usque factum eſt, deſcribit, & in eorum uſum hactenus non animadverſum inquirit *Senacus*. Difficultates complures contra hypotheſin de contractione muſculorum per inflationem factam a ſpiritibus animalibus in medium affert *de Molieres*. Vaſa ſanguinea ſi a partu non ſponte occludantur, remedium ſimpliciſſimum invenit *Duſſius*, qui parturientibus aſſiſtere ſolet. Manibus nimirum ambabus circa regionem epigaſtricam applicatis, variato omni poſſibili modo motu, omne negotium perficit, quo uterus diverſimode comprimitur, propterea quod vaſa ejus ſubſtantiam in omnem partem perreptant. *Gregorius* invenit in femina in partu mortua uterum pedibus infantis perforatum ea in parte, in qua placentæ locus eſt, quos adverſus diaphragma impactos obſervavit. Commendatur quoque Tractatus, quem de vulneribus capitis Taurini impreſſum ad Academiam Regiam miſit *Roubaut*, a Sardiniæ Rege ex eadem in patriam revocatus, ut in Academia Taurinenſi Chirurgiam doceat, & Chirurgi regii munere fungatur.

De

Digitized by Google

De Juſſieu capitis hippopotami ſectionem inſtituit, & in uſum partium inquirit. *Morandus* reticula oſſea deſcribit, quæ in oſſibus turbinatis narium diverſorum animantium deprehendit. Uſus eſt maceratione ad ea detegenda.

In *Chymicis* ſal calcis, a Chymicis hactenus in dubium vocatum, in apricum produxit *du Fay.* Non ſolum in aqua ſolvitur, verum etiam inſtar ſalis tartari in liquorem per deliquium reſolvitur. Cum in officina quadam vitraria lagenæ vitreæ pararentur, quibus infuſa vina intervallo 24 horarum corrumpebantur; aliquot earum *ad Godofredum* miſſæ, ut eas examinaret. Poſtquam factum veritati reſpondere didicerat; examen detexit, quo vitrum bonum a malo diſcernere licet: malum enim in pulverem redactum cum ſpiritu nitri efferveſcit, bonum non item. Fruſta vitri mali ſpiritui nitri immerſa ſubinde in lamellas mucilaginoſas diviſa: ſubinde ipſe ſpiritus in ſubſtantiam muciloginoſam inſtar gelatinæ converſus. Præter vinum omnes quoque ſpiritus acidi in iisdem vitris corrumpebantur. *Lemery* obſervationem ſingularem de ſucceſſiva ſalis in aqua diſſolutione in medium affert, ſcilicet quod, ubi aqua ſale aliquo ſaturata fuerit, facta diſſolutione ſalis ſecundi, denuo aliquam ſalis primi quantitatem ſolvat. *Du Fay* phænomena thermarum Borbonienſium exponit; *Godofredus* autem aquas minerales, quæ Pariſiis ſub nomine *les eaux de Paſſy* celebrantur, deſcribit, & eas arte producere docet, cum octo unciis aquæ communis miſcendo viginti grana vitrioli. *Burletius*, Hiſpaniarum Regis Archiater, ſal quoddam catarcticum ſeu purgans Hiſpaniæ deſcribit, quod tribus a Madrito milliaribus vi torrentis cujusdam deponitur, & in ſtirias quaſi concreſcit, alicubi autem veluti pruina adhæreſcit. Cum hujus ſalis analyſin chymicam inſtitueret *Bulduccius*, ſali mirabili *Glauberi* idem prorſus ſimile deprehendit. *Burgetus* deſcribit lapidem Bernenſem, qui phoſphori cujusdam ſpeciem exhibet: calefactus enim lucet. V. gr. ſi angulus quidam lapidis flammæ candelæ cereæ admovetur, fruſtula quædam diſſiliunt, quorum figura eſt propemodum pyramis triangularis, in tenebris lucentia. Experimenta repetiit *du*

 Fay

Fay, & veritati consentanea esse didicit, quæ *Burgetus* scripserat de hoc lapide. *De Reaumur* inquirit in modum, quo particulæ metallorum & mineralium coeunt, cum a fusione figuntur.

In *Botanicis*, florem quendam flavum, qui in agris obvius chrysanthomi quædam species est, tingendis linteaminibus & pannis inservire, docemur, si in solutione aluminis madefacta decocto istorum florum immergantur. *Trant* novum plantarum genus constituit, quod cardispermon appellat, & *Danty d' Isnard* novam quandam erucæ speciem describit.

In *Geometricis* aream curvæ, quæ est cycloidis socia, circuli generatoris duplam esse, demonstrat *Pitotus*. Curvæ illius semiordinatæ ad diametrum circuli generatoris tanquam axem applicatæ sunt arcubus semicirculi istius correspondentibus æquales. *De Lagny* novam quandam scientiam condit mensurandi angulos rectilineos & sphæricos, quam *Goniometriam* appellat. Nititur hoc fundamento, quod ope circini quæratur mensura communis semicirculi & arcus, qui anguli mensura est. Sed hanc theoriam extendit ad plures alias de seriebus infinitis in Geometria utiles. *Nicole* nonnulla addit ad ea, quæ annis superioribus docuerat de differentiis infinitis. *De Mairan* describit stereometriam navium, quam praxi apprime convenientem & veritati propius accedentem deprehendit. Consistit in eo, ut basi æquata ducatur in profunditatem navis, seu perpendiculum inter duas bases interceptum, & factum multiplicetur per 72, ut prodeat pondus oneris navi imponendi. Supponit nempe pedem cubicum aquæ 72 librarum.

In *Astronomicis* novam methodum calculandi eclipses invenit *de Louville*. Algebram ad hoc negotium applicat, & ejus subsidio formulas quasdam elicit, quibus totum negotium absque tabulis sinuum & logarithmorum absolvitur. Formulas suas ad exempla applicat, ut calculi experiri liceat successum. Idem multo admodum studio & labore diametrum apparentem Solis in Perigæo deprehendit 32′ 37″ 7‴ in horizonte: unde verticalem elicit 32′ 31″ 37‴, quam per obferva-

ſervationem reperit 32′ 31″ 58‴ ½. *Maraldus* & *Caſſinus* d. 22 Maji A. 1724 eclipſin Solis totalem præſente Rege obſervarunt Triani. Ille initium annotavit h. 5 59′ 20″, obſcurationem totalem h. 6 48′ 3″; hic vero initium obſervavit h. 5 54′ 30″, obſcurationem totalem h. 6 48′ 4″. In obſcuratione totali candela accenſa opus erat ad vibrationes penduli numerandas, obſcuritate tamen a tenebris nocturnis differente. Viſi ſunt Sol, Mercurius & Venus in eadem linea recta, Mercurio in medio ejusdem propemodum conſtituto. Ob nubes paucæ tantummodo apparuere fixæ. Aves nidos ſuos petiere. Circa Lunam apparuit corona lucida. Liquor in thermometro per 3 gradus deſcendit, Barometro invariato. Eandem eclipſin Pariſiis obſervavit *Deliſle*, & Luxemburgi frater ejus *de la Croyere*. Diametrum horizontalem in Apogæo obſervavit *De Louville* 31′ 30″ 17‴; verticalem 31′ 32″ 17‴. *Maraldus* quoque & *Caſſinus* d. 1 Nov. 1724 obſervarunt eclipſin Lunæ. Etſi cœlum eſſet ſerenum, umbra tamen conſtanter male terminata apparuit, ut phaſes ægre diſtingui poſſent. In peripheria Lunæ lucida partes quædam lucidæ prominebant. Conſtat, eas eſſe montes, & *Caſſinus* reperit altitudinem unius trium milliarium Gallicorum. Eadem eclipſis obſervata fuit Ulyſſipone a R. R. P. P. Societatis, *Carbone* & *Capaſſo*; quorum obſervationes cum ſuis conferens *Caſſinus*, differentiam meridianorum dicit 45′ 50″. Ex obſervationibus eclipſium Satellitum Jovis, ab iisdem Patribus factis, & cum ſuis collatis, eandem invenit 45′ 48″. Idem deſcribit micrometrum novum univerſale a ſe inventum, cujus ſimpliciſſima ſtructura idem commendat. *Maraldus* exhibet obſervationes Cometæ, qui A. 1723 apparuit. Die 18 Oct. longitudo erat 9° 34′ 50″ ♒, latitudo meridionalis 3° 54′. Die 19 Oct. fixam a Cometa tegi obſervavit: id quod etiam *Kirchio* viſum eſt. Die 24 Oct. Cometa cum ſtella *ε* Aquarii & *θ* Antinoi in eadem recta conſtituebatur, & medium fere locum occupabat. Cum d. 5 Nov. eandem ultimo loco obſervaret, longitudo erat 3° 47′ 0″; latitudo 22° 13′ 20″. Idem Cometa jam in inſula Cayenna obſervatus fuit, antequam Pariſiis conſpici poſſet. Obſervationes

 ibidem

ibidem factas cum suis componit *Cassinus*. Eundem Cometam non procul Roma observavit *Blanchinius*. Cum nudo oculo conspiceretur, exigua quædam cauda in conspectum veniebat, in Orientem directa, sed quæ disparebat, quando visus telescopio armabatur. Per telescopium tamen 16 pedum visa est atmosphæra circa Cometam, & in ejus medio veluti fixa quædem exigua, quæ dubio procul erat corpus Cometæ.

In *Acusticis* in figuras instrumentorum musicorum, quæ chordis obducuntur, inquirit *Maupertuis*, & earum rationes reddere studet. Repetit eas inde, quod sonus directus augeatur per reflexum, utroque scilicet in unum confuso.

In *Mechanicis* modus conservandi axes rotarum in plaustris, quibus affrictum esse constat infestum, ostenditur: ubi & de modiolis rotarum agitur. Commendat inventum utilitas.

Sub finem comparet observatio Anatomica tumoris aneurismatis & polyposæ in aorta, quam cum Academia Scientiarum communicavit *Marcotius*, Academiæ Scientiarum Montepessulanæ membrum. Observatio notatu digna, propterea quod per eam refellitur opinio *Kerkringii* & aliorum Medicorum celebrium, qui sibi persuaserunt, non dari veros polypos cordis, quales *Tulpius*, *Diemerbrockius*, *Malpighius*, aliique, describunt, sed eos non esse nisi grumos sanguinis coagulati.

D. LAURENTII HEISTERI, PROF. PUBL. Helmstadiensis, Academ. Cæsar. Reg. Londinensis & Berolinensis Collegæ, Compendium Anatomicum, totam rem Anatomicam brevissime complectens. Editio quarta, prioribus longe auctior atque emendatior.

Tomi II.

Norimbergæ & Altorfii, sumtibus Georgii Christophori Weberi, & Jod. Guil. Kohlesii, 1732, 8 maj.
Alph. 1 pl. 5, Tab. æn. maj. 9.

CUm libellum hunc non tirones tantum Anatomiæ, sed viri etiam ejus scientissimi, magno in pretio habeant; miran-

Digitized by Google

randum non eſt, quartam nunc, ut verſiones Germanicam, Gallicam, & Anglicanam, taceamus, ejus repeti editionem. Pauciora autem fuerunt, quæ Celeb. Autor in ea adjecit, ſi cum luculentis editionis tertiæ acceſſionibus comparentur. Interim tamen nec ea hic prætereunda eſſe putavimus. Præter iſta igitur, quæ hinc inde in reliquo textu brevibus vel mutavit, vel adſcripſit, in *Notis n. 25* de teſtibus, *n. 66* de arteria brachiali, *n. 68* de venæ brachialis ingreſſu in cranium, *n. 74* de muſculis lumbricalibus, profundo & ſublimi, *n. 76* de peronæo antico majori, ſive longo, quo nomine quintum extenſoris digitorum pedis longi tendinem inſigniendum exiſtimat, ſi quis eum pro muſculo peculiari cum *Douglaſſio* habeat, commentatus eſt. Acceſſerunt in calce Operis monita quædam circa Splanchnologiam *Garengeoti*, Chirurgi Pariſienſis, recens editam, qua *Heiſterum* aliosque Anatomicos contemtius habuit, imo petulantius, quam par erat, laceſſivit. *Heiſterus* itaque ad varios errores Anatomicos, ſibi objectos, reſpondet, obtrectationesque amolitur; contra ea non leves *Garengeoti* lapſus in iſto libro oſtendit. Ex Tabulis æneis nulla præter nonam nunc primum comparet, qua muſculi manus interoſſei externi repræſentantur. Quod ſupereſt, quoniam Celeb. Autor a longo jam tempore in Præfatione hujus Compendii ſpem majoris Operis injecit, publico nomine eum rogamus, ut illud orbi erudito ne amplius invideat, magno omnium, qui Anatomiæ bene cupiunt, deſiderio expectatum.

CATALOGUE DES OUVRAGES DE MONSIeur FOURMONT L' AINE' &c.

h. e.

CATALOGUS OPERUM DOMINI FOURMONTII Senioris, Linguæ Arabicæ in Collegio Galliæ Regio Profeſſoris, Academiæ Regiæ Inſcriptionum & bonarum literarum Socii, Interpretis & Sub-Bibliothecarii Regii, &c.

Am-

Amstelodami, absque mentione Typographi, 1731, 8.
Pl. dimid. 20.

NOtitiam Catalogi hujus civibus nostris eo minus invidere debuimus, quo plura continet, quibus præsens Orientalium literarum in Gallia facies mirifice illustratur. Solum *Fourmontii* nomen præfixum sat autoritatis ipsi conciliat, atque eruditorum expectationem excitat de thesauris, qui in Doctiss. Viri scriniis delitescunt, quibus opes literariæ reipublicæ vehementer augeri atque amplificari possunt. Diu jam mirati sunt eruditi, cur illa raræ doctrinæ Opera, *Fourmontii* laboribus elaborata, invidiose a Gallis abscondantur, multique suspicati sunt, abiisse nunc læta illa tempora, quibus sub Ludovici XIV patrocinio literæ in Gallia florebant ac promovebantur. Quibus sumtibus Rex ille viam literis peregrinis in regionem suam explanaverit, quam studiose media undique conquisiverit, quibus ad linguarum culturam ingenia Gallorum excitari poterant, abunde constat, ut mirandum omnino sit, Regios Typographos ea oscitantia esse, ne colligant fructus, quos Regia Ludovici munificentia paravit. Ipse enim *Fourmontius* magno illo atque doctissimis viris fere communi animo esse videtur, ne protrahere in lucem lucubrationes suas iis artibus moliatur, quibus inferioris subsellii eruditi ad doctrinæ famam grassantur. Securus nominis, quod pridem inter eruditos consecutus est, famam eruditionis, quam novis ornamentis augere vix poterat, negligentius habere videtur. Testantur de rara Viri eruditione Doctiss. Abbatis *Fourmontii*, atque summorum Virorum profectus, qui doctrinæ laude in Gallia hodie florent, quique omnes ex schola ejus prodierunt, ne quid de Galliæ proceribus, quos instituit ac formavit, dicamus. Quam ægre expugnari tandem se passus sit, ut hanc scriptorum suorum notitiam aliis concederet, duæ amicorum Epistolæ, Catalogo huic præmissæ, testantur. Non uno tamen nomine interea hic *Fourmontii* Operum conspectus eruditis commendandus est, dum precibus amicorum forte inductus, editione scriptorum suorum desiderio orbis eruditi satisfaciat. Accurate enim recenset,

cenſet, qua methodo illa compoſuerit, quæ argumenta præ aliis difficilia expertus ſit, quæ impedimenta ſuperaverit, & quibus invidorum artibus fuerit preſſus, ne publicæ luci exponerentur; quod alios earundem literarum ſtudioſos monere poteſt, qua induſtria ac cautione in hoc literarum genere verſandum ſit. Prelo illa omnia jam parata eſſe, non quidem afferit, maximam tamen partem ita comparata eſſe teſtatur, ut, conceſſo paucorum menſium ad perluſtrandas & emaculandas chartas otio, typographo committi queant. Certe multis eruditorum ſubinde inviſentibus perluſtranda exhibuit, qui ſuo omnes ſuffragio confirmarunt, digniſſima eſſe, quæ lucem publicam viderent, obteſtati Autorem, ne publico uſui invideret illa raræ doctrinæ ſpecimina, quæ ab aliis fruſtra exſpectantur. Placuere inprimis exteris nonnullis *Commentarii* Autoris *in Pſalmos, Jobum & Prophetas*, quibus lucem difficillimis horum librorum locis accendere inſtituit, cum alii, exhauſtis quaſi viribus atque profuſis opibus in libris hiſtoricis, qui adeo difficiles explicatu non ſunt, oſcitanter deinde in enodandis Prophetarum ſcriptis verſentur. Mirifice quoque eruditis ſe probarunt Diſſertationes ipſius *de Hebræorum Poeſi*, ex quibus ſelecta capita olim evulgata fuiſſe, notum eſt. Diſtinguit Doctiſſ. Autor Opera ſua, quorum CXXI numero hoc Catalogo recenſet, in Diſſertationes, coram Academia Regia Inſcriptionum & humaniorum literarum prælectas, & ſcripta de linguis, Græca, Latina, Hebraica, Arabica, aliisque plurimis gentium Orientis. Linguæ Latinæ radices non modo ſtudioſe inveſtigavit, ſed, abjecto omni inutilis eruditionis, quam *Scaliger*, *Salmaſius*, *Lipſius*, *Martinus* & *Voſſius*, oſtentarunt, apparatu, brevibus ſolida linguæ hujus fundamenta expoſuit. Græcam linguam a bis mille fere annis neglectam eſſe judicat, cum Grammatici, Philoſophiæ lumine deſtituti, veram conjugationum linguæ hujus indolem ignoraverint, & noſtris quoque temporibus ignorent, ut multo, quam re vera eſt, difficilius videatur tironibus Græcarum literarum ſtudium. Novo igitur Græcæ linguæ Dictionario primitiva verba *Fourmontius* delineavit,

alia longe ratione, quam ab *Henr. Stephano, Scapula, Chriſtino*, aliisque multis, factum eſt. Reduxit enim moleſtam illam Græcarum vocum copiam ad 300 fere vocabula primitiva, quæ in Thracia aliarumque vicinarum gentium terris nota, aut ab Orientis populis mutuo accepta fuiſſe, ſe demonſtraturum pollicetur. *Kuſteri* librum *de Verbis mediis* nullius pretii eſſe, ſeque ipſum confutare judicat. Nobis jam non vacat, ſingula ipſius Opera, quibus Hebraicam & Orientalem literaturam amplificavit, aut quæ in Philologia tam ſacra, quam profana, præſtitit, recenſere, licet multa notatu digna de fatis illorum inſpergat, quibus præſens literarum in Gallia conditio admodum illuſtratur. Cum enim indefeſſo ſtudio in Sinenſis maxime linguæ cognitionem a multis annis incubuerit, qua methodo, & quousque in illa progreſſus ſit, Lectori inprimis ſignificandum eſſe ducimus. *Hoamgius*, gente Sinenſis, qui Epiſcopo Roſaliæ olim a literis, poſtea Regius linguarum exoticarum interpres fuerat, juſſu Regis Dictionarium linguæ hujus parabat. Sed curam formæ atque ordinis Operis hujus Rex *Fourmontio* demandabat, a teneris jam aſſueto Grammaticis & Dictionariis linguarum peregrinarum componendis. Sociata igitur opera Grammaticam ſub titulo *Tentaminis Grammaticæ Sinenſis* elaboraverant, cum, *Hoamgio* non ita multo poſt decedente, omnis rerum Sinicarum cura in *Fourmontium* devolveretur. Sed, cum ſcrinia *Hoamgii* excuteret, nihil inter adverſaria ejus inveniebat, præter lacinias quasdam atque nullo ordine cohærentia fragmenta, lingua Gallica & Sinenſi expreſſa quidem, at non charactere Sinenſi, verum Latino, quali olim *Kircherus* in Dictionario uſus fuerat, delineata. Cum itaque rara admodum avis ſit inter Europæos homo linguæ Sinicæ peritus, vehementer dolet Doctiſſ. Autor, excerptum Diſſertationis ſuæ, quam *de Literatura Sinenſium*, applaudentibus doctiſſimis viris, in publico Academiæ Inſcriptionum & humaniorum literarum conſeſſu prælegit, omnibus ornamentis truncatum & mutilatum valde, in Commentariis Academiæ hujus exhibitum fuiſſe. Cum enim excerptum hoc non ante, ut moris eſt, cum ipſo

fuerit

fuerit communicatum, quam laudatis modo Commentariis insereretur, factum eſſe, conqueritur, ut, licet juſto brevius ſit, multis tamen vitiis deforme prodierit. Invidiam Celeb. *Freneti* inprimis, quam non uno argumento collegit, modeſte accuſat, teſtatus ſimul venerationem, qua inſignem ejus eruditionem ſuſpicit. Occupabatur *Hoamgius*, dum viveret, in condendo Dictionario, ipſoque mortuo, Celeb. *Fourmontius* a Duce Aurelianenſi & Ill. *Bignonio* ſententiam dicere juſſus, an tela cœpta continuari poſſit, quam varia ſint linguæ Sinenſis Dictionaria, & quid Autori ejusmodi Operis inprimis incumbat, fuſe ac erudite explicabat. Æquum eſſe, Dux Aurelianenſis cenſebat, ut *Fourmontius*, cui continuatio Operum *Hoamgii* demandata erat, non ſolum Latino-Sinenſe, ſed Gallico-Sinenſe quoque, Dictionarium ederet, ne regni Galliæ ſubditi mediis linguam illam addiſcendi, cura & ſumptibus Regis paratis, defraudarentur. Quam accurate morem mandato Principis *Fourmontius* geſſerit, uberius hoc Catalogo demonſtratur, ubi methodus quoque *Fourmontii*, & quem ſcopum Vir rerum harum peritiſſimus ſibi præfixum habuerit, exponitur. Inſervire hæc commode poterunt illis, qui eandem viam ingrediuntur, intuentibus improbum laborem Viri, qui primus glaciem fregit. Quantum enim laboris Viro induſtrio exantlandum fuerit, vel ex eo intelliget Lector, quod unum ex illis pluribus Dictionariis, ob inſignem uſum ab Autore inprimis commendatum, ſi prelo committeretur, facile 6 Volumina in fol. quod vocant, compleret. Ne quid linguæ Sinenſis ſtudio deeſſet, Grammaticam quoque *Fourmontius* compoſuit, qua non ſolum linguæ vulgaris, ſed ejus etiam, quæ eruditis gentium illarum propria eſt, fundamenta tradidit. Non ingratum Lectori erit, ex ipſo hoc Catalogo intelligere, qua methodo propoſitum ſit executus, quibusve invidorum nonnullorum artibus inpreſſio retardata atque expedita fuerit. Cum profectus ſuos in lingua illa peregrina tot ſpeciminibus jam demonſtraverit, atque eruditis, ut vel ex hoc Catalogo conſtat, abunde probaverit, dolendum omnino, labores Viri do-

ctiſſimi non eo Procerum Galliæ patrocinio ſuffulciri, ut certus ex iisdem in Europæarum gentium eruditos redundare poſſit uſus. Ætatem in addiſcendis atque explicandis linguis fere conſumſit, oculorum aciem admodum hebetavit, corporis vires exhauſit, &, cum paucis omnino ſcientiam ejusmodi parum lucroſam promovendi animus ſit, metuendum omnino, ne eorum quoque jacturam faciamus, quæ multorum annorum laboribus jam parata ſunt. Procerum Galliæ ſtudium artes ac ſcientias provehendi, atque viros doctos fovendi, quod Ludovici XIV temporibus merito celebratum eſt, nunc admodum deferbuiſſe, non ſine ratione quis ſuſpicaretur.

PHILOSOPHIA HÆRESIUM OBEX; Autore CHRIST. GOTTL. JOECHERO, Profeſſore Lipſienſi.

Lipſiæ, apud Jo. Frid. Gleditſchii B. filium, 1732, 4. Alph. 1 pl. 11½.

NOn uno officio civitatem ſibi obſtringit, qui non modo pacem cum hoſtibus conciliat, ſed eos in armorum quoque ſocietatem trahit, ut conjunctis viribus alii reipublicæ imminentes fortius propulſentur. Hoc Celeb. Autoris inſtitutum eſt, qui Philoſophiam cum Theologia non ſolum in gratiam redire jubet, poſtquam aliis odio irreconciliabili in ſe mutuo flagrare viſæ ſunt, ut, deſperata concordia, de pace ſaltim aut induciis cogitarent, ſed caſtra quoque utriusque diſciplinæ, amico fœdere ſociata, adverſus communem hoſtem conjungere ſuſcipit. Illud vero eo argumentorum robore, facundia, & dictionis elegantia ac dignitate exſequitur, ut lectori non modo aſſenſum extorqueat, ipſumque erudiat, ſed verborum ſuavitate quoque atque rationum pondere mirifice delectet. Elegans, qua utitur, methodus origini Operis debetur. Cum enim ante aliquot annos Philoſophiam publice docendi provinciam in patria Academia capeſſeret, idque munus ſolenni Oratione auſpicaretur; hoc

de

Digitized by

de Philoſophia hæreſium obice argumentum ſelegit, quod noſtris temporibus inprimis accommodatum videtur, ubi alii, ut ſacris detrahant, Philoſophiam nimis extollunt, alii nimis deprimunt. Bilioſis vero nonnullis cum in Oratione illa quædam nimis libere dicta viderentur, quæ Cl. Autori, intra anguſtos ſermonis Academici cancellos concluſo, prolixius recenſere aut uberius illuſtrare non licebat, omnia hoc Opere complecti, atque, ne obtrectatoribus vel Theologiæ vel Philoſophiæ criminandi locus ſuperſit, efficere ſategit. Aciem argumentorum ſingulis theſibus explicat, quas, ſubjecto Commentario uberrimo, ex Hiſtoria tum literaria, tum eccleſiaſtica, luculenter illuſtrat, multa, quæ apud alias fruſtra quæſieris, inſpergens. Auſpicatur Opus inquirendo in aſſerti pervulgati veritatem: an Philoſophia mater vel obſtetrix hæreſium dicenda ſit, cui frigidam ſuffundit *Tertullianus*, diſerte pronuncians: *Hæreſes a Philoſophia ſubornari*, imo *hæreticorum Patriarchas Philoſophos eſſe.* Exempla, quibus invidiam, quam Philoſophis conflare ſuſceperant nonnulli ex Patribus, palliarent & alerent, non deeſſe videbantur reſpicientibus, pleroſque antiquorum errores, quibus Eccleſiam turbarunt, e nimio *Platonis* cultu ac veneratione profluxiſſe; *Gnoſticos*, *Priſcillianiſtas*, *Prædeſtinatianos*, *Pſeudo-myſticos &c.* e Stoica ſchola pleroſque prodiiſſe; *Arianos*, *Eunomianos*, *Pelagianos*, alioſque permultos, Scholaſticorum inprimis doctorum gregem, *Ariſtotelis* Philoſophia captos, tot errores vel quisquilias infelici partu edidiſſe, & mox in Theologiam incongrue invexiſſe. Cauſa hæc ingenti animorum motu jam a multis ſeculis agitata fuit, ſed, non ſine tumultu ac invidia actam eſſe, ſatis apparet, cum Patrum nonnulli ab aliis nimii in *Platonem* ſtudii accuſati fuerint, quos alii contubernii cum *Platone*, alii commercii cum *Zenone* poſtularunt. *Ario*, quod *Ariſtotelis* doctrina ineſcatus fuerit, vulgo exprobrant, cum tamen ipſe *Chriſtoph. Sandius*, verba *Petavii*, *Arium* germanum *Platonis* fuiſſe recenſens, iſta neutiquam reprehendat, ſed ſua prorſus faciat. Ea in caligine luculentam eruditis facem præfert

fert Celeb. Autor, ex genuinis Historiæ fontibus, & antiquissimis temporum monumentis erudite demonstrans, cui inprimis ex diversis Philosophorum sectis singuli veteris Ecclesiæ Patres nomen dederint. Cum itaque multi mysticæ Theologiæ, corruptæ nimirum, non puræ illius, quæ in exornando ac perficiendo interno hominis regeniti statu occupatur, natales in *Pythagoricis* & *Platonicis* scholis quærant; Noster docte conjicit, plurimum labis illi adspersum fuisse ex Stoicorum ineptiis atque nimia *ἀπαθήας* jactatione. Non satis hæc observavit *Ehregott Dan. Colbergius*, dum in Tractatu, quem vernacula edidit, *das Platonisch - Hermetische Christenthum*, mysticos *Platonici* inprimis contagii publice accusavit. Contendit enim Celeb. Autor, *Colbergium*, cujus librum multo studio perlustravit, adeo parum Systematis *Platonici* gnarum fuisse, ut non sine ratione dubitandum sit, an *Platonis* Opera *Colbergius* unquam legerit, idque multo minus *Stifelium*, *Weigelium*, *Bœhmium*, *Burignoniam*, Quackeros, aliosque, quos disciplinæ *Platonicæ* alumnos constituit, fecisse suspicetur. Ipsum autem *Souverainium*, autorem libri famosissimi, *le Platonisme devoilé*, dum fere omnia Christianæ religionis mysteria, inprimis Trinitatem, e *Platonis* rivulis in Ecclesiam derivata esse criminatur, vix serio scripsisse, conjicit. Testari enim ipsum ejus librum, viro alias haud obtusi ingenii satis acuminis fuisse ad pervidendum, quantum discriminis inter Christianæ fidei dogmata & *Platonis* errores intercedat. Eo igitur animo ipsum hæc excogitasse arbitratur, ut omnem tandem Christianam religionem, cui parum pretii statuere videtur, enervare & ludibrio exponere posset. Eandem molitionem *Clerico* quoque exprobrat, qui in *Paraphrasi & animadversione in 18 priora Capita Johannis Evangelistæ*, editioni novi Testamenti *Hammondiani* inserta, τȣ̃ λόγȣ denominationem apud S. Johannem e *Platonica* schola emendicatam, multasque passim in N. Test. phrases *Platonicas* occurrere. & Patres tantum non omnes immani studio *Platonem* cum sacris literis conciliandi flagrasse, contendit. Opposuere illis multi, quos Celeb.

Digitized by Google

Celeb. Autor accurate recenſet, pruritum Philoſophiæ *Platonicæ* damnantes, atque de multiplici labe, quæ diſciplinæ ſacræ hoc in *Platonem* ſtudio adſperſa eſt, graviter conqueſti, ſæpe etiam in contrario currentes, tranſitum in caſtra *Ariſtotelis* fecerunt, ut *Platonem* eo felicius proſcriberent. Dici non poteſt, quam tumidis verbis nonnulli conſenſum doctrinæ *Ariſtotelis* cum S. Scriptura prædicaverint, tanta verborum ambitione ſtomachum prudentioribus moventes. Sed, quæ eſt humani ingenii inconſtantia, alii rurſus indignis valde probris *Ariſtotelem* affecerunt. Nullus tamen inter omnes famam ejus intemperantius allatravit, quam *Jo. Wilhelmus Zieroldus*, qui vernacula duabus Partibus edidit *Introductionem ſolidam in Hiſtoriam Eccleſiaſticam*, quo libro enarrationem rerum inter Philoſophos geſtarum cum Hiſtoria ſacra combinare inſtituit. Hoc Opere contumelioſis valde probris *Ariſtotelicos* vexat, *Platonicam* vero Philoſophiam invidendis ubique laudibus extollit, ejus conſenſum cum veritatibus θεοπνεύςοις crepat, contra vero omnium hæreſium veſtigia, natales, aut occaſionem, in *Ariſtotelis* Syſtemate deprehendere ſibi videtur. Cum vero vino non admodum vendibili nova hedera opus eſſet, & propterea bibliopola, mutato Operis hujus, eruditis parum probati, titulo, atque recuſa A. 1731 prima prioris Partis plagula, hanc novam inſcriptionem libro præfigi curaret: *Philoſophia Ariſtotelico-Scholaſtica hæreſium patrona & obſtetrix*; Autoris animum aperte prodidit, & ſcopum Operis recte expreſſit. Nimio quoque adverſus *Ariſtotelem* æſtu excanduiſſe videtur *Ehreg. Dan. Colbergius*, qui in Præfatione Operis *de Origine & progreſſu hæreſium*, librum ſub titulo, *Regnum tenebrarum ex mixtura Philoſophiæ Ariſtotelis cum Theologia enatum*, pollicitus eſt. Nihil tamen ejus hactenus prodiit, nec ſpes jam poſt fata Autoris ſupereſt, aliquid ejus unquam proditurum. B. *Buddeus*, vir poſt fata etiam magnus, laudabili quidem opera hæreticos e contubernio *Ariſtotelis* prodeuntes accurate expiſcatus eſt, eorumque magnam nubem eruditis exhibuit; at monet Cl. Autor, ipſum nonnullos illis admiſcuiſ-

ſe,

ſe, de quibus dubium valde ſit, an ſcholæ *Ariſtotelis* alumni fuerint. Conſtat hoc inprimis *Almarici* exemplo, qui a *Platonicis* potius, quam *Ariſtotelis* ſequacibus, in devia raptus, errores in Eccleſiam varios invexit; quod jam a *Jo. Hermanno ab Elswich* in *Annotationibus ad Launojum* obſervatum eſſe videmus. Miratur inprimis Doctiſſ. Autor, qui factum ſit, ut Celeb. ille Theologus in iſto hæreticorum *Ariſtotelicorum* indice *Arianos*, *Eunomianos* & *Pelagianos*, omiſerit, quos genuinam *Ariſtotelicorum* propaginem fuiſſe, firmum hodie atque exploratum eſt. Media igitur via incedens, *Ariſtotelem* neque prorſus excuſandum & temere purgandum eſſe, neque vero petulanter ipſi inſultandum eſſe, cenſet. Latent omnino peſtilentiſſimi in illa Philoſophia errores, qui ſi dogmatibus ſacris inferantur, putido ſqualore ea haud dubie defœdant. Dei enim ſubſtantiam minus bene explicat, providentiam ejus ſupra lunari regione concludit, animas morti obnoxias eſſe docet, mundi æternitatem aſſerit, & quæ alia ſunt, quæ vel intempeſtivi ejus admiratores nullo prætextu palliare potuerunt. Satis hoc ſcholæ Pariſienſis doctores olim perſpexerunt, qui publice propterea *Ariſtotelis* libros comburi, atque ab Academia ſua prorſus exulare juſſerunt. Factum hoc eſſe, etiamſi *Launojus* ex chartis Academiæ abunde demonſtraverit, *Piccinardus* tamen pertinaciter negat, acriter contendens, nunquam Philoſophicos & Metaphyſicos *Ariſtotelis* libros publice Pariſiis crematos fuiſſe, ſed quorundam duntaxat e *Platonicis* ſcripta, quibus ſcioli quidam, præfixo *Ariſtotelis* nomine, autoritatem & gratiam ſubdole conciliare in animo habuerant. Sed, etiamſi hac in cauſa elumbia atque rhetorum coloribus fucata ſint *Piccinardi* argumenta, certum tamen eſt, plures hæreſes ex *Ariſtotelica* Philoſophia unice ſcaturiiſſe. Quemlibet vero, præceptoris ſui placitis ineſcatum, aut odio in *Ariſtotelem* petulanter furentem, cauſæ hujus arbitrum ſtatuere, omnino nefas eſt. *Patricius* enim, *Ariſtoteli* paſſim inſultans, tot iniqui animi in interpretando *Ariſtotele* ſpecimina prodidit, ut ſuſpectus merito teſtis habeatur. *Hobbeſio*, qui omnes primæ

poſt

poſt Chriſtum ætatis hæreticos ex *Ariſtotelis* fontibus arva ſua irrigaſſe fingit, antiqua hiſtoriarum monumenta refragantur, ex quibus apparet, *Ariſtotelis* Philoſophiam illis temporibus neglectam prorſus jacuiſſe; ut taceamus, viri hujus, per omnem vitam meditationibus ſuis occupati, & in rebus hiſtoricis parum verſati, judicio de rebus in Eccleſia geſtis temere ſtandum non eſſe. *Laurentius Valla*, vir de renaſcentibus literis optime meritus, omni quidem Philoſophiæ infenſus fuiſſe, ejusque uſu Theologos interdixiſſe videtur, diſerte aſſerens, *nullum vehementiorem Philoſophiæ admiratorem Deo placere poſſe.* Sed famæ viri, cui literæ multum debent, parcendum eſſe ratus Cl. Autor, mitius judicat, ipſum non tam in ipſam Philoſophiam, quam corruptam per *Ariſtotelis* diſcipulos doctrinam, & Academicam ſectam, invectum fuiſſe. Magnos motus tum in ſchola, tum in Eccleſia, quondam excitatos fuiſſe, cum nonnulli Philoſophiam omnem e Chriſtianorum ſcholis proſcribendam eſſe contenderent, nemo ignorat. Ipſum B. *Lutherum*, cum primum repurgare a ſordibus Eccleſiam ſuſciperet, iniquiori in Philoſophiam animo fuiſſe, negari nequit. Virum autem beatum, atque omnis ſolidæ ſcientiæ egregium vindicem ac promotorem, in illa temporum eorum Philoſophiæ *Ariſtotelicæ* caligine, genuina Philoſophiæ notione deſtitutum, atque ita humani aliquid paſſum, mox vero mentem mutaſſe, & juſtum illi rerum humanarum divinarumque ſcientiæ pretium ſtatuiſſe, certum eſt. Litem illam *Hoffmannus*, Helmſtadienſis Academiæ Theologus, ſuperiore ſeculo revocabat, cui in mentem venerat, Philoſophiam cum Theologia adverſis frontibus concurrere, adeoque abrogandam prorſus & proſcribendam eſſe. Hiſtoriam controverſiæ hujus accurate quidem tradit *Baylius* in *v. Hoffmannus*; ſed, cum Cel. Autor noſter in Diſſertationem, occaſione contentionis illius Halæ a *Jo. Oleario* editam, & tum apologetica Præfatione, tum teſtimoniis & Patrum orthodoxorum, & recentiorum Theologorum, ornatam, inciderit, cujus compendium exhibet, multa inde promit, quibus augeri, illuſtrari, atque

corrigi *Baylii* narratio poteſt. Satis ex illo ſcripto publico apparet, omnem illam non niſi de verbis contentionem fuiſſe. *Hoffmannus* enim Philoſophorum vitia duntaxat reprehendit, atque, magni nominis inter ethnicos viros, ubi de rebus divinis, de origine mali, de animæ natura, de ſtatu hominis poſt hanc vitam, &c. diſſeruerunt, balbutiiſſe, imo graviſſime ſæpius hallucinatos fuiſſe, erudite demonſtravit. *Cornelius* autem *Martini*, cum ſociis, rati, ab *Hoffmanno* ipſam Philoſophiam ſperni atque contumelia affici, magno ipſum tumultu aggreſſi ſunt, cum reapſe illud certamen non niſi de verbis, phraſibus nonnullis, atque παιδείας τρόπῳ eſſet. Illa contentio poſtquam conquievit, nemo quidem, ſi a Fanaticis, omni veræ ſapientiæ infenſis, diſceſſeris, in cœtu noſtrorum inventus eſt, qui Philoſophiam criminari velle viſus ſit. Deprecatur enim Celeb. Autor pro *Jac. Frid. Reimanno*, accuſato a nonnullis, quod publice affirmaverit, *miſerrimam omnino Theologiæ faciem illis temporibus fuiſſe, quibus Theologi Philoſophiæ ſedulam navarunt operam; optimum quemque Philoſophum peſſimum ſemper Theologum fuiſſe; contra vero Theologos de Eccleſia optime meritos nunquam felices in Philoſophia progreſſus feciſſe.* Videtur enim Vir doctus hæc ingenii ſaltim gratia ſcripſiſſe, atque alias plane notiones, quam quæ uſu receptæ ſunt, cum vocibus Philoſophi & Theologi conjunxiſſe. Nonnulli quidem, Theologo omnem Philoſophiam abjiciendam eſſe, profiteri haud auſi, uſum tamen ejus anguſtis admodum circumſcripſere limitibus, quos iniquo in Philoſophiam animo fuiſſe, negari nequit. Obſervat Cel. Autor, nonnullos noſtræ quoque Eccleſiæ Theologos multam Philoſophiæ invidiam conflaſſe, phraſi jam a multis temporibus recepta, qua, Philoſophiam ancillam vocare, ſolenne eſt. Licet enim animus illis fuerit, his verbis affectatum duntaxat quorundam in ſacra dogmata dominium eo certius proſcribere; denominationem tamen hanc infra dignitatem Philoſophiæ eſſe, arbitratur, cum diſciplina hæc alumnos ſuos multa doceat, de quibus nihil in Theologia occurrit, &, licet utrique ſcientiæ in multas magni

Digitized by Google

gni momenti veritates commune & æquum jus ſit, eas tamen ex aliis longe principiis Theologum, quam Philoſophiæ ſtudioſum deducere. Conſultius itaque videtur, Philoſophiam ſociam Theologiæ vocare, quam ancillam, inprimis cum Cel. noſtræ ætatis Philoſophus, *Chriſtianus Wolffius*, Collega noſter venerandus, ſingulari Schediaſmate, *de Philoſophia non ancillante*, erudite nuper oſtenderit, Philoſophiam ſuperioribus Facultatibus non alia ratione ancillari, quam *quod dominæ, alias in tenebris nonnunquam ambulaturæ, facem præferat, ne forte impingat; atque ſuperioribus Facultatibus terminos & principia ſuppeditet, quibus opus eſt ad rectius intelligendas ſuperiorum illarum diſciplinarum doctrinas;* non vero ancillari Philoſophiam, dum ea tradat, quibus cum in vita communi, tum in civili, opus eſt, & quæ a ſuperioribus Facultatibus fruſtra exſpectantur. Sed, cum Celeb. Autori, de verbis altercari, aut ſubtilitatem illorum affectare, animus non ſit, perinde ſibi eſſe, fatetur, ſive quis ſociam Theologiæ, ſive ſervam, Philoſophiam vocet, modo Philoſophia, qua in exponendis, illuſtrandis, atque combinandis arduis veritatibus utimur, intra ſuos ſe contineat limites, neque dominium temere ſibi arroget, ne verborum uſus rebus ipſis forte fraudi ſit. Obſervat interea, philoſophica Theologiæ tractatione tranquillitati Eccleſiæ optime caveri, atque turbatoribus, qui tot tragicorum in ipſa motuum autores extitere, ſano Philoſophiæ uſu aditum intercludi. Suffragatur ſententiæ huic Theologus, meritis in Eccleſiam noſtram immortalibus illuſtris, atque nemini de errore doctrinæ ſuſpectus, cujus memoriam omnes doctrinarum puritatem colentes ſuſpiciunt, *Abrab. Calovius*, diſerte pronuncians, ſe exiſtimare, *tum demum quietam fore atque beatam Eccleſiam, ſi aut Philoſophi vere dent operam Theologiæ, aut Theologi pie philoſophentur.* Nemo, qui nodum in ſcirpo haud quærit, graviſſimi Theologi verba ita accipiet, quaſi Philoſophis, ſeu potius genuinæ Philoſophiæ uſus haud ſatis gnaris, & propterea res ſacras turbantibus, frigidam ita ſuffundere inſtituiſſet, ſuo calculo rerum ſacrarum cum naturalibus miſcelam probans. Dum enim Philoſophiæ

uſum in ſacris commendavit & vindicavit, id non eo conſilio fecit, ut ſacris literis detraheret, earumque vim & efficaciam in animis hominum elevaret. Scripturæ enim ſacræ in controverſiis theologicis uſus omnino primarius eſt, Philoſophiæ ſaltim ſubſidiarius, dum demonſtrationem ſpiritus ac veritatis eruere, defendere & applicare, docet. Cordati itaque Theologi nugas illorum nunquam non damnarunt, qui Philoſophiæ aliquam in ſpiritualibus & generando divino aſſenſu virtutem & efficaciam tribuunt. Furor hic olim *Barthol. Keckermannum* invaſerat, quem in Syſtemate theologico ſine rubore prodidit, diſerte ſcribens: *Deum lucem Spiritus ſancti ſui per duas illas plane divinas diſciplinas, Metaphyſicam & Logicam, in mentibus hominum velle accendere.* Reprehendit nugas hominis *Balthaſ. Meiſnerus*, &, cum illas *Nicol. Vedelius* recoqueret, hunc cum *Keckermanno* ex merito depexum dedit Theologus, quem inter accuratiſſimos cœtus noſtri merito referimus, *Jo. Muſæus*, in egregio Tractatu, *de Uſu principiorum rationis & fidei.* Eos itaque in bellis domini non recte procedere, ſed incongrue aciem inſtruere, exiſtimat Cl. Autor, qui, orta de myſterio aliquo regni gratiæ controverſia, ad Philoſophiam ſtatim advolant, ab illa ſuppetias emendicaturi, &, an iſtud poſſibile, quomodo, aut cur poſſibile ſit, anxie diſquirunt. Melius profecto ſibi & cauſæ, quam tuentur, conſulunt, qui ad S. Scripturam, tanquam ad ſacram anchoram, confugiunt, &, quid illa de myſterio, quod impugnatur, diſertis verbis tradat, ſcrutantur, tum vero demum Philoſophiæ auxilium allegant, atque veritatis hoſtibus demonſtrant, nullam in illa S. Scripturæ doctrina veram & inſuperabilem cum evidentibus rationis principiis contradictionem deprehendi. Ita enim Philoſophiæ ſuppetias recte advocat Theologus, ſi argumentorum copias conſcribat, quæ, profligato hoſte, non in ipſius forte Theologiæ viſcera graſſantur. Cum reſtaurata per *Carteſium* Philoſophia claritati ac diſtinctioni conceptuum mentis ſtudere, & nihil, quod non pro natura rei ſatis exploratum ſit, amplexari, jubeat; multis ſane Theologorum erroribus, quos hæreſes

reſes vulgo vocant, obex a Philoſophia ponitur, ſubinde monſtrante, evidentia adeo aut clara non eſſe, quæ hominibus, quid ſit evidens & clarum, haud ſatis intelligentibus, talia apparent. Pauci profecto tam perdita nequitia fuerunt, ut data opera hæreſes, quibus Eccleſia inquinaretur, excogitarent. Sed, dum propoſitionibus neque ſatis claris, neque recte probatis, temere aſſenſere, ipſi prius vel per judicii imbecillitatem, vel per affectuum vehementiam, in errores prolapſi ſunt hæretici, quam contagio hoc alios afflarunt. Uberius hoc Cl. Autor exponit, atque, repetitis ex Hiſtoria tum antiquorum, tum noſtrorum, temporum ſelectis exemplis, egregie illuſtrat, ex quibus ea duntaxat, quæ apud alios fruſtra quæruntur, excerpere in uſum Lectoris animus nobis erat. Sed copia rerum notatu digniſſimarum, in eleganti hoc Schediaſmate occurrentium, ita obrutos nos videmus, ut brevi compendio id abſolvi nequeat. Paucis itaque, quæ reſtant, enarrabimus, atque, omiſſis ornamentis, quæ ab Hiſtoria mutuatus eſt Cl. Autor, argumentorum duntaxat momenta excerpemus. Philoſophiæ igitur atque Theologiæ concordiam demonſtraturus, oſtendit, cum turbæ in foro theologico plurimæ ex uſu terminorum inanium & vocum haud ſatis definitarum ortæ ſint, qua re factum eſt, ut multi conſenſum *nobiſcum mentiantur, reapſe toto cœlo a nobis diſcrepantes*, Philoſophiam vitiis his egregie mederi, & vocibus non niſi recte & accurate determinatis uti jubere. Hac ipſa methodo criminationes hæreſium reſuſcitatarum, quibus adverſarii ſubinde noſtros laceſſunt, ne fraudi ſint orthodoxis, optime retunduntur, ipſa S. Scriptura a Pſeudhermenia hæreticorum maſcule vindicatur, atque precaria adverſariorum principia condigne excutiuntur. Imo, dum mores Philoſophia emollit, ne quis intemperantius in accuſandis hæreticis verſetur, nodum in ſcirpo quærens inanibus impediatur logomachiis, aut rixas circa problemata, ut vocant, moveat, hæc divinarum humanarumque rerum ſcientia, candorem requirens, ſuadet. Notum quoque, multos hæreticorum Philoſophiam vehementer deteſtatos eſſe, quorum veſtigiis turba homi-

num male feriatorum, lumen aliquod internum inepte ja-ctantium, noſtris temporibus inſtitit. Alii, in contraria currentes, erroribus ſuis per Philoſophiam velum obducere, illosque nebula involvere, moliti ſunt. Horum omnium artibus ac fraudi opportune occurrens Philoſophia, nervum probandi in adverſariorum telis explorare, atque incongruam utriusque diſciplinæ, Theologiæ & Philoſophiæ, miſcelam reprehendens, ſcopulos hos feliciter præternavigare docet. Ecquis falſa Philoſophorum principia, quibus multi hæreticorum ſuos palliarunt errores, recte explodet, quomodo paulatim opiniones illorum formatæ, denique excluſæ fuerint, exponet, aut affectuum in illis fovendis atque producendis vim ſatis rimabitur, ſi principiorum Philoſophiæ notitia plane deſtitutus fuerit. Si denique fortes atque periti athletæ Eccleſiæ cauſam nunquam non maſcule tuiti ſunt, quam inepti homines, nec armis ſatis inſtructi, nec animo, ut par erat, obfirmati, prodidere magis, quam vindicavere, rebus, quibus impares erant, incongrue ſeſe immiſcentes; multum profecto ſubſidii Theologus a Philoſophia mutuabitur. Hæretici multi, athei inprimis noſtrorum temporum, artibus diſputandi aliisque ſcientiis naturalibus callide armati, profecto non velitationem, ſed acerrimam pugnam, minantur, cum quibus in arenam temere deſcendit, qui parem virtutem atque æqualia arma opponere neſcit. Cum denique in diſputando candorem ac modeſtiam Philoſophia commendet, Theologia vero amorem præterea Chriſtianum requirat; ſatis apparet, quibus præſidiis cauſæ Eccleſiæ noſtræ ſuffulciatur, ſi Philoſophia cum Theologia arma ſociata ſubminiſtret. Quam vero erudite, graviter atque facunde, Cel. Autor argumenta hæc illuſtret, ex ipſo Opere, omnino ſacrarum literarum ſtudioſis noſtris inprimis temporibus, quibus Philoſophiæ ſtudium inter proceres reipublicæ floret, commendando, diſcere jubemur.

UBBONIS EMMII Tractat von Oſt-Frießland ꝛc.

h. e.

UBBO-

UBBONIS EMMII TRACTATUS DE FRIſia Orientali, in Germanicam linguam translatus, Annotationibusque & Documentis illuſtratus, atque, ubi opus fuerat, confutatus.

Aurici, apud Hermannum Tapperum, Typographum Sereniſſ. Principis Friſiæ Orient. 1732, 8.

Alph. 1 pl. 12.

UBbonis Emmii haud ita pridem in lucem primum editam Hiſtoriam noſtri temporis, quæ adhuc manu ſcripta virorum doctorum ſcriniis aſſervabatur, ſequitur jam preſſo pede, idque jure ſuo, pridem ac ſæpius editus ejusdem *Status Friſiæ Orientalis*, ſed, ut legi etiam ab linguæ ejus ignaris poſſit, ex Latina in vernaculam linguam accurate converſus, & Annotationibus pariter ac documentis notatu dignis ſtipatus ab Excell. *Ennone Rudolpho Brenneyſenio*, per ſex & triginta annos jam de Friſia Orientali optime merito, Viro laudibus noſtris majore, & vel uno illo Opere, quo Hiſtoriam Friſiæ Orientalis, congeſtis ex tabulario publico monumentis, expoſuit, immortale apud bonos cives nomen adepto. Præmiſſa eſt libello, poſt Dedicationem ad Sereniſſ. Principem, *Georg. Lebrechtum*, in qua, ut & in ceteris omnibus, *Seckendorſium* noſtrum redivivum nobis videre viſi ſumus, luculenta Præfatio, qua, quod in majori, quod laudavimus, Opere pridem luculenter factum, denuo ſuam *Ubboni Emmio*, viro ceteroqui docto judiciique acrioris facultate pollenti, & cui vetus Græciæ inprimis hiſtoria plurimum debet, in patriis rebus imperitiam, malam fidem temeritatemque, & quæ inde lectio librorum ejus damna peperit, jure meritoque exprobrat. Quibus præmiſſis, oſtendit, hauſiſſe inde, quæ minus vere de Friſiæ Orientalis ſtatu publico tradiderunt, Ill. Autorem libri præclari *Europæi Fecialis*, *Hermannum Conringium*, tametſi gente Friſium, at quantum in his patriæ rebus vel inquirendis curate vel exponendis virum, qui patrem ſuum, Paſtorem Eccleſiæ Hintenſis in Præfectura Emdenſi, inſtinctu Emdenſium cœtui ſuo ereptum non igno-

ignorabat haud dubie, ac præterea non tantum in Cogitationibus de Brunſuicenſibus, tum legitimo ſuo Principi obſequium negantibus, quæ Operibus ejus inſertæ reperiuntur, ſed & alibi, Emdenſium conſilia improbavit, *Jo. Nicol. Hertium*, aliosque. Oſtendit præterea, in ipſa provincialia pacta inde errores graviſſimos manaſſe, ab iisque non immunem eſſe *Puffendorffium* in *Hiſtoria Friderici Wilhelmi*, aliosque, virorum tantorum autoritate deluſos; hinc & in ipſa Friſia Orientali & alibi plurimos ea opinione duci, Principi nihil omnino juris eſſe in urbem Emdam; eam contra ceterosque provinciæ Status poſſe libere de rebus publicis cum externis magiſtratibus conſilia agitare, paciſcique nec conſcio Principe, nec conſulto; atque ea pariter aliisque pravis opinionibus juvenes in Academiis externis peſſimo exemplo imbui; nec tamen ſperari quietem, aut Principem populo ſuo ſine turbis præeſſe poſſe, niſi *Emmio* larva detrahatur, dolendumque omnino eſſe, non ſtatim id, cum libri *Emmii* prodirent, eſſe factum. Sed A. 1707 non tantum *Emmii* ſchedas, ſed & documenta plurima, ſeſe propitia fortuna obtuliſſe, unde ei malo etiam cum medicina parari opportuna poſſit, eorum partem longe maximam in Hiſtoria Friſiæ Orientalis ab Excell. Autore collectam deprehendi, partem haud contemnendam poſtea e tenebris protractam, in hoc exhiberi libello, non tantum Germanica veſte induto, ſed & in Capita & Paragraphos diſtincto, Annotationibusque illuſtrato, nec fructu ſuo apud bonos cives carituro; conſtare ſatis, reperiſſe *Emmium* in patria pariter atque alibi patronos, Hiſtoriam Friſiæ Orientalis ita, ut vir Excell. eam edidit, convitiis proſcindentes; ſed homines fere ejus eſſe generis, qui ſententiam ferre de his rebus non poſſint, & Autorem ſatis ipſis Cæſareis mandatis, ei perhonorificis, defendi; eventum docere ipſum, quantopere Deo, Principi Principum, cauſa Emdenſium placeat; *Emmio* etiam ipſi non una excidiſſe vel invito, quæ, quo jure cauſa illa nitatur, luculenter ob oculos ponant. Hactenus de Præfatione. Quod ad libellum jam ipſum, ejusque Annotationes longe doctiſſimas, ut

& mo-

& monumenta iis subjuncta attinet, de iis Lectores æqui & veri studiosi ipsi viderint, quibus inde messem haud parcam optimarum observationum bona fide pollicemur, nullo modo verentes, ne encomiastæ libelli optimæ frugis videamur, qui Lectoribus a partium studio alienis sua se sponte satis commendabit.

Joh. Friedrich Bertrams Historischer Beweiß 2c.

h. e.

JO. FRIDERICI BERTRAMI, SERENISS. Principis Frisiæ Orientalis Consiliarii Consistorialis & Concionatoris Aulici, Historica demonstratio, qua Frisiam Orientalem tempore Reformationis Evangelico-Lutheranæ non Reformatæ accessisse evincitur, una cum Sciagraphia Historiæ primi Frisiæ Orientalis Superintendentis, JOANNIS a LASCO.

Oldenburgi, apud J. C. Götier, 1732, 4.

Plag. 7.

QUæ in scripto, quo modum ac rationem celebrati in Frisia Orientali Jubilæi secundi A. C. compendiaria rerum sub tempora Reformationis in Frisia eadem gestarum narratione stipatam, superiori anno exposuit S. Rev. Autor, de Frisia Orientali ab initio non *Zwinglianis*, ut Emdani contendunt, sed *Lutheranis* partibus addicta luculenter docuit, uberius in hoc Schediasmate demonstranda duxit, allatis in medium viginti rationibus, ita utique comparatis, ut, quid solidi opponi iis a viris nullo partium studio abreptis possit, nullo modo pateat. Quod tamen nihilominus Reformatis sua non desunt tela, quibus contrariam sententiam defendant, ea ipsa retundit S. Rev. Autor, & sub finem Ordinationem Ecclesiasticam Luneburgensem, Ennone II Frisiæ Orientalis gubernacula tenente, in eandem introductam, quam pro fabula venditant, clarissime vindicat. Subjuncta est libello Sciagraphia *Historiæ Joannis a Lasco* scribendæ, quæ ut quam-

 primum

primum prodeat, Historiæ literariæ studiosi utique vehementer optabunt.

PETRI DE SPINA, ARCHIATRI QUONdam Palatini, Artisque Medicæ in Alma Heidelbergensi Professoris P. & O. Vita, per BALTHASAREM VENATOREM. GEORGIUS CHRISTIANUS JOANNIS denuo, adjectis quibusdam Annotationibus, edidit, Appendiceque de Vita & meritis PETRI DE SPINA, P.F.P.N. auxit.

Biponti, typis Georgii Nicolai, 1732.

Pl. 9½.

QUibus inductus causis ad edendum hunc *Venatoris* libellum curam converterit, ipse Cl. Editor in Præfatione explicat, simulque difficultates in inveniendo illo sibi objectas enarrat, ac denique Autoris vitam animadversionibus quibusdam illustrat. Præfationem ipsa excipit Vita *Petri de Spina*, a *Vena-*
3. 4. *tore* descripta. Natus est autem *Petrus* Aquisgrani d. 8 Cal. Apr. A. 1563, ejusdem nominis patre, Medico non obscuro. Jactis ibidem ac Bremæ solidioris eruditionis fundamentis, Basileam se contulit A. 1578, &, invisis intra biennium Lipsiensi ac Jenensi
7. Academiis, integrum quadriennium Lutetiæ Parisiorum tran-
8. segit. Hinc in Italiam iter suscepit A. 1581, & Consiliarii nationis
11. Germanicæ munia obiit. Sed A. 1586 Basileæ Doctoris honore
13. ornatus, Aquisgranum rediit. In Palatinatum postea, licet ipsi non unum patria urbs decerneret honorem, secessit, ab Electore Friderico IV Medici intimi munere decoratus. Cujus post mortem Joannes, Dux Bipontinus, Palatinatus Administra-
16. tor, A. 1617 Heidelbergæ Professoris Medicinæ primarii ipsi demandavit spartam. Quæ Palatinatum postea devastarunt, fu-
20. nesti belli tempestates, ipsum multis affectum calamitatibus
22. mortem subire coegerunt. Obiit die 9 Octobr. A. 1622.
25. Agmen claudit ipsius monumentum & librorum brevis notitia. Juncta libello Cl. Editoris Appendix, quæ majorem eruditionis apparatum ostendit, Historia *Petri de Spina*, junioris,

ris, filii nimirum ſuperioris natu maximi, abſolvitur. In lucem 32.
is editus eſt Aquisgrani d. 10 Cal. Febr. A. 1592 ſtil. Jul. Do-
meſticis inſtitutis bene præparatus, A. 1608, Philoſophiæ ſtudia
ſectaturus, Gallias petiit. Inde Medicinæ ſe totum tra- 33.
didit, & ſupremos in hac arte, peragratis præcipuis Galliæ
Italiæque Academiis, honores capeſſivit Baſileæ A. 1615. Hei- 34.
delbergam reverſus, ibidem A. 1618 Medicinæ Profeſſor con- 35.
ſtitutus eſt. Aſt exitialis belli illius difficultatibus ceſſurus, A. 1628
Darmſtadium ſeceſſit, a Georgio, Haſſiæ Landgravio, Archia-
tri mactatus elogio. Sequenti anno iterum Heidelbergam, & A.
1635 Franckenthalium ſe recepit. Tandem Archiatri munus, a 36.
Francofurtenſibus oblatum, lubenti accepit animo. Quo in lo- 38.
co artem ſuam tanta exercuit felicitate, ut ipſius fama motus
Ferdinandus III, Romanorum Imperator, A. 1641 nobilitatis 40.
jura ipſi impertiret. Conceſſum ab Imperatore, quod vo-
cant, Diploma Cl. Autor inſeruit integrum. Vita functus eſt 45.
d. 11 Cal. Apr. A. 1555. Filios filiasque ejus ac poſteros, adjectis
ubique tabulis Genealogicis, profecto accuratis, ſumma cum
cura perſequitur Cl. Autor. Inter filios *Petrus* atque *Joannes* 51.
potiſſimum inclaruerunt. Ex reliquis *Petrum*, *Davidem* 53.
ac *Joannem*, Auguſtiſſimus noſter Imperator, Carolus VI, A.
1712 ad liberorum Dynaſtarum evexit faſtigium. *Joannes*, 56.
JCtus, Academiæ Heidelbergenſis primum Syndicus, Jurium
dein Profeſſor, ac Sacrorum tandem Conſiliarius fuit,
cujus & in Jus Publicum merita nobis non ſunt incognita.
Scripta ipſius exhibet Cl. Autor. Ex hac exceſſit vita A. 1689. 59.
Hujus filium, *Fridericum Petrum*, cum Hanoviæ A. 1721 faſces 61, 63.
Rectoris Magnifici teneret, mors præmatura abripuit.
Filia autem nupta eſt Illuſtri Domino *Nebelio*, Principis
Electoris Palatini Conſiliario ſanctiori & Archiatro, qui Am-
pliſſimo *Joannis* elegantis hujus Opuſculi edendi autor ſua-
ſorque extitit.

ELOGIUM CHRISTFRIDI WÆCHTLERI, JCti Dreſenenſis.

SI quis unquam amplum virtuteque sua & doctrina condignum Elogium a nobis postulare potuit; certe is est *Christfridus Wæchtlerus*, JCtus causarumque Patronus apud Dresenenses eloquentissimus atque religiosissimus. Verum eo breviori possumus ejus virtutem celebrare laude, quo præstantioribus selectioribusque ingenii monumentis memoriam suam vivus spiransque immortalitati consecravit. Hoc decus, hoc ornamentum togati ordinis Grimma, haud ignobile Misniæ oppidum, protulit. Annus agebatur superioris seculi secundus & quinquagesimus, quo XIV Cal. Decembris *Jacobus Wæchtlerus*, sapientiæ doctor, & sacerdotio apud Grimmenses singulari cum laude ultra quadraginta annos functus, ex integerrimæ matrona sanctimoniæ, *Elisabetha Margaretha*, *Reinhardi Backii*, clarissimi Theologi, filia, tam nobile carumque pignus susciperet. Nihil prius, nihil antiquius habebat *Christfridi* parens, quam ut tam felicis erectæque puerum indolis, divinis aquis ablutum, Christianæ fidei elementis instrueret, literarumque sacris, præclaro laudabilique exemplo, ipse initiaret. Postea in illustrem scholam Misenensem, ad majorem ingenii cultum capessendum, missus, incredibili morum suavitate, & pertinaci ac pæne inusitata industria omnium benevolentiam amoremque sibi comparavit, clariusque inter condiscipulos exsplenduit, quam illi, laudis appetentissimi, æquo animo ferre poterant. Dimissus inde bene actæ vitæ Testimonio, sexto decimo ætatis anno Lipsiam commigravit. Hic studiorum ducem secutus est præcipue *Jacobum Thomasium*, a quo, sapientum ordinis decurione, primam in Philosophia lauream A. 1670 accepit. Eodem anno, conflictum dirigente *M. Georgio Ulrico Schultesio*, *de Consiliis in Republica* e Philosophorum cathedra disputavit. Mox, novis viribus collectis, comite *Jacobo Thomasio*, *Societatis Civilis statum naturalem & legalem*, atque *Justitiam jusque belli primi Punici*, quas binas Dissertationes ipse elaboravit, publico eruditorum examini subjecit. Nec minori mentis sagacissimæ ardore

Digitized by Google

ardore divini afflatus myſteria, quæ graviſſimi exempli purioriſque doctrinæ laude florentes doctores publici, *Adamus Rechenbergius* & *Joannes Olearius*, tradebant, avide arripuit, quem utrumque diſceptationis publicæ, ſeparatis temporibus, arbitrum habuit. Nunquam enim diligentiſſimus *Wachtlerus* pugnam cum ſummis celeberrimisque viris ſubterfugit, ſed perſæpe animoſus ſe adverſariis hoſtis objecit, nec raro ex arena victor receſſit. Ex pulcherrimis his futuræ magnitudinis præludiis, *Wachtlerum* ingens olim ſacri ordinis præſidium futurum, ſpes effulgebat exoptatiſſima. Sed, quamvis cœleſtium myſteriorum amore abreptus, nunquam ſalutares beatæ æternitatis fontes depoſuerit, & præſtantes pietate doctrinaque Theologos præcipua coluerit obſervantia, atque de ſanctiſſima mentis divinæ voluntate cum ipſis per literas ſit collocutus; tamen ſe totum juris & æqui arti tradidit, & exercitatiſſimos Juris antiſtites, *Bartholomæum Leonhardum Schwendendærfferum*, *Romanum Tellerum*, *Godofredum Schilterum*, &, qui ad forenſem Jurisprudentiam ipſum erudiebat, *Godofredum Fuhrmannum*, duces ſelegit. Tam expeditas in Jurisprudentia progreſſiones brevi tempore fecit, ut jam anno præcedentis ſeculi ſeptimo & ſeptuageſimo actorum cura in præfectura Wolckenſteinienſi ipſi concrederetur. Nec ita multo poſt *Reinhardus Dietericus de Taube*, Saxoniæ Electori a Conſiliis intimioribus, & ſacri Palatii Quæſtor, noſtrum inter eos, qui ipſi a literis ſecretis erant, perhumaniter recepit. His eximiis atque inſignibus virtutibus clarus, ultimam de capeſſenda dignitate dimicationem ſubiit, & *de Gradibus culpæ in contractibus* pereruditum certamen Wittebergæ inſtituit, tumque ſummis in Jure honoribus ornatus, honorificum mirificæ induſtriæ ſuæ præmium reportavit. Tam luculento auctus nomine, honoribus non ad inſanam ambitionem titillandam, & ſplendidum otium ſectandum, quod perplurimi noſtri homines faciunt, abuſus eſt, ſed forum ingreſſus, magno animo cauſas difficillimas ſuſcepit, easdemque fortiter atque feliciter explicuit. Oderat Noſter teterrimos peſtilentiſſimosque homines,

mines, qui ex clientum inſortunio amplas copioſasque opes ſibi comparant, clamoſo inconditæ vocis rumore forum replent, & lites ex litibus ſerendo proceſſus immortales reddunt. Alio plane animo erat *Wæchtlerus*, resque a clientibus ſibi commiſſas ſumma fide inviolataque juſtitia ad optatum auſpicatumque exitum perduxit. Inde non aliter fieri poterat, quin omnes in deliciis haberent tam ſanctum incorruptumque Juris antiſtitem, graviſſimisque deſtinarent officiis; niſi vitam privatam, tranquillam illam placidamque, & ſua ſeſe commendantem innocentia, ambitioſis honorum prætuliſſet titulis. Quapropter, in exquiſitiſſimam Bibliothecam ſuam ſeſe abdendo, jucundam cum Regibus, Principibus, virisque inter eruditos primariis, vitam tranſegit, difficillimos Juris laqueos feliciter enodavit, & perdoctis perelegantibusque Obſervationibus *Actis* noſtris ingentem conciliavit ſplendorem. Hinc tot præclariſſimis libris regni literarii terminos mirifice produxit, ut fere miraculo ſimile videatur, virum, qui quotidianam vitam in mediis fori turbis exegerat, & cujus domum, tanquam commune civitatis Dreſenenſis oraculum, frequentes obſederant clientes, tam pulchros, tam ſubtiles, tam doctos libros ſcribere potuiſſe, quibus in ſui admirationem venerationemque ipſos Belgas, non ſemper æquos Germanorum æſtimatores, convertit. Scripſit enim Vir induſtrius *Vindicias Ziegleri contra Stricturas Henrici Henninges ad Grotium de Jure Belli & Pacis, Commentarium ad ſingulas leges Tituli Digeſtorum de Evictionibus, Lectiones Grotianas ad l. 1 & 2 de Jure Belli & Pacis,* quibus Stricturas contra *Grotii* interpretes addidit, *Notas ad Librum primum Probabilium Juris Gerhardi Noodtii, JCti Batavi, de Jure in re & ad rem, contra Io. Ferdinandum Behamb, JCtum Auſtriacum, Animadverſiones in Gerhardi Noodtii Opera, Amœnitates Florentinas in Lælii Taurelli Annotata Digeſtorum Florentinorum, de Iis, quæ Patres Concilii Tridentini dixerunt pro veritate Evangelicæ ſecundum Hiſtoriam Pallavicini*, denique prolixas illas *contra Spencerum, Theologum Anglum, de Cancellariis veterum* *Epiſto-*

Digitized by Google

Epiſtolas. Matrimonium iniit cum *Anna Margaretha*, e gente *Berlichia*, vidua *Butſchkia*, quam per duodequadraginta annos ſuaviſſimam vitæ ſociam habuit. Ex ea duo filios, mox a partu exſtinctos, & *Dorotheam Eliſabetham*, incomparabilis exempli matronam, ſuſtulit, quam celeberrimo noſtræ ætatis Theologo, *Chriſtophoro Henrico Zeibichio*, divinarum literarum doctori apud Wittebergenſes publico, rerumque ſacrarum Antiſtiti venerando, nuptum collocavit. Adeo ſuave ac fortunatum *Wæchtlero* erat cum *Margaretha* connubium, ut peracerbum ex cariſſimæ optimæque uxoris morte dolorem perciperet, & ab eo tempore multum remitteret a priſtino vigore, atque ad iter illud in illuſtrem beatiſſimarum mentium ſedem, & ad amplectendam dulciſſimam conjugem, a qua morte divulſus erat, ſerio ſe præpararet. Et voti compotem reddidit Deus, atque illum, poſteaquam cruenta eademque vehemens ſanguinis ejectio vires ejus paulatim debilitaſſet, cœleſti epulo ſubrefectum, & pia ſalutarique formula conſecratum, anno ſeculi noſtri primo & trigeſimo ipſis nonis Septembribus in veram æternamque patriam recepit. Vixit vir, ſi quis alius, continentiſſimus, pæne octoginta annos, eosdemque ſine ulla adverſæ valetudinis ſignificatione, & ſumma in victu potuque moderatione, transegit. Nos bene precamur piis *Wæchtleri* manibus, Deoque religioſe ſupplicamus, ut viros *Wæchtleri* ſimiles excitet in poſterum, qui illuſtri hujus exemplo inflammati, *Actorum* noſtrorum præclaram nobilemque curam ſuſcipiant, & in provehendam literarum dignitatem nobiſcum toto animo incumbant.

NOVA LITERARIA.

MEdiolani haud ita pridem *Socii Palatini vigeſimum tertium*, ſed in ordine *vigeſimum primum*, *Scriptorum Rerum Italicarum Tomum* exire in vulgus juſſerunt, optimæ notæ Scriptores continentem, quorum breviſſimum elenchum dabimus:

1) *Lau-*

1) *Laurentii Bonincontrii*, Miniatensis, *Annales* ab Anno 1360 usque ad 1458, nunc primum e MS. Codice *Miniatensi* in publicam lucem prolati.

2) *Joannis Simonettæ* Historia de rebus gestis Francisci I Sfortiæ Vicecomitis, Mediolanensium Ducis, in XXX Libros distributa, hoc est, ab A. 1421 usque ad 1464, antea edita, in præsenti vero impressione cum Avtographo ipsius Autoris collata, emendata, & aucta.

3) *Annales Brixiani* ab Anno 1437 usque ad 1468, Italica lingua conscripti, Autore *Christophoro a Soldo*, Cive Brixiano synchrono, nunc primum in lucem efferuntur ex MS. Codice Bibliothecæ Estensis.

4) *Chronicon Eugubinum* ab Anno 1450 usque ad 1472, Autore *Guernerio Bernio*, Eugubino, nunc primum prodit ex MS. Codice Vaticanæ Bibliothecæ.

5) *Diaria Neapolitana* ab Anno 1266 usque ad 1478, Italica rudi lingua conscripta, Autore *Anonymo*, nunc primum efferuntur in lucem e MS. Codice Nob. Viri, *Francisci Valletæ*, Jurisconsulti.

6) *Jo. Garzonii*, Bononiensis, de Dignitate urbis Bononiæ Commentarius, nunc primum prodit ex MS. Codice Bononiensi.

7) *De Laudibus Familiæ de Auria*, Autore *Fratre Adam de Montaldo*, Ord. Eremitarum S. Augustini circa Annum 1480, Opusculum, nunc primum in lucem prodit e MS. Codice Genuensi.

8) *Petri Cyrnæi*, Clerici Aleriensis, Commentarius de Bello Ferrariensi ab Anno 1482 ad 1484, nunc primum in lucem prodit ex MS. Codice Bibliothecæ Estensis.

Unus in his *Simonettæ* liber lucem ante viderat, sed cui omnino jam accessit novi aliquid. Etenim gentilis ejus, Clariss. *Jo. Antonius Simonetta*, Græcis Latinisque literis optime institutus, omnique doctrinarum genere politissimus, ex instructissima sua Bibliotheca avtographum MS. Codicem ipsius Autoris cum Cel. *Muratorio* communicavit cum veteri editione conferendum; atque is plura, quæ priscis temporibus, non sine causa fortasse, præterita fuerant, suis locis in calce pagellæ restituit, ita, ut novam propemodum formam vulgatus quidem antea liber insigni *Sociorum* cura induerit.

Dedicatus est hic Tomus Eminentiss. Principi, *Andreæ Herculi* S. R. E. Cardinali *de Fleury*; Galliarum regni Administro, qui jure optimo hoc sibi a *Sociis*, ob plures communicatos cum ipsis ex Regia Parisiensi Bibliotheca pretii non vulgaris MSS. Codices, obsequi tributum vindicavit.

Veronæ *Albertus Tumermannus* prelo iterum subjecit *Guarini*, Italorum Poetarum nobilissimi, Comœdiam, vernaculo sermone *il Pastor fido* dictam, cum alia ejusdem, *Idropica* inscripta, rariusque obvia, utramque juxta recentissimam editionem Londinensem recognitam, & cum elegantissimis *Pauli Rolli* Annotationibus, Londino transmissis, locupletatam.

Idem Typographus ejusdem *Rolli* Carmina, quæ ante aliquod tempus Londini prodiere, prelo repetita multisque accessionibus ditata, proxime in officina sua publicabit.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anno MDCCXXXIII.

HOMERI ILIAS GRÆCE ET LATINE, cum Annotationibus SAMUELIS CLARKE, S. T. P. nuper defuncti. Edidit atque imperfecta supplevit SAMUEL CLARKE, filius, S. R. S.

Volumen II.

Londini, typis Guil. Botham, impensis Jac. & Jo. Knapton in Cœmeterio D. Pauli, 1732, 4 maj.

Alph. 2 pl. 3.

QUod optimis quibusque veterum Autorum editionibus infausto sidere accidit, ut præmatura editoris morte vel retardatæ admodum & mutilatæ, vel abruptæ penitus & interclusæ fuerint, idem etiam *Homeri* huic editioni, quam paucis perlustrabimus, contigisse jure meritoque dolemus. Nam, quemadmodum Doctiss. *Samuel Clarke*, Editor *Homeri* præstantissimus omnium, primo Volumine, uti docuimus *Mense Januario A. 1730*, operas quidem exercente, sed typis nondum penitus exscripto, vitam cum morte commutavit, sic tantum abest, ut reliquos *Iliados* libros pari diligentia atque eruditione perfecerit, ut eosdem vix affectarit, primasque tantummodo lineas suo tempore, si per fata licuisset, absolvendas duxerit. Siquidem Cel. Editor hunc *Iliados* Tomum adeo imperfectum reliquit, ut vix in tres priores ex duodecim hisce posterioribus *Iliados* libris, itemque in quartum usque ad *v. 359* Annotationes ipse

perfecerit, textum autem & versionem usque ad *v. 510* ejusdem libri quarti recensuerit. Et, licet Vir doctissimus Annotationes & Observationes ceteris in libris margini passim adscripserit, inperfectas tamen illas & vix affectas fuisse, ipsa hujus Voluminis perlustratio unumquemque satis superque docebit. Gratias quidem debent omnes literarum elegantiorum studiosi Cl. *Samueli Clarkio*, filio tanto parente non indigno, quod Observationibus parentis his omnibus, ex MSto ejus quam accuratissime editis, prospexerit, ne interciderent penitus & perirent; sed, dum prius Volumen intuemur, eaque, quæ ad priores quatuor libros hujus Tomi annotavit ipse Vir celeberrimus, contemplamur, summo optimoque jure dolemus, longe majorem Observationum solidissimarum partem cum Autore suo interiisse, quam nunc a filio doctissimo cum orbe erudito communicari. Quandoquidem hic Annotationes reliquis *Iliados* libris partim ex patris in priores libros Observationibus excerptas, partim ex illis, quas per reliquos libros passim in margine scriptas reliquerat, collectas tantummodo adjecit, de suis ipsius paucissimis interspersis. Textum aut *Barnesii*, aut veterum editionum, retinuit, vix una aut altera ex Annotationibus paternis correctione adhibita. Versionem autem editionis *Wetsteinianæ* ita secutus est, ut non sibi duxerit religioni, eam interdum, ubi vel ipsa sententia exegerit, vel priores patris emendationes admonuerint, emendare. Variæ porro lectiones Codicis *Harlejani* & Italicorum quorundam, cum filio æque, ac cum patre olim, a Viro doctissimo *Thoma Bentlejo* communicatæ, suis sunt locis insertæ. Indices denique duos subjecit filius, quorum alter verba, de quibus in Annotationibus præcipue agitur, Autoresque, ibidem vel laudatos, vel notatos, vel denique emendatos & illustratos, continet, alter vero res in *Iliade* maxime memorabiles complectitur, ex editione *Wetsteiniana* fere desumtus. In calce vero hic pariter, atque in priore Volumine, conspicitur Catalogus librorum, quos Celeb. *Samuel Clarke*, pater, vel edidit vivus, vel mortuus reliquit in MSS. Atque hæc quidem sunt, quæ de opera *Samuelis Clarkii*, filii,

in

in hoc Tomo adhibita, fuerunt nobis referenda. Nunc ad
ipſum Opus redibimus, &, quoniam tres tantummodo libri
priores a Cl. Autore ante obitum abſoluti ea, qua prius Vo-
lumen, ratione fuerunt, ex iis quædam ſpeciminis loco &
pro inſtituto noſtro in medium afferemus, ex quibus per ſe
poſſit quilibet conjicere, quantam res literaria publica im-
matura Viri ſummi morte fecerit jacturam, quantoque ipſe
Homerus ornamento ſit privatus. Etenim, quæ in prioris
Tomi Annotationibus eruditiſſime fuerunt dicta, & ingenio-
ſiſſime excogitata, etiam in primis poſterioris Voluminis li-
bris conſpiciuntur. Sic particulas, quas Grammatici vocare
ſolent expletivas, ῥα, ἄρα, δὴ, κε, περ, γε, &c. doctiſſime
probat, ſuam omnino vim ad orationem & attollendam &
connectendam habere, & *utique*, *ſcilicet*, *adeo*, *ſane*, *certe*, p. 2, 4, 5, 6
ut diximus, &c. ſignificare. Sic figuram illam, quam Gram- 9, 12 alibi.
matici vulgo appellant antiptoſin, quave caſus ponitur pro
caſu, abſurdam eſſe affirmat, eamque eſſe contendit conſtru- 5 & 7.
ctionem ἀνακόλουθον. Quocirca *Iliad. Z v.* 390 Κυανοχαῖ-
τα non eſt Vocativus, ex Doctiſſ. *Clarkii* ſententia, pro
Nominativo, quia abſurde egerit Poeta, ſi aliud dixiſſet, aliud
voluiſſet, ſed re vera Nominativus eſt ex lingua Æolica &
Bæotica, vel etiam Macedonica, unde Latine factum eſt
poeta, *cometa*, & ſimilia. Pari ratione ad *Iliad. N v.* 78
Scholiorum ineptam cenſet eſſe obſervationem, quæ ab *Ho-
mero* ὤρορε pro ὤρμηται, ὁρμᾶται per ὑπερβιβασμὸν χρόνου,
poſitum tradunt. Peritiſſimum etiam rei metricæ fuiſſe *Clar-
kium* noſtrum, cum ex priore Volumine copioſe ſatis intelli-
gitur, tum idem ex variis multisque Tomi ſecundi locis
etiam comparet. Nam non ſolum contra *Barneſium* obſer-
vat, priorem in verbo τίω nunquam eſſe communem in *Ho-* 6.
mero, quia in iis temporibus, ubi duæ vocales non concur-
runt, nunquam prior corripitur, ſed etiam annotat, verba in 10.
άω τὸ α producere, quemadmodum verba in άζω illud α
corripiant. Et, quoniam πράσσω in lingua Ionica migret in
πρήσσω, τάσσω vero nequaquam in τήσσω, manifeſtum in-
de eſt, in illo verbo τὸ α produci, & in hoc corripi, licet

N 2 poſitio-

positione producatur. Atque inde rationem esse repetendam asserit, cur πρᾶγμα cum circumflexo, & τάγμα cum acuto scribatur, neque in his ullum unquam esse licentiæ locum. Male igitur a plerisque creditum est, vocalem υ in nomine χρύσεος communem fuisse, quæ tamen corripi non potest. Nam, quando *Iliad. N v. 24* & alibi χρυσέῃσιν legitur, prima hujus vocis syllaba non est brevis, sed omnino longa, quia olim pronuntiabatur χρυσῇσιν. Hinc eleganter *Iliad. Z v. 484*, ubi editi habent δηρὸν ἔῃ ἄτιτος, transpositis his voculis edendum curavit, δηρὸν ἄτιτος ἔῃ, propterea quod ἄτιτος & ἄντιτος & παλίντιτος & corripiuntur semper, & ex omni analogia semper corripiantur necesse est, id quod exemplis satis assiduis confirmat. Sic etiam *Iliad. N v. 241* recte arbitratur a *Barnesio* editum δύσετο, pro vulgari δύσσετο, quia prima hujus vocis syllaba necessario producitur; contra *v. 559* ab eodem *Barnesio* optime restitutum censet ἀκοντίσσαι pro ἀκοντίσαι, quia hoc penultimam necessario corripit. Quanquam vero eundem hunc virum doctissimum in his aliisque compluribus locis laudavit Celeb. Autor, in non paucioribus tamen ab eo discessit, eumque nonnunquam graviter lapsum fuisse, accurate animadvertit. Quamobrem ex hujus sententia *Barnesius*, quando *Iliad. N v. 83*, & alibi sæpius, τοφράδε edidit, & τὸ δέ παρέλκειν addidit in Annotationibus, inepte admodum & contra omnem linguæ Græcæ analogiam fecisse censendus est, æque atque *Eustathium* ad *Iliad. N v. 588* perperam reprehendisse. Quando vero idem ex ingenio in sua editione, *Iliad. Z v. 101*, αὐτὰρ ἀποπταινεόυσιν, pro vulgari, ἀλλὰ ἀποπταινέουσιν exhibuit, intoleranda id audacia atque etiam inscitia factum autumat Cel. *Clarkius*, qui, præeunte summo *Richardo Bentlejo*, & consentientibus MSS. Vaticanis & Florentinis, restituit ἀλλ' ἀποπαπταινέουσιν. Sæpius eidem etiam vapulat *Spondanus*, quippe qui crebro a vera vatis sententia ac mente aberrasse ostenditur. Invenuste admodum & jejune putat, Scholia *Iliad. Z v. 136* verba μετ' αὐτοὺς exposuisse per πρὸς αὐτοὺς, cum πρὸς αὐτοὺς ἐλθεῖν sit *advenire* solummodo,

p. 2, 4, 72, 113.

con-

contra ea *μετ' ἀυτοὺς ἐλθεῖν* sit *ita advenire*, ut iis, ad quos adveneris, deinceps *intersis*. Similiter ad *Iliad. O v. 472* inepte scribit, Etymologicos deducere verbum Latinum *pono* a *πονῶ*, cum sit contractum ex *posino*. In ipso vero textu exprimendo Vir licet acutissimus nihil temere sibi, nisi præeuntibus MSS. & urgente sententia, mutandum esse existimavit. Neque tamen in Annotationibus passim conjecturas satis accuratas & elegantes proferre dubitavit. Sic *Iliad. N v. 238* non infelici conjectura auguratur legendum *ἐπιςάμεθα μαχέεσθαι*, pro vulgari *ἐπιςαίμεσθα μάχεσθαι*, etiamsi receptam retinuerit in ipso textu lectionem. Neque invita, ut videtur, Minerva *Iliad. T v. 95* legendum conjectatur, *καὶ γὰρ δή ποτε ζῆν ἀάσατο*. Eleganter etiam emendavit passim versionem editionis *Wetstenianæ*, quæ, licet sit plerumque perelegans, non tamen suis caret vitiis. Itaque, ubi hac in versione *Iliad. N v. 276 seq.* dictio, *παρὰ νηυσὶ λεγοίμεθα ἐς λόχον*, redditur, *prope naves sedeamus in insidiis*, melius omnino & verius eam sic expressit, *prope naves seligamur ad insidias*. Quid? quod multis verbis lucem sane egregiam affudit primigenio illo, quem appellitare consuevit, & maxime proprio *Vocis mediæ* usu: hoc significatu capit *Iliad. N v. 168 οἰσόμενος δόρυ*, redditque, *allaturus sibi hastam*. *Iliad. Z v. 171*, *ἀλείψατο*, *unxit se*. *Iliad. O v. 113*, *πεπλήγετο μηρὼ*, *sua sibi percussit femora*, & *v. 128*, *διέφθορας*, *te ipse perdidisti*, *periisti*, *v. 167*, *ἶσον ἐμοὶ φάσθαι*, *æqualem se mihi dicere*, & *v. 359 σθένεος πειρωμενος*, *suarum sibi virium periculum facere*, *Iliad.* Π *v. 229* & *230*, *ἔνιψε*, *lavit poculum*, *ἐνίψατο*, *lavit manus sibi ipse suas*. *Iliad.* T *v. 23*, *θωρήξομαι*, *me ipse armabo*, & aliis in locis quam plurimis. Atque hæc quidem & multa alia sine dubio & accuratiora in hoc Volumine altero & copiosiora haberemus, si ipsi doctissimo Autori licuisset Operi fastigium imponere, limamque insuper alteram in eam stringere. Interim tamen nulli dubitamus, quin hæ Observationes Viri post fata etiam celeberrimi suos sint fautores consecuturæ, multo plures profecto habituræ, nisi gloriam hanc ipsis invida re-

Digitized by Google

bus mortalium mors intercepiſſet, & orbis eruditi ſpem votaque præcepiſſet.

PAUSANIAS, OU VOYAGE HISTORIQUE de la Grece &c.

h. e.

PAUSANIÆ DESCRIPTIO GRÆCIÆ Gallice translata, & Obſervationibus illuſtrata GEDOYNI, Canonici Sanctæ Capellæ, & Abbatis Balgentiaci (Baugenci), Academiarum tum Franciceæ tum Regiæ Inſcriptionum & elegantiorum literarum Adſcripti.

Pariſiis, apud Nyonium, 1731, 4.

T. I Alph. 2 pl. 19, T. II Alph. 3 pl. 4, Tabb. æn. 4 præter titulum.

NOli cogitare, Lector, cum *Sanctam Capellam* legis in Autoris titulo, ſermonem eſſe nobis de uno ex illis, quos in *plutei* ſui principio deſcribit ingenioſiſſimus Poeta Gallus. Hunc, ſi quis eſſe poteſt, ſcrupulum eximunt ſplendida Academiarum, quæ adjecta vides, nomina, ſed magis etiam ipſa novi, quod annunciamus, Operis inſpectio, quod declarat Virum ſane diligentem, & lingua patriæ ſuæ, id quod lubentiſſime credimus ipſius civibus, utentem non commode tantum, ſed etiam elegantiſſime. Gaudemus, ita judicari in Gallia, poſſe virum, eccleſiæ beneficiis utentem lautiſſimis, bonam temporis ſui partem in Scriptorem gentilium ſacris addictum impendere. Exſolvit Vir doctiſſimus
Ded. fidem ab Academia, quam ornat, Inſcriptionum datam, ſub ipſa inſtitutæ illius tempora. Bona pars hujus interpretationis laudabili veterum recitationum inſtituto prælecta doctiſſimæ ſocietati eſt, viris, quibus, ut Autor docet, lingua Græca eſt familiariſſima, quorum acerrima ingenii acies ea obſervat vitia, quæ vulgus lectorum effugiunt. Prima hæc eſt
p. 22. Gallica *Pauſaniæ* interpretatio. Nam, quod Cel. *Fabricius Vigenerii*

nerii ſtudio factam commemorat, ea nunquam fuit, certe nusquam hodie cognita eſt. Omittit idem Vir doctiſſimus Italicam *Alphonſi Bonacivoli*, Mantuæ impreſſam A. 1593. In notis profitetur brevitatem Autor, ſed quæ nihil obſcurum prætermittat, (ſed hic cogitabunt Lectores, alia aliis eſſe obſcura, eſſe etiam magna ingenia, quibus *nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri*;) a diſſerendi ambagibus abhorreat. In laudandis Autoribus inprimis brevem eſſe deprehendas, & ultra nomen ac librum, ſi modo hæc ipſa proferat, non progredi. Audet tamen ſperare, plures notarum ſuarum etiam ſtomachoſioribus eruditis gratas futuras, cum ſumtæ ſint a recentioribus viris doctis, *Caſaubono*, *Meurſio*, *Kuhnio*, *Meziriaco* præſertim, & *Palmerio Grentemenilco*. Addita eſt charta Geographica, exactior iis, quæ adhuc prodiere, quam ad obſervationes *Inſulani* (*de l' Isle*) ſoceri ſui concinnavit *Buachius*: itemque circi Olympici deſcriptio, & acies quædam *Follardi* graphide ſignatæ, ipſiusque illuſtratæ obſervationibus. Hæc fere in Præfatione, in qua notabilis etiam eſt locus communis egregie tractatus de gloriæ amore non ſatis conſiderate inter Chriſtianos fere extincto, eodemque remediis idoneis in locum ſi non priſtinum, aliquem tamen, reſtituendo. Supereſt, ut ſpeciminibus quibusdam, quid de verſione iſta ſperandum ſit, ſtudioſis indicemus. Elegantem eſſe & lectu dulcem, quoties argumenti ratio patitur, facile credimus Trivultinis Patribus, & aliis Gallicæ gloriæ ſtudioſis, cui & ipſi vehementer favemus. Fidelem eſſe, & talem, quæ aperire Græcarum literarum ſtudioſis Autoris ſenſus queat, non putamus. Vocetur itaque, per nos licet, quomodo *Ablancurtii* verſio *Luciani* a *Menagio* dicta eſt, *la belle infidele*. Ne fruſtra illud dictum videatur, in rem age præſentem paucis veniamus, ſumamusque *Eliacon* librum primum, medium fere Operis. Laudabimus in margine paginas verſionis Gallicæ, intus autem paginas & verſus *Wecheliana* Græcæ, A. 1583 *fol.* editæ, quæ conferentibus ad manum erat, licet adhibita deinde etiam ſit *Kuhniana*. *P.* 148, 10, non dicit *Pauſanias*, quod ab interprete adjicitur, Oenoma-

p. 23.

9.

411.

um

um a Pelope occisum, sed regno expulsum, quod post mortem ejus tenuerit. Neque vero, quid verum sit, hic quæritur,
p. 411. sed quid dixerit *Pausanias*. *P.* 148, 24, ἐφ' ὅτῳ δὴ, καὶ ἄλλῳ μισθῷ, *quacunque alia mercede*, ad designandum incertum, & obliteratam rei memoriam. Noster ita, quasi Herculi optio mercedis relicta esset, *telle autre recompense qu' il luy plairoit*. Ita paullo post βασιλείας τε μετῆν σφίσιν reddit, *il associa aussi au Gouvernement* &c. cum tamen tota narrationis series non minus, quam ipsa verba, veteri jure Actoris filios regni Augeæ participes fuisse, doceat. *P.* 150, 40, ora-
417. culum refertur, ὡς αὐτόν τε Ἴφιτον δέοι καὶ Ἠλείους τὸν Ὀλυμπικὸν ἀγῶνα σώσασθαι, non male sane *Amasæus*, *expedire & Iphito & Eleis Olympios ludos instaurari*. Noster, *que le renouvellement des jeux Olympiques seroit le salut de la Grece, qu'il y travailloit donc & les Eléens*, quæ versio & plus habet & minus, quam est in exemplo. Statim sequitur, ἔπεισε δὲ Ἠλείους Ἴφιτος καὶ Ἡρακλέει θύειν. Ipsa δὲ particula satis indicat, de nova re agi, sed Abbas noster, quasi, quomodo oraculi jussis obtemperatum sit, subjungeretur, vertit, *aussitot Iphitus ordonna un sacrifice* &c. *P.* 151, 20,
418. *Pausanias*, intra fines, inquit, Eleos αἱ ἵπποι οὐ ἐκύϊσκον ἐκ τῶν ὄνων, καὶ τούτου μὲν κατάραν τινὰ ἐλέγετο γενέσθαι αἴτιον. Interpres noster, *ce que l'on attribue a l' horreur, que les Eléens ont pour ce melange de deux especes.* In fraudem induxit illum, opinamur, quod κατάραν *execrationem* verterat *Amasæus*; *execrable* autem Gallis etiam dicitur, a quo abhorret aliquis. Si cogitasset Vir elegans, rariora naturæ hic commemorari, in quibus & *byssus*, & seriem orationis perpendisset, in talem versionem non incidisset, multo minus, si *Herodoti* narrationem, cui sua debet *Pausanias*, quamque refert etiam ad *Periegetem Dionysium Eustathius*, inspexisset. Utrumque Autorem laudaverat *Kuhnius*, sed libros modo indicaverat, propositis, malo exemplo, Græcis tantum *Herodoti* verbis, quæ intelligere pædagogicum nimis est, evolvere autem, ut versionem Latinam conferre possis, plumbeos tantum podices, ut elegantiores quidam Galli loquuntur, decet. Nos tamen

Digitized by Google

tamen adſcribemus verba *Herodoti Melpom. ſ. IV*, *30* Θωϋμάζω δὲ ὅτι ἐν τῇ Ἠλείῃ πάσῃ χώρῃ οὐ δυνέαται γενέσθαι ἡμίονοι, οὔτε ψυχροῦ τοῦ χώρου ἐόντος, οὔτε ἄλλου φανεροῦ αἰτίου οὐδενός. Φασὶ δὲ αὐτοὶ Ἠλεῖοι ἐκ καταρῆς τευ οὐ γίνεσθαί σφι ἡμιόνους· ἀλλ' ἐπεὰν προσίῃ ἡ ὥρη κυΐσκεσθαι τὰς ἵππους, ἐξελαύνουσι ἐς τοὺς πλησιοχώρους αὐτάς· καὶ ἔπειτά σφι ἐν τῇ τῶν πέλας ἐπιεῖσι τοὺς ὄνους, ἐς οὗ ἂν σχῶσι αἱ ἵπποι ἐν γαστρί· ἔπειτα δὲ ὀπίσω ἀπελαύνουσι. Si Eleis horrori eſt permiſſio diverſi generis animantum; cur igitur equas ſuas ipſi in propinqua loca exigunt, & aſinos illis admittunt, impletasque ad ſe reducunt? *Euſtathii* verba poſt hæc referre nihil attinet, cum breviter modo *Herodoti* narrationem referat in parecbola ad v. 413. Idem fere Interpretis noſtri error circa verbum κατάρα *p. 155, 37*. *P. 151, 24*, Ἐθέλουσι μὲν δὴ οἱ Λεπρεᾶται μοῖρα εἶναι τῶν Ἀρκάδων, φαίνονται δὲ Ἠλείων κατήκοοι τὸ ἐξαρχῆς ὄντες, *les Lepreates ſe diſent aujourdhuy Arcadiens ; mais* il eſt certain, *qu' autre fois* ils faiſoient partie *de l' Elide.* Si φαίνονται habet hic vim verbi *apparet*, quod non videtur tamen, at κατήκοος certe non ſatis expreſſum apparet his, qui Græce ſciunt mediocriter : aliud enim eſt partem eſſe Eleorum, aliud, iis ſubjectum eſſe. Sequitur, ἔστι δὲ ὁδὸς ἐς Λέπρεον ἀπὸ μὲν Σαμικοῦ -- ἑτέρα δὲ ἐξ Ὀλυμπίας, τρίτη δὲ ἐξ Ἤλιδος, *On va de Samicon a Lepreas -- un autre chemin mene a Olympie* (unde? ſi alioqui neſcias, profecto Samicone,) *un autre à Elis.* Docere vult, & apertiſſime docet intelligentes, quid ſit ἐξ, tres vias eſſe, quibus accedatur Lepreas &c. Deinde omiſſa cum *Amaſæo* verba Autoris καὶ ἐυτρέπισεν εἰς τὸ δεῖπνον. In fine hujus paginæ: τοῦτου τὸ ῥεῦμα τοῦ ποταμοῦ, πολλάκις ἀνείργουσιν οἱ ἄνεμοι βίαιοι πνέοντες, quomodo? φαροῦντες ΓΑΡ κατ' αὐλὸν τὴν θῖνα κ. τ. λ. *ſon cours eſt ſouvent retardé par la violence des vents ;* outre *qu' à l'endroit* &c. Profecto non intelligit Græca, qui ita vertit, vel converſa legit. Sed hæc leviora. Videbat *Gedoynus*, diſputari de vocibus τέμενός τε καὶ ἱερὸν καὶ ναὸν *p. 152, 42*, ubi pro καὶ ἱερὸν, quod abundare videtur, & contineri in ναῷ, legendum ſuſpicabatur *Sylburgius* καθιέρωσε,

(margin: p. 418 beside "τάρα p. 155, 37"; 419 beside "ris καὶ ἐυτρέπισεν"; 421 beside "ita vertit")

Kuhnius autem καθιερῶν. Quid Noster? exprimit ad verbum *Romuli Amasæi* versionem non malam, sed quæ alterutrum (ἱερὸν aut ναὸν) omitteret ut superfluum. Sed animadversionem videamus, Latine redditam, ne præter necessitatem Gallica usurpemus. *Hic non hærendum est in verbis textus*, (a qua quidem culpa longissime te abesse, *Gedoyne*, comperimus,) *qui aliquantum immutatus est* (unde petitum in *Pausaniam* jacis hoc? de tene ista loqueris, an dixere tibi alii?). *Sententia, quam inde* (ex textu scilicet, ne quis forte dubitet,) *duxi, ex asse convenit his, quæ Xenophon ipse de Scillunte refert. Lege, sis, Expeditionem Cyri min.* (hæc enim est, quam Galli non imperite vocant *la retraite des dix mille*,) *in fine.* Quidni igitur hoc facimus? At nihil ibi est. Pereat illa pædagogorum laudandi ratio, quam cum homines elegantes imitari forte volunt, ludibrium debent otiosis quæsitoribus. Tres syllabæ *sur la fin*, si abessent, verum dixerat Canonicus Sanctæ Capellæ. Et peccavit *Xenophon*, qui, quod post finitam expeditionem factum est, in media expeditione obiter commemoraverit, non vir magnis & sanctis rebus occupatus, qui eo loco egisse de voto soluto putaret *Xenophontem*; quo id solutum, non quo nuncupatum fuit. Sed videamus tamen, quid Grylli filius. *Libro V p. 535 edit. Græcæ Basil. A. 1540. 8*, narrat, tria consecrata ab illo Dianæ, χωρίον, ναὸν, καὶ βωμόν. His respondent apud *Pausaniam* τέμενός τε καὶ ἱερὸν καὶ ναός. Quid? si ἱερὸν h. l. speciatim ad altare, partem sanctissimam templi, in quo τὰ ἱερὰ, *sacra*, sive sacrificia, peraguntur, refertur? Quid? si ἱερὸν angustius est, quam τέμενος, amplius paullo, quam ναός, ut apud *Thucydidem IV, 90* ἐτείχιζε τοιῷδε τρόπῳ τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνος. τάφρον μὲν κύκλῳ περὶ τὸ ἱερὸν καὶ τὸν νεὼν ἔσκαπτον κ. τ. λ. Posterius magis fere placet, cum prioris significationis exempla desideremus. Nihil certe mutandum in *Pausania*, satis exploratum habemus.
p. 421. *P. 153, 12*, ὑπερπηδῶσα ἐγυμνώθη, *jette son habit d' homme, & saute par dessus la barriere.* Insanam & impudentissimam dicis audacissimamque mulierem. Sed dormitaverat hic *Amasæus*, & *posita*

veste

viſte ſcripſerat, cujus error jam correctus erat a *Sylburgio*; & qui fallere neminem facile potuit, niſi & Græce neſcientem, & parum, quid hic narret *Pauſanias*, cogitantem. Inter tranſiliendum cupide, imprudens nudata eſt bona mulier. Porum lapidem, de quo *Pauſanias p. 156, 22*, ſatis ad h. l. de- p. 430.
claraverat *Kuhnius*, & pro marmoris genere haberi a *Plinio* docuerat. Mirum igitur, potuiſſe hic ita philoſophari Noſtrum: *ſuiſſe videri lapidem poris abundantem, (une pierre poreuſe,) unde dictus ſit πῶρος.* Minuta vocalium diſcrimina curare non videtur Vir majoribus natus. Qui tamen non debebat inſultare *Romulo Amaſæo*, abſque quo ſi fuiſſet, profecto *Gedoini* verſione careremus hodie. Eſt locus *p. 157.* 432.
12 ſeq. in quo propter architectonicas, ut videtur, rationes quasdam minus bene perceptas aliquantum hallucinatus eſt Vir ille optime ceteroquin de *Pauſania* meritus. *Sylburgius*, non magnæ fortunæ homo, quod genus putatur nonnunquam intemperantius, modeſtiſſime & hunc errorem illius & plurimos alios correxerat, & emendationes ſuas (verbo his nullo addito, quod minimam exprobrationis umbram haberet) ne alienum opus contaminaſſe videretur, in angulum quendam *Wecheliana* editionis ultimum rejecerat, quas deinde textui, quem vocant, ſubjecit *Kuhnius*. His emendationibus & hic & ſubinde ita utitur Vir, quem tituli ſui generoſum reddere debebant, ut *Amaſæo* quidem exprobret vertendi imperitiam, (*Amaſé a rendu pitoyablement tout cet endroit*) *Sylburgii* autem, cujus profecto neminem pudere hodie debet, & quo duce *Amaſæi* errorem evitat Noſter, plane mentionem faciat nullam. Inhumanitas illa eſt & inſolentia, quam ſi non reprehenderemus, ipſi inhumani nobis videremur. Nunquam tamen ita miſere vertit *Amaſæus* ex Græco, quam ex Latino *Amaſæi* pluſcula *Gedoynus*. V. g. in hac ipſa pagina, Nemeſi, ut credimus, virum premente, non tantum ὑπὲρ τῶν θυρῶν, quod aperte ſignificat ſupra portas, h. e. in parte muri, portarum limini ſuperiori imminente, interpretatur *ſur les portes*, & de ſuo addit, quod nusquam eſt, *gravé ſur l' airain*, quaſi de argumentis in portarum

 valvis

valvis sermo esset, sed etiam, quod nescimus, quale dicendum sit, verba de Hercule *Pausania*, τοῦ ζωστῆρος τὴν Ἀμαζόνα ἐστὶν ἀφαιρούμενος, reddit, *il combat* une *Amazone*, & *luy arrache son* bouclier: quasi ignotus esset cuiquam paullo humaniori *baltheus* h. e. cingulum, non *alicujus* Amazonis, sed *Hippolytes*, seu quo alio nomine dicta fuit. Sed facilius est scilicet, in prælio scutum eripere hosti, quam solvere cingulum. Non
p. 433. ita iniqui sumus, ut ipsi Autori tribuamus *des galeries fort exaucées*, ubi ipse voluit sine dubio *exhaussées*, ὑπερῷαι: sed
p. p. illud non ex fide boni interpretis, quod *p. 157, 33*, ubi χρυσοῦ dicitur esse τὸ ἱμάτιον Jovis, τῷ δὲ ἱματίῳ ζώδιά τε καὶ τῶν ἀνθῶν τὰ κρίνα ἐμπεποιημένα, ita transfert, *sur le manteau sont* gravez *toute sorte d' animaux*, nimirum non ex Græco ἐμπεποιημένα, sed ex Latino *cælata*. Igitur cum paullo post Gallorum aliquis, *Gedoyno* similium, de cælandi antiqua ratione aut de vestibus Deorum commentari in animum inducet, Jovis Olympii pallium ex auro solido dicet fuisse, figuris animalium & florum cælato, & forte notam adjiciet in hanc sententiam, *on n'a que lire Pausanias*. Et ita *Pausanias* autor erit rei, quam hic certe non commemorat, cum per ista verba (de re enim ipsa jam non disputamus) etiam textum vel pictum acu pallium fuisse potuerit.
434. *P. 158, 15*, omittit, quod tamen est in *Amasæi* versione, aquilam Promethei carnificem interfectam ab Hercule. Ibidem murum Jovis statuæ circumdatum dividit ex ingenio suo in areas pictas, *le second balustre*, inquit, *dans le premier tableau du dernier balustre* &c. ubi nec vola nec vestigium est in
435. *Pausania*. *P. 158, 24*, locus est, quem corruptum post *Sylburgium Kuhniumque* putat Autor, ἐπὶ δὲ τοῦ βάθρου τοῦ θρόνου τε ἀνέχοντος καὶ ὄρος. Vertit *Amasæus*: *in eo vero scamillo, qui universam signi molem sustinet*; nec aliter *Gedoynus*. Vox ὄρος sola offendit viros doctos. Sed quid? si sana ea est, quid si thronus Jovis Olympii impositus fuit montis cuidam speciei? quale quid in vetustis marmoribus, *Homeri* præsertim illa ἀποθεώσει, factitatum, non difficile, credo, est ad ostendendum. Inter Trajani, quæ Olympiæ

fecit,

Digitized by Google

ſecit, opera *p. 159, 33*, commemoratur ἡ Ῥωμαίων ἀγορά; quam recte illa vocetur Gallice *un Senat pour les Magiſtrats Romains*, alii viderint. Hæc ἀγορά habet τὸν ὄροφον χαλκοῦ πεποιημένον, ſi Noſtrum audimus, hoc eſt *tout plafonné de bronze*. Quantum ſcimus, *platfond* eſt *lacunar*, interior & concava tecti ſuperficies. Quis vero hic aeris uſus, ſi ὄροφον hoc ſignificare poſſe concedamus? Quidni *tectum* externum, pro tegulis, *aeneum* fuiſſe dicamus? Sed *lacunar* ſcilicet habuit *Amaſæus*. Diu geſtit animus deſinere ingratum laborem, ſed utilem Lectoribus. Itaque unum ſubjiciemus ſpecimen, cujus nolimus plura ſimilia eſſe in libro ſua alioquin laude non privando. *P. 159, 38, Pauſanias* τὸ δὲ ἤλεκτρον τοῦτο, οὗ τῷ Αὐγούστῳ πεποίηνται τὴν εἰκόνα, ὅσον μὲν αὐτόματον ἐν τοῦ Ἠριδανοῦ ταῖς ψάμμοις εὑρίσκεται, σπανίζεται τὰ μάλιστα, καὶ ἀνθρώπῳ τίμιον πολλῶν ἐστιν ἕνεκα· τὸ δὲ ἄλλο ἤλεκτρον ἀναμεμιγμένος ἐστιν ἀργύρῳ χρυσός. *Amaſæus: Electrum quidem, ex qua materia ſtatuam Auguſto fecerunt, in Padi fluminis arenis rarum admodum repertu eſt. Id qui nacti fuerint, non temere magni æſtimant. Eſt alioquin electrum aliud nihil, quam argento permiſtum in metallis aurum.* Hic rudiſſimum eſſe in Græcis oportet, quin videat, aperte diſtingui duplex electri genus, ſuccinum alterum, alterum metallum. Quid *Amaſæus* viderit, obſcuriuſculum. Sed caſtigator *Amaſæi, Gedoynus: il ſemble au reſte, que l'ambre n'eſt autre choſe, qu'un mélange d'or & de l'argent.* Larvam ex falſa, obſcura certe, *Amaſæi* verſione ſibi effingit, cum qua deinde luctatur ſerio, *brevem fuiſſe ſupellectilem phyſicam veterum*, cauſatur, *hodie plus videre homines*. Pudet profecto, talia legi in libro Academici. Sed quid dicemus de Trivultinis Patribus, iis qui menſe Martio A. 1732 *p. 512 ſeq.* invidioſis laudibus extulere hunc *Gedoyni* laborem, & hanc ipſam obſervationem in materia laudum commemorant, qui comparant noſtrum cum ſuo *Tourelio*, de quo iſta cum ſtupore legimus, quæ Latine dicere mens refugit. *C'eſt ainſi que Mr. de Toureil* avec des talens ſuperieurs *avoit d'abord* deguiſé *Demoſthène au point que Mr.*

p. 438.

439.

Racine s' ecrioit en l' ecoutant, ah! le bourreau! je gage qu'il va donner de l' esprit *a Demosthene.* De *Demosthene* forte alii viderint, & satis esse factum omnibus dicent, si illius sublimitatem & vehementiam assecutus sit *Tourelius. Pausanias* quidem quantum deformatus sit, aut si hoc verbum non placet, quam aliena veste indutus, quantam item ingenii gloriam ab Interprete hoc sit mutuatus, judicari ex iis, quæ diximus, aliquo modo poterit. Quæ dici hic præterea debebant, certe poterant, *Burmanniano* stilo lubentes relinquimus, qui clypeum habere optamus ad defendendas, quæ optimis viris inferuntur, injurias, tela ad lædendum aliis relinquimus.

THE TASTE OF THE TOWN &c.

h. e.

GUSTUS URBIS, SIVE DUX VOLUPTAtum publicarum, nimirum Musices, ludorum scenicorum, Poeseos, saltationis, tum Mimorum & Pantomimorum, itemque chororum, apud antiquos; de auditoribus ludorum scenicorum, de larvis & larvatorum congressibus, de athletis, & circi variis voluptatibus.

Londini, ap. Bibliopolas Londinenses & Westmonasterii, 1731, 12. Alph. 1 ch. maj. dim.

QUanquam suis civibus solis scripsisse videtur Autor, quisquis est, libri sale multo & aceto abundantis, qui nomine *A. Primcock* latere vult, & plura habet, quæ neque intelligi, neque placere, extra Britanniam possunt; tamen argumentum ejusmodi est, ut facile aliquis non incuriosus rerum, quæ magnam partem hominum in urbibus magnis occupant, invitari possit ad illud cognoscendum. Dedicatio satyrica pingit hominem, terræ filium, nihil non de se suisque virtutibus sperantem, judicantem de omnibus, & dicteria in omnes & omnia jacientem, munerum omnium candidatum.

Digitized by Google

didatum. In Præfatione post ridiculam familiæ suæ & gentilium enarrationem (*Primcock* juvenem virili ingenio & prudentia præditum notat, *cock* autem gallum gallinaceum) vitæ suæ rationes indicat, quam in peregrinatione consumtam fingit, cujus illum solum & finem & fructum habuerit, ut ædificiorum pulchritudinem, fallendi temporis rationes, & mulierculorum ingenia atque formas inquireret; inprimis autem publicarum se voluptatum arbitrum, & apud exteros & domi h. e. Londini diligentem fuisse commemorat, idque ut tanto sibi commodius succederet, & nomen, & vestes, & habitationem, subinde mutasse &c. Quod ad argumentum attinet, agit I de Ludorum scenicorum tum vulgari illo genere, tum illo præsertim, ubi canuntur omnia, quas *Operas* suo nomine suum inventum Itali appellarunt. Harum igitur originem, progressus, & incrementa, tradit, & totum genus scenicorum spectaculorum ab objectionibus vindicat. II Poesin sacram & profanam, dramaticam quidem, commendat a delectatione pariter atque utilitate, de contemtu agit, quem illi peperunt Poetæ ipsi, tum actores, & auditores: remediaque illius proponit, & illud inprimis suadet, ut exemplo cultioris Europæ etiam cives sui instituant diebus festis post sacra finita ludos scenicos de rebus sacris. III De saltatione, in spectaculis usitata, tum veterum Mimorum & Pantomimorum, tum Arlequinorum, qui nunc vocantur, & similium, IV præsertim de choris veterum agit, quos reducendos in spectacula censet. V De spectatoribus & auditoribus horum ludorum, vitiisque illorum in audiendo pariter & judicando disputat. VI De larvatis sive personatis conventibus, eorumque tum usu vero, tum perverso. VII Denique spectaculorum apud veteres reliquorum genera, athletas, circi munera, & belli imagines, cum hodiernis gladiatorum & gallorum gallinaceorum pugnis, neurospaston spectaculis, agyrtarumque clamoribus, comparat. In his argumentis ita versatur Autor, ut seriam orationem cum ironia, aliorum sententias, quas ludibrio vult exponere, cum sua perpetuo fere misceat, adeo quidem, ut, cum serio admodum agere

ipsum

ipſum putes, ſubito ad riſum captandum delabatur. Stultas hominum circa religionem ſententias & agendi rationes ita ridet, ut interdum ſupergreſſus modum ipſe videatur. V.
p. 54. g. ſimulat ſe agere de dramaticæ poeſeos emendandæ ratione. Suadet, ut exempla ſumantur ex Hiſtoria ſacra & apocrypha; ubi fere perſuaſit, exemplum ejus rei laudat in Belgio a ſe obſervatum, ubi Abrahamus Iſaacum immolaturus parat illum bombarda ex inſidiis trajicere, angelus autem - - ſed nolumus quemquam noſtra opera totam ſcenam ſcire, cui
61. non ante ea cognita fuit. Itemque, ubi, quod ſublime eſt in oratione, negligi a noſtris ſcriptoribus, graviter conqueſtus eſt, & ſerio exprobravit vulgo Poetarum, quod circa vulgarem vilemque cyclum hæreant, imitatione etiam ridicula, propter vilitatem perſonarum, Trojanæ hiſtoriæ prolata; laudat gregem ſcenicorum, qui, cum magnum numerum ſpectatorum in urbe Hanſeatica coegiſſent, quibus promiſerant comœdiam de Petro Dominum in Galilæam ſequente, velo ſublato unam perſonam prodire juſſerunt, quæ ad alteram, Petri ſcilicet, diceret, *Sequere me in Galilæam*, poſt quæ verba aulæo ſtatim demiſſo, ſpectatores expectatione ſuſpenſi ſunt, dum diſceſſiſſe ſcenicos per poſticum, ſe autem theorico emunctos, ſentirent. In his igitur verbis, *ſequere me*, magnum eſſe ὕψος, & *Longini* admiratione non minus dignum, atque notum illud, diſputat. Hæc talia neſcimus,
36. quomodo excuſari poſſint. Nam, quod noſodochia in theatra
194. converti ſuadet, & ſacra publica (ut nimirum a plerisque obeuntur) inter ludos perſonatos refert, illud quatenus vere dicatur, apparet. Neque negari poteſt, inter Satyras ut mordaciſſimas, ita multis neceſſarias ac ſalutares alioquin, hanc eſſe referendam.

OBSERVATIO ECLIPSEOS LUNARIS, Romæ habita Calendis Dec. A. 1732, in ædibus Eminentiſſ. DE-VIA, ab EUSTACHIO MANFREDIO, Publico Matheſeos & Aſtronomiæ in Gymnaſio Bononienſi Profeſſore.

Obſer-

Observationes habitæ Telescopio Palmorum 10.

Temp. Ver. post meridiem.

H.	′	″	
8.	45.	28	Penumbra jam sensibilis.
	49.	14	Penumbra densior.
	51.	19	Initium Eclipseos.
		44	Grimaldus mergi incipit.
	52.	47	Totus latet.
		54	Galilæus.
	53.	48	Umbra ad Gassendum.
	56.	2	Totus latet Gassendus.
	57.	23	Schikardus.
9.	2.	43	Keplerus.
	4.	53	Aristarchus totus latet.
	5.	0	Lansbergius, & M. Humorum fere totum (latet.
	6.	13	Bullialdus.
		53	Capuanus.
	7.	8	Umbra ad Mare nubium.
	8.	2	Copernicus mergi incipit.
		29	Per medium Copernici.
	10.	27	Umbra ad Eratosthenem; & Copernicus to- (tus latet.
	14.	12	Tycho mergi incipit.
		45	Insula sinus medii.
	15.	37	Heraclides.
	16.	22	Tycho jam latet.
	18.	12	Tymocharis.
	20.	4	Archimedes.
	21.	4	Harpalus.
	23.	10	Manilius.
		16	Helicon.
		40	Plato.
	26.	21	Menelaus.
	28.	55	Catharina, & Cyrillus.
	30.	11	Plinius.
		56	Dionysius.

Digitized by Google

H.	'	"	
9.	32.	31	Ariſtoteles.
	33.	11	Promontorium Acutum.
	34.	27	Fernellius.
	35.	51	Snellius.
	36.	11	Poſſidonius.
		41	Petavius.
	37.	45	Promontorium ſomnii.
	38.	25	Langrenus.
	40.	24	Hermes.
	41.	0	Proclus.
		30	Incipit Mare Criſium.
	42.	32	Cleomedes.
	45.	10	Umbra per medium Maris Criſium.
	46.	20	Meſſala.
	48.	24	Totalis immerſio.
10.	57.	5	*Totalis immerſionis duratio.*
11.	31.	13	Procul dubio emerſio jam cœperat.
	33.	13	Grimaldus emerſerat.
	46.	3	Medium Copernici.
	51.	17	Tycho.
		52	Plato.
	53.	13	Archimedes.
	56.	36	Inſula ſinus medii.
	59.	57	Eudoxus.
12.	2.	10	Manilius.
	3.	26	Ariſtoteles.
	4.	25	Menelaus.
	8.	11	Poſſidonius.
	13.	6	Plinius.
	17.	14	Promontorium Acutum.
	20.	38	Langrenus.
	23.	21	Totum Mare Criſium.
	26.	55	Finis.

Duratio totius Eclipſeos H. 3. 35. 36.

Phaſes

Digitized by Google

Phases nonnullæ immersionis

Ex alia observatione, habita Telescopio Newtoniano.

Tempus Ver. P. M. H.	′	″	
8.	50.	13	Penumbra densa.
	51.	28	Initium certum obscurationis.
	54.	8	Grimaldus latet totus.
		32	Umbra per medium Galilæum.
9.	0.	58	Totus Keplerus latet.
	2.	18	Umbra ad Aristarchum.
	3.	37	Totus Aristarchus latet.
	8.	3	Umbra ad initium Copernici.
	9.	20	Per medium Copernici.
	10.	31	Totus Copernicus tegitur.
	14.	47	Umbra ad initium Tychonis.
	23.	11	Ad initium Manilii.
		26	Ad initium Platonis.
		55	Umbra per medium Platonis, & Manilii.
	24.	40	Totus Plato tegitur.
	39.	35	Umbra ad initium Procli.
	40.	18	Umbra ad Hermetem.
	41.	0	Totus Proclus tegitur.
		31	Ad initium Maris Crisium.
	44.	20	Per medium Maris Crisium.
	46.	15	Totum Mare Crisium obumbratur.
	49.	3	Totalis Lunæ immersio in Umbra.

DELINEATIO CHARACTERUM QUOrundam incognitorum, quos in Insula Ceylano spectandos præbet tumulus quidam sepulchralis.

NOrimbergenses quidam, ex India Orientali & Insula Ceylano reduces, in tabula depictos secum tulerunt characteres nonnullos, prorsus incognitos, & ob raritatem figuræ ad-

admirabiles. Conſpiciendos hos in transcurſu dedit peregrinantibus lapis quidam ſepulchralis in monte Adami (*Pico d'Adam*), literis hujuscemodi ornatus affabre. Eorum imaginem invidere noluimus eruditis, ne deeſſet ipſis, in quo explicando vires ingenii exercerent. A nobis, alia nunc omnia agentibus, nihil præterea expectent Lectores noſtri. Unum id animadvertiſſe nobis viſi ſumus, magnam peregrinæ hujus ſcripturæ ſimilitudinem eſſe cum rarioris aſpectus figuris illis, quarum formam in ære expreſſam exhibet liber elegans, cui titulus: *Recueil des Penſées du Comte J. O. ſur divers ſujets*, T. V p. 118.

Tab. II Fig. 1.

JOANNIS CHRISTOPHORI HARENBERGII, R. G. *Analecta ad Genealogiam Ducum Saxoniæ ante Seculum XIII & Ducum Brunſuicenſium, ex Obſervationibus præcipue Viri Pl. Reverendi, PHILIPPI JULII REHTMEIERI, Paſt. Brunſuic. nec non Viri Celeb. JOANNIS LUDOVICI LEVINI GEBHARDI, Prof. Luneburg. ac propriis, coagmentata.*

§. 1. Witichindus, quem recentiores perperam vocant Regem, fuit unus ex primoribus nobilitatis Weſtvalorum, patrimoniumque ſplendidum ad Angariam & Viſurgim, nec non in tractu Haſſiaco *Buddenfeld*, tenuit. Dux Saxonum bellicus fuit contra Francos, ſed Carolus M. eum Amalvini beneficio ingentibusque promiſſis ad deditionem perpulit. Abiit igitur in Gallias, & Attiniaci, oppido ad Rhemos in Campania, A. 785 Baptiſmum ſuſcepit. Humatus eſt tandem in æde ſacra Angariæ, & A. 1414 oſſa ejus Herfordiam ſunt translata. Falſo habetur pro progenitore Ludolfi, Comitum Wettinenſium ac Sabaudicorum. *Botho* ad A. 810, p. 292 T. III. *Leibn.* ei tribuit uxorem *Gevam*, Sigfri-

TAB: II ad A. 1733 M

Digitized by Google

Sigfridi, Regis Danorum, filiam. *Botho* loco excitato tribuit ei quoque filiam *Hasalam*, Bernoni, e Saxonibus viro nobili, nuptam. Filius *Wicbertus* Comes obiit ante A. 834. Eſt ipſe obvius apud *Albertum Stadenſem* p. 100 a, *Conradum Urſpergenſem* p. 149, & in Chronico Ducum Brunſuicenſium p. 14 T. II *Leibn.* ac Luneburgico p. 172 T. III *Leibn.* Uxor ei fuit *Odrada*, ex qua filium Walbertum ſuſcepit, uxore uſum *Altburge*. Pater & filius ſepulti ſunt in cœnobio, ab ipſis in Wildeshuſa conſtructo & dotato. Fundationis literas *J. G. Eccardus* edidit in *Hiſtoria Genealogica Sup. Saxon.* p. 20, & nonnulla inde repetiit in *Rerum Francicarum* L. XXXII §. 316. Locum illum ſepulturæ proferunt *Botho* p. 297, & Autor de fundatione quarundam Saxoniæ Eccleſiarum p. 261 T. I *Leibn.* Brunonem fuiſſe Wibrechti filium, Walberti fratrem, *Botho* eſt autor p. 297. At Bruno Walberti frater nequaquam fuit. Walberti filius fuit *Wicbertus*, Epiſcopus poſtea Verdenſis. Frater Epiſcopi exſtitit *Reginbernus*, Dux Friſiorum & Weſtvalorum. Uxorem Reginberni appellat *Autor vitæ Mathildis* Mathildem p. 194 T. I *Leibn.* Ipſa, marito orbata, Abbatiſſam egit templi collegiati Herfordienſis, ibique educavit Mathildem, filiam filii ſeu neptem Theoderici, quacum poſtea Henricus Auceps ſecundas celebravit nuptias. Mathildis ex Reginberno pepererat *Thietricum ſeu Theodoricum*, Comitem per regionem Saxoniæ occidentalem. *Autor vitæ Mathildis* Cap. I §. 4 p. 194. Alii ſcriptores eum appellant *Ducem*, *Saxoniæ Ducem*, uti *Sigebertus Levita* in Vita Theodorici Metenſis p. 295, & *Albericus* P. I Chron. ad A. 921 p. 257. Vocat eum *Comitem de Altenburg Gobelinus Perſona* ac Chronicon magnum Belgicum p. 80. Fruſtra vocatur Comes Ringelheimenſis. Ex conjuge *Rheinhilda*, quæ nobiliſſimi ſanguinis Danorum & Friſiorum exſtitit, ſuſcepit *Rupertum*, *Mathildem*, *Frederundam*, *Biam*, & *Amalradam*. Reinhildam obiiſſe decimo Maji, ex lacinia Necrologii Trevirenſis conſtat. Incerto jactantur parente *Witichindus II*, *Immedus* & *Reginbertus*. Ambiguitas orta eſt ex ancipiti loco *Witichindi* Corbejenſis

P 3 Annal.

Annal. L. I p. 638, qui ſic habet: *Regina filia Thiaderici, cujus fratres erant Witichind, Immed & Reginbert.* Videtur incertum, utrum hi fratres Thiderici, an Mathildis Reginæ, fuerint? Probatur mihi ſententia *Alberici*, qui eos habet pro fratribus Theoderici. Eam confirmavit nuper *Eccardus* Rerum Francicarum L. XXXII §. 316. Cur enim, obſecro, Rupertus, frater Mathildis, nunquam tribus iſtis adjungitur? Rupertus, Thiderici filius, fuit Archiepiſcopus Trevirenſis ab A. 921 ad A. 960. *Geſta Trevirorum* C. 44 p. 61, *Albericus* ad A. 921, *Chronicon magnum Belgicum* p. 32, T. III *Piſtorii.* Ruperti ſoror fuit *Amalrada*, quæ Everhardo, Comiti Hamalandiæ, nupſit, teſte *Sigeberto Levita* in Vita Theoderici Ep. Cap. 1 p. 294 ſeq. Uterque genuit *Thidericum*, Epiſcopum Metenſem, ac Henricum, Ducem. Ex poſteriori, Henrico ſcilicet, Everhardus junior procreatus, & a patruo Thiderico optima imbutus educatione, præmature A. 978 obiit, humatus Metis. De Henrico ejusque conſpiratione in Regem ſuſcepta conferendus eſt *Ditmarus* Annal. L. VI p. 388, L. VII p. 413. Didericus vocatur *conſobrinus Brunonis*, Archiepiſcopi Colonienſis, apud *Sigebertum* Cap. 3 p. 296. Unde pateſcit, matres utriusque exſtitiſſe ſorores. De Eberhardo juniori, Metis defuncto, & Theoderici fratruele, videndus eſt idem *Sigebertus* Cap. 18 p. 309 ſeq. *Witichindus II* obiit d. 11 Jun. *Immedus I* occiſus eſt cum fratre Meinwerco A. 953, ille ad Moguntiam, hic in expeditione Bavarica. *Mathildis*, uxor Henrici Aucupis poſterior, deceſſit A. 968 d. 14 Mart. ſepulta Quedlinburgi apud S. Servatium. Theodericus, Epiſcopus, Præſul fieri cœpit A. 962, obiitque 984, die 7 Sept. Recentiores Mathildæ Reginæ fratres quoque adjungunt Sigfridum, Marchionem Brandeburgenſem, & Theodericum, Comitem quendam Ringelheimenſem. *Ditmarus* Annal. L. II p. 331 meminit Sigfridi, Comitis Merſeburgenſis, cujus *legatio* Geroni Marchioni fuerit tradita, ſuccenſente ideo *Tammone*, Henrici Regis ex Hatheburga filio. Monachus Hamerslebienſis p. 707 T. I *Leibn.* Hatheburgam vocat *Sigfridi materteram.* Hinc patet

tet ratio, cur Tammo Geroni hereditatem & Marchionatum inviderit. D. *Conradus Bertholdus Behrens* Sigfridum vocat Comitem Ringelheimensem, qui ab Henrico Aucupe Comitatum Merseburgensem vacuefactum susceperit, ac tandem A. 927 Marchio Brandenburgicus primus fuerit renuntiatus. Alius fuit *Sigfridus*, unicus Geronis Marchionis filius, qui in uxorem duxerat *Hathwigam*, Mathildis Reginae neptem, & qui, vix septem annis matrimonio illo usus, mortem matris praevertit, testibus *Ditmaro* Annal. L. II p. 434 & L. VII p. 401, Chronico Montis Sereni ad A. 1171 p. 36, *Bothone* p. 307. Sed hic Sigfridus quoque appellatur tantum *Comes*. Gero pater, filio exstincto, Romam ivit, sacrisque reliquiis inde reportatis, construxit coenobium *Gerinrode*, ac in eo filii viduam Hathwigam primam statuit Abbatissam. In Chronico Montis Sereni Sigfridus commemoratur, frater hujus Geronis Marchionis, ipse tantum *Comes*. Ad A. 1171 p. 36 sq. Construxit is Ecclesiam Groningae ad Halberstadium in honorem S. Viti. *Hiddae*, Sigfridi soror, nupsit Christiano Marchioni, qui ex ipsa procreavit Geronem, Archiepiscopum Coloniensem, & Ditmarum, Marchionem, conditorem coenobii Dancmarisvelt, quod postea translatum est in Northuringiae locum *Niemburg*. Uxor Ditmaro tribuitur *Suanehilda*, filia Hermanni, Comitis Luneburgensis. *Abbo de Dalem*, Praepositus olim coenobii Groningensis, pertexuit Chronicon, cujus particulam conservavit *J. G. Leuckfeldius* in *Antiq. Groning.* Cap. 16 §. 3 p. 168 sq. In eo dicitur *Sigifredus nobilis Saxo, Dominus in Groningen & Kropponsted.* Nulla hic fit mentio Comitatus Ringelheimensis. *Witichindus* Annal. L. II p. 643 *Sifridum* commemorat, generum quondam Regis, tunc Ottoni I affinitate junctum. Ad Comitem Merseburgensem haec spectant. Sigfrido Groningensi obtigit *Jutta*, quae peperit ipsi *Sigfridum* & *Juttam*, ex improviso & casu mirabili exstinctos. Hedewiga, Abbatissa Gernrodensis, dicitur *Adelheidis ac Ottonis II neptis*, in Chronico Quedlinburgensi ad A. 999. *Ditmarus* L. II p. 334 vocat eam *Reginae Mathildis inclitam neptem*. Quin notatum

est,

est, Sigfridum Hedewigæ quondam maritum Reginæ fuisse fratrem? Nihil igitur restat, quam ut Theodericum illum, Comitem Ringelheimensem, Mathildis Reginæ fratrem, ad fabulas relegemus. Præterea Henricus Auceps Marchionem Brandenburgo haud præposuit. Conf. *Witichindus* Annal. L. I p. 639. Redariis, qui citra Oderam & Penam inhabitarunt Marchiam Veranicam, Bernhardus, Dux bellicus, præerat. Idem l. c. Urbem Misnam Henricus Rex exstruxit, Comitique, qui fines tueretur, permisit, teste *Ditmaro* Annal. L. I p. 327. Gero ipse, quem Annales Gernrodenses pro patre Abbatissæ Hedewigæ habent, tenuit Comitatum circa Magdeburgum in *Bigera*, in pago *Nortthuringia*, & in *Magdaburgero marcu*, &, quod suspicor, jus nomine Regis in castro dixit Magdaburgico. Quis vero ei successit, præter Fridericum, fratrem *Ditmari* Annalistæ, qui A. 968 præfecturam Magdaburgi administrandam suscepit? Vide Chronographum Saxonem ad A. 968 p. 177. Quicquid igitur de Sifrido, fratre quodam Mathildæ Reginæ, primoque Marchione Brandenburgico, circumfertur, id testimoniis recentiorum duntaxat est superstructum, verbi causa, *Alberti Cranzii*, *Georgii Fabricii*, & aliorum, quos laudat *J. Fr. Pfeffingerus* senior P. II Vitriarii illustrati p. 628 seq. Marchionatus Brandeburgici initia *Botho* tribuit Henrico Aucupi p. 306, at nomen Marchionis omittit. Divinarunt igitur id alii, cujus origo a *Bothone* erat efficta. Immedus II, filius Immedi I, tenuit ditionem circa Episcopatum Trajectensem. Oppidum primarium erat *Uplage*, locus commeatu navium ac vectigalium quæstuosus. Uxorem duxit *Adelam*, Wichmanni II Billungici filiam ex Frederuna, Mathildis sorore. Ipsa marito per nuptiale pactum tradidit bona in *Auga* & *Rittiga*, utpote *Immedeshusen*, *Hammenstede*, *Huckelem*, *Plesse*. Genuit uterque *Thidericum*, *Meinwercum*, *Glismodam*, nobili Bavariæ Principi matrimonio junctam, & *Azelam*, Eltinensis Parthenonis regalis virginem votivam. Autor vitæ Meinwerci Cap. 4 p. 518, *Schatenius* P. I Annal. Paderborn. p. 386 ad A. 1009. Wichmannus condidit cœnobium Eltinen-

se.

Digitized by Google

ſe. *Schatenius l. c. ad A. 997 p. 343 ſeq.* Diploma Ottonis, eo fine datum, produxit. At inde non ſequitur, eum fuiſſe Comitem Gelriæ ac Zutphaniæ e Pontina ſtirpe, uti ſtatuit *Gelenius* in Auctar. ad Vitam Engelberti *p. 351.* Nam Wichmannus deſcendit ex Billungo, patre Ducum Saxoniæ Billungicorum. Theodericus, paternarum opum hæres, propagandæ familiæ deſtinatus. Inter hæc Adela, decedente Imedo II, Balderico nupſerat, homini diviti ac potenti, genere tamen impari. Hujus amoribus in transverſum acta, Theodericum filium & hæredem A. 1014, 7 Idus Apr. perfide per inſidias interemit, eodemque ſcelere Wigmannum, Comitem occidentalis Saxoniæ, A. 1016 ſuſtulit. De Meinwerco Autor Vitæ ejus & *Schatenius* copioſe exponunt. Prior tamen ſcriptor prætermiſit *Emmam* ac *Frederundam*, nec non ſororem illam, unde *Immedus*, qui poſthæc evaſit Epiſcopus Paderbornenſis, genitus fuit. Immedus certe *ſororius Meinwerci* ab eodem Vitæ Meinwerci Autore *Cap. 52 p. 546* appellatur, quod nonnulli ſic acceperunt, quaſi is Emmæ filius exſtiterit. Verum Emma, nupta Ludero, Comiti Billungico, effœta ac ſterilis fuit, defuncta A. 1042 Cal. Dec. Imma cum ſorore Frederunda conſtruxit, adjuvante Gerone Comite, monaſterium Kemnadenſe prope Viſurgim & Bodenwerderam, in pago *Tilithi.* Henricus III Rex A. 1039 fundationem confirmavit. Diploma exſtat penes *Schatenium ad c. a. p. 519* L. VI Annal. Paderborn. *Frederunda* nupſerat olim Hartwigo, Comiti Palatino, quo defuncto, *Bothonem* adhuc enixa, velum ſuſcepit ſacrum, ac Abbatiſſa evaſit Kemnadenſis. *Paullinius* evulgavit Diploma quoddam hujus Frederundæ in *Hiſtoria Collegii virginum Visbeccenſium.* De Botonis matre ac ſtirpe conferendus eſt *Albertus Stadenſis ad A. 1104. Meibomius* in *Notis ad Annales Witichindi p. 681* ſtatuit, Immedi II fratrem fuiſſe *Volcwartum*, ſororem *Emmiboldem*, primam Abbatiſſam Ringelheimenſem. Addit quoque *p. 682*, Unwanum, Epiſcopum Hamburgenſem, ex Immedingis, gradu adhuc incerto, eſſe deducendum. Pervelim ſcire, quo nexu Comites Oldenburgici ex Witikindo

deriventur. Hanc aliis trado lampada, & iter institutum persequor.

§. 2. *Bruno*, Dux bellicus Saxonum, Comes Angariæ, penes *Reginonem ad A. 775 p. 27* est obvius. Fuit is avus Ludolfi, Ducis Saxoniæ orientalis. Everhardus, Presbyter Gandersheimensis, Abbatissæ Notarius, ex Chronico vetusto Gandersheimensi testatur, Brunonem duxisse uxorem ex genere Witikindi, & Ludolfi patrem exstitisse. *G. G. Leibnitius* in *Introd. ad Tomum III Scriptorum Brunsuicensium p. 3. Botho* p. 292 tradit, *Hasalam*, Witikindi filiam, ductam esse a nobili Saxone *Bernone*. Berno & Bruno non differunt. Adde, quod pater proximus Ludolfi fuerit Egbertus seu Wichbertus, uti mox ostendemus. Ergo Bruno fuit avus, quod ratio temporis & patrimonium Angariæ, ac sæpius recurrens Brunonis nomen in Ludolfiadis, confirmant. Brunonis filiam nupsisse Welfo, Alemanniæ Duci, conjectat porro Illustris *Eccardus*. Pater Ludolfi fuit Egbertus seu Wichbertus. Hic enim tenuit Hirzfeldiam ad flumen Lupiæ possessione hæreditaria. Prædium hoc rursus a Ludolfo patre ad filium Ottonem per hæreditatem transiit. *Uffingus* in Actis Idæ *L. II Cap. 1 p. 178 T. I Leibn.* Ergo id prædium masculo sexui solebat dari ac relinqui. Erant enim Ludolfo filiæ pariter ac filii. Nec carebat Egbertus filiis. Nominatim ab *Uffingo* recensentur Cobbo & Warinus. Autor libelli de translatione S. Pusinnæ addit sororem, ex qua Hedewigis, Abbatissa Herivordiensis, nata fuerit. Quomodo igitur Ludolfus hæredium Hirzfeldiæ adire potuit, nisi Egberti exstitit filius? *Amita* Hathumodæ erat *venerabilis* Abbatissa Herivordiensis, apud quam ipsa fuerat educata. Fuit igitur *Addila* Ludolfi soror. Fuit eadem Warini, Abbatis Corbejensis, soror. Hic autem ab *Uffingo* dicitur fuisse Egberti & Idæ filius. Quare etiam erit Ludolfus Egberti filius. Addo famam illam tritissimam, Ludolfum exstitisse Wigberti filium. Ida marito superstes fuit, defuncta 6 Cal. Dec. Ipsa A. 785 aut 786 Egberto nupserat. Ipsum Rex Carolus Magnus cunctis Saxonibus inter Rhenum & Visur-

Viſurgim Ducem præfecit. *Uffingus* hæc docet in Actis Idæ *L. I Cap. 1 & 2 p. 172*, qui Idæ patrem in *ſummis Franciæ occidentalis primatibus* collocat. Conjecturas exinde *Eccardus* & *Gundlingius* excogitarunt, quas nunc prætermittemus. Tenebat Egbertus prædia nonnulla in pago *Dreni* in Lupiæ fluminis ripa. Sepultus ſuit in meridionali tractu templi Hirzfeldiæ ad Lupiam. Ludolfus filius Odam, Billungi & Ædæ filiam, ſecum matrimonio junxit. Obiit A. 875 ſub initia jejunii quadrageſimalis. Ex *Agii Vita Hathumodæ* hæc pateſcunt. Non confundendus eſt dies emortualis Ludolfi, Ducis Sueviæ, cum die emortuali hujus Ludolfi. Ni fallor, in nævum illum incidit Celeb. *Kœlerus*, Altorfii decus. Oda obiit A. 913, cum vixiſſet annos 107. Multos ipſa peperit liberos. Quatuor liberi, una ſoror & tres filii, admodum teneri deceſſerunt. *Agius p. 23.* Unus ex eis, in Albis defunctus, Hirzfeldiæ prope S. Idæ corpus fuit ſepultus. *Uffingus* in Vita S. Idæ *L. I Cap. 9 p. 174* ſic docet. *Agius* memorat quoque *p. 23* filiolum, quem pater Monachorum Collegio junxerit. De *Hathumoda*, Abbatiſſa Brunshuſana, dicere non opus eſt. Ei ſucceſſit Gerbirga. Huic Chriſtina. Sophiam conſolatur *Agius* ſuper obitu ſororis Hathumodæ. Liutgarda nupſit Ludovico juniori Saxoni. Bruno patri ſucceſſit, & A. 880 d. 2 Apr. a Danis ad Hamburgum in prælio circumfuſus periit. Diem notarunt *Ditmarus L. II p. 335* & Annaliſta Saxo *Eccardinus ad A. 879.* Annum memoriæ prodiderunt Annales Fuldenſes, Necrologium Fuldenſe, *Roſwita*, Chronicon Hildeshemenſe, & libri alii. Oppreſſionem a Danis in ericeto Luneburgico factam *Witichindus* vocavit *L. I p. 634 inundationem repentinam* per translationem venuſtam. *Ditmarus* & Anonymus Saxo in Hiſtoria Imperatorum *p. 73 T. III Menck.* id proprie intellexerunt. An Bruno uxorem habuerit unquam, paullo poſt diſceptabimus. Ipſius liberalitas ſacra celebratur ab *Eberhardo* in Summariis traditionum Fuldenſium *Cap. 5 n. 13 p. 300* & *n. 22 p. 301.* Virtus bellica ex eo elucet, quod interfuit prælio Andernacenſi cum Ludovico II Rege. Brunoni ſucceſſit frater Otto

in Ducatu Saxoniæ administrando. Tenuit regiam curtem *Hirzfeld*, eamque cum Abbate quodam permutavit. *Uffingus* in Actis S. Idæ *L. II Cap. 1 p. 178* sic tradidit. Arnulfus Ottonem Mediolano tuendo præfecit, teste *Liutprando L. I Cap. 7 p. 96.* Regnante Ludovico Infante, Otto res imperii cum Hattone, Archiepiscopo Moguntino, consiliis moderatus est. Tutelam gessit Ludovici Infantis, si credimus *Joanni Latomo* in Catalogo Archiepiscoporum Moguntin. *p. 465 T. III Menck.* aliisque recentioribus. Ludovico defuncto, in Regem fuit expetitus. Obiit A. 912 d. 30 Nov. Annum notarunt Necrologium Fuldense, Chronicon Quedlinburgense *p. 179 T. III Menck.* Annum 914 malunt Annales Hildeshemenses. Diem servavit *Ditmarus* Annal. *L. I p. 325.* Sepultus fuit Otto in templo monasterii primarii Gandershemensis in crypta sub choro, haud procul ab ossibus patris, quæ huc A. 881 Brunshusa translata sunt. Bruno autem sepultus fuit in loco, qui nunc *Ebstorf* dicitur. Uxorem Ottonis Hedewigam, *Regum neptem*, ex Francica stirpe regali deducit Cel. *J. D. Kœlerus*; eam pro filia Everhardi, Comitis & Marchionis Forojuliensis, quæ alioqui *Hegilwich* dicitur, reputat *J. G. Eccardus*, quod verosimillimum arbitror. Hedewiga obiit A. 903, si Necrologio Fuldensi fides. Qui Ottoni sororem tribuunt, quæ Ludovico Infanti nupserit, a vero aberrant. *Witichindus* & Anonymus Saxo ceteros in errorem induxerunt, ut Ludovicum II juniorem, Regem, cum Ludovico Infante permiscuerint. Prior enim conjugio coiit cum Lutgarda in castro Aschafnaburgensi A. 865. Decessit ipsa A. 885 d. 31 Nov. & Aschafnaburgi sepulturam obtinuit, teste Annalista Saxone *ad e. a.* Necrologium Laurishamense in *Schannati Vindem. liter.* p. 38: *15 Kal. Nov. Luchardis Regina.* Credo, diem memoriæ anniversariæ denotari. Gerbirga, Ludolfi filia, defunctæ sorori Hathumodæ A. 875 per annos 22 successit. Procus ipsius erat Bernhartus, filius Unwani Comitis e Gisela, filia Hassionis, qui A. 775 cum Witikindo suscepit Baptismum. Christina, Abbatissa tertia, A. 897 successit sorori, ac A. 919 obiit. Ludolfo affinguntur præterea liberi a recen-

Digitized by Google

centioribus, *Tanquardus*, *Ekbertus*, *Mathildis*, & *Placentia*. Tanquartum cum Brunone fratre fuiſſe conditorem urbis Brunſuici, tradunt *Botho ad A. 861 p. 299*, Chronica Ducum Brunſuicenſium *p. 2 Mader*. Chronica *Engelbuſii p. 170 ſeq.* At jam exſiſtebat tunc Tanqwarderoda, quippe quam Bruno ſibi ſubegit, hoſtibus ademtam, uti intelligitur ex Chronico rhythmico Principum Brunſuicenſium *Cap. 8 p. 13*. Nomen & exſtructio loci plenior Brunoni III eſt attribuenda, uti dilucide ad A. 1057 ex Chronico Riddageshuſano patet. *Otto illuſtris* ex Hathuige genuit Thancmarum, Luitolſum & Henricum, quem ætas conſecuta Aucupem appellavit. Filiam *Roſwitham* duxit Wichmannus ſenior, Billungi filius. Ipſa, marito viduata, Gandershemii velum ſuſcepit, & Abbatiſſa facta. Ita docemur ex lacinia antiquiſſimi Chronici Ganderſemenſis. Fit circa id tempus mentio *Ribſuvintæ, ancillæ Chriſti*, in *Everardi* Summario traditionum Fuldenſium *Cap. 3 p. 294*. Roswithæ ſoror, *Baba*, nupſit Henrico Comiti, qui poſtea dictus fuit Babenbergicus. Henricum patrem A. 886 Normanni ad Pariſios contrucidarunt. Henricus, filius ipſius, A. 902 occubuit in certamine contra Salios ſuſcepto. Annaliſta Saxo *ad A. 882* Adelberti Babenbergici patrem Henricum Ducem, matrem Babam, appellat, ſororem Henrici Regis. *Witichindus* Annal. *L. I p. 635*. Adelbertum vocat *Henrici ex ſorore nepotem*. Chronicon monaſterii Mellicenſis *ad A. 906 p. 216*. Albertum vocat *Ottonis, Ducis Saxonum, ex filia nepotem*. Nihilo ſecius *J. G. Eccardus* Babam habet pro uxore Henrici junioris, fratris Adalberti, in Præfat. ad Hiſt. Geneal. Princip. Saxon. infer. §. *16 p. 12*, & Rerum Francicarum *L. XXXII §. 118 p. 814*. Quam vero ob cauſam Vir ſagaciſſimus fidei veterum tam audacter ivit obviam? Pronuntiaverat ſcilicet, Hegilwicham, Eberhardi Forojulienſis filiam, quæ ante A. 873 nubere non potuit, nuptam fuiſſe Ottoni illuſtri. Ratiocinatur *Eccardus* ex aſſumta hac opinione, ſtatuens, Babam, ſi fuiſſet natu maxima, A. 886, cum Henricus ſenior periret, vix annos habituram duodecim. Verum, ſimul ac ea incommoda gignuntur,

de conjectura *Eccardina* abjicienda cogitandum est. Malumus sequi fidem veterum, quam conjecturas recentiorum, illi adversas. Sunt, qui Ottoni filiam affingunt, quæ nupserit Leopoldo primo, Marchioni Bajoariæ Orientalis. Sed ratio temporis reclamat. Leopoldus enim vix fuit in lucem editus, cum Baba fato concessit. Ipse enim obiit A. 994, uxore usus Richeza. Occasionem aberrationi subministravit *fundatio cœnobii Mellicensis*, in qua habentur verba: *Primus fundator hujus monasterii Medlicensis dicitur fuisse Leopoldus primus, qui originem duxisse fertur a quodam nobilissimo Comite Babenbergensi, de genere Francorum*, cui *desponsata erat filia Ottonis, Ducis Saxonum.* At vocula *cui* non ad Leopoldum, sed ad Comitem Babenbergensem, est referenda. Otto præterea filiam ex concubina genuit, quæ Guidoni Thuringo nuptum data. Cetera sunt in expedito.

§. 3. Cl. *Gebhardi* de origine Comitum Brunsuicensium: *Fateor, nullum, quod memini, scriptorem mentionem fecisse de filiis Brunonis, sed omnes, ubi de satore Brunsuicensium Comitum sermo inciderit, originem ejus ad homonymum retulisse, præter* Autorem Chronici rhythmici Principum Brunsuicensium *Cap. 14 v. 90 seq. & v. 119 seq. p. 25 T. III Leibn. qui de Ottone III defuncto sic subjicit:*

Des sollen gi nicht hören node,
Dat ek alsus nenne dat Geschlechte,
Wille gi et merken rechte,
He was Hertogen Bruno van den verden kne, (*i.e. Glied*)
Ek wene, dat et icht to ferne si.

Et deinde de Ottone III sepulto ita concluditur:

Disse here Bruno nicht bestunt to rechte, (Bruno II)
Doch was her geboren van sinen geslechte,
He was öme (Ottoni III Imp.) *an deme vefften kny.*
Noch wonet uns eyn Keyser bi,
De heitet Henrik van Beygerland, (Henricus II Imp.)
Unde is doch van Bobenberge genant.

Hinc intelligimus, Brunonem competitorem fuisse regni, defunctis & Ottone II & inprimis Ottone III. Additur ratio

hæc,

hæc, quod Bruno deſcenderit a communi ſtirpe cum Ottone II, & quidem gradu maſculo collaterali quarto, & cum Ottone III in gradu quinto. Nunc progrediemur ad intermedios. Notiſſimus eſt Ecbertus monoculus, matertera Ottonis Magni filius, quem collata Hermanno Billungo Ducalis dignitas, poſt regiam ſuprema, adeo male habuit, ut nil omitteret, quo Ottoni M. faceſſeret negotia. In ipſo Comitatu circa Brunſuicum & per Ambergavi dominati ſunt filii Ecberti ad annum 992 defuncti, Bruno II, Ludolfus, & Ecberti. Hinc facile dijudicabis, jure hæreditatis poſſeſſiones Ecberti monoculi ad Brunonidas fuiſſe devolutas, excluſa propagine Henriciana. Quid impedit, quo minus hinc Brunonem primum ſtatuamus Ecberti monoculi fratrem natu majorem, cum uterque nepos, i. e. conſanguineus Imperatorum, audiat, & Ecbertus, ſumma injuria Ducatum Saxonicum ſibi eſſe ereptum, ſit conqueſtus; Brunonis vero filius ſecundus, Ottone III mortuo, ut qui ex majori deſcenderet linea, imperium Principi junioris lineæ ereptum iverit. Relinquamus cetera, & inquiramus prius in majores Brunonis & Ecberti, quem fraterno invicem vinculo exiſtimamus fuiſſe junctum. Ecbertus fuit natus matertera Ottonis Magni. Mater Ottonis M. Mechtildis fuit ſoror Friderunæ & Biæ. Ecbertus & Wichmannus junior, ex Frideruna ſuſceptus, dicuntur fratres, quod interpreteris uterinos. Hinc Ecbertus erit filius Friderunæ Wittekindigenæ. Pater deficit. Conſtituit Eccardus Brunonem quendam ipſi patrem, & Brunonem, Ludolfi Ducis filium, avum ei dedit. Adeſt in Witechindo, Monacho Corbejenſi, Ekkehardus, filius Ludolfi, vivens tempore Henrici Aucupis, quem Ekkehardum idem ſcriptor Annal. L. II p. 643 ſeq. *fortunam Herimanni ægre paſſum, refert. Ludolf Comes inter teſtes obvius eſt in donatione Ludovici IV Infantis ad A. 905. Tabulam donationis invenimus apud Ven.* Schannatum *in Trad. Fuld.* 545 p. 222. *Ekkehardus doluit, alium ſibi eſſe antelatum, quia ipſe, opinor, a Brunone, Ludolfi Ducis filio ortus, ſibi potius Ducatum, quam alienigenæ, deberi credidit.* Gundlingiana P. XXXIV p. 363.

Nobis

Nobis ſufficit, ſemper exſtitiſſe ejusmodi Principes, qui, jure natalium potiorum, Ducatui Saxoniæ inhiaverint, quem, defuncto ad Ebſtorfium A. 880 *Brunone, ex indulgentia Ludovici Regis Ottoni Illuſtri conceſſum dolebant. Quod Eckehardus efficere nequiit, id juris Ecbertus unoculus ſibi vindicare nitebatur. Quare procul dubio Ecbertus patrem agnoſcat oportet Eckehardum, Friderunæ maritum priorem, ſecundas nuptias cum Wigmanno ſeniori ingreſſæ. Supereſt Ludolfus, quem antehac, opinionem* Gundlingii *ſecutus, eundem cum Ottonis Illuſtris filio putavi, ante patris exceſſum mortuo. Sed obeſt autoritas Chronici rhythmici tenuiorque Ludolfi decedentis ætas. Ecberti frater fuit Bruno I, redux ex Bavaria, Comes in Melverode, exſtinctus A. 972. Ceterum injurii in Brunonem I ſunt, qui ipſum pro ſpurio habent, ex Henrico Duce Bavariæ & concubina Hildesvinde nato. Perfrictæ enim frontis fuerit, neceſſe eſt, Bruno II, qui regnum ſibi deberi contenderit præ Henrico, nato legitime & maximæ autoritatis Duce, niſi jure avito eoque radicato tueri ſe potuiſſet. Ut tandem reliqua abſolvam, nullo negotio pollicem* Eccardo *premere lubet, qui tribuit Ecberto unoculo filios Ludolfum & Brunonem Epiſcopos, filias Emnildem & Mechtildem. Emnildis ex Brunone fuit nata, & obiit* A. 991. *Sic eſt in Chronico Quedlinburg.* ad e. a. p. 281. *Emnildis ſoror fuit Mechtildis, avia* Ditmari *Annaliſtæ & Epiſcopi, ut ipſe teſtis eſt* L. IV p. 351. *Ludolfum illum & Brunonem Epiſcopos, licet ipſi ex gente noſtra certiſſime ſint nati, quorſum collocem, neſcio. Novus accedit Brunoni I filius, ſi verba* Dittmari p. 365 *de patrui ſui avunculo Ricperto Comite ſtrictim interpretanda duxeris. Mihi obſtat Henricus, nepos Ricperti, qui ex Stadenſi, non Walbeccenſi, gente ortus fuiſſe videtur.* Hactenus Cl. *Gebhardi.* Ruit proinde ſententia D. *Conradi Bertholdi Behrens*, qui in *Hochgemüſſigten Sendſchreiben p. 19 ſeq.* tentaverat Comites Brunſuicenſes a Ludolfo, Duce Sueviæ, Ottonis I filio, deducere. De matre Ludolfi II, Comitis Brunſuicenſis, ſcriptores diſſident. Chronicon MStum Francorum: *Duce* (Sueviæ) *Erneſto defuncto, accepit*

pit Giſlam uxorem Comes Bruno de Brunſuic, peperitque illi Ludolfum Comitem. At ordo temporis repugnat. Nam A. 1015 Erneſtus, in venatu ex improviſo a milite ſuo ſagitta percuſſus, miſere occubuit. Annales Hildesh. *ad c. a. p. 723.* Eodem anno Giſelam, Erneſti viduam, Conradus II, poſthæc Rex, in uxorem duxit, teſtibus *Ditmaro* Annal. *L. VII p. 415* & *Ottone Friſingenſi* Chron. *L. VII Cap. 28 p. 132.* Chronicon vetus Ducum Brunſuicenſium *p. 7: His temporibus in Brunswick Princeps fuit Bruno, qui Comes dictus eſt - - Brunonis uxor fuit Domina Ghisla de Werle, quæ eidem genuit Ludolfum.* Conſentit *Botho.* Venit igitur in mentem *Pfeffingero* ad *Vitriarium P. II p. 325*, Giſelam primo nupſiſſe Brunoni, deinde Erneſto, &, hoc defuncto, ad poſtremum Conrado II Salico. *Kœlerus* Giſelam Werlenſem fuiſſe ſterilem putat; Ludolfum vero ex Giſela, Hermanni II, Ducis Sueviæ, filia, procreatum. Alii temere permiſcent utramque Giſelam. *Ludolfus Comes obiit* A. 1023, comprobantibus Annalibus Hildesh. *p. 725.* Iidem referunt *ad A. 1038 p. 729: Liudolfus Comes, privignus Imperatoris, IX Kal. Maji immatura morte obiit, & ejus frater Herimannus, Alemanniæ Dux, ſubita infirmitate præventus, XVI Kal. Julii deceſſit.* D. *Simon Fridericus Hahnius* in *der Reichs-Hiſtorie P. II Cap. 7 §. 10 p. 253 nota (n)* hunc locum de tertio Erneſti, Ducis Sueviæ, filio accipit. Annaliſta Saxo ſententiam *Hahnii* deſtruit. En ejus verba *ad A. 1038: Liudolfus, Comes Saxoniæ, filius Brunonis de Bruneswic & Giſlæ Imperatricis, obiit immatura morte, genuit ex Gertrude Comitiſſa Brunonem & Ecbertum. Lambertus Schafnaburgenſis* vocat Brunonem & Ecbertum patrueles Henrici IV. In Diplomate Conradi II *ad A. 1028* apud *Schatenium Liudulphus Comes dicitur privignus Imperatoris.* Henricus III filium Brunonis vocat *fratrem* ſuum, & huic Ecbrechtum Comitem tribuit *ad A. 1051.* Henricus IV in confirmatione donationis *ad A. 1057 Liutulffum*, Brunonis filium, vocat *patruum. Eccardus* hæc copioſius perorat in *Hiſt. Geneal. Marchionum Miſnenſ. ex vet. Princip. Brunſuic. ſtirpe Cap. 2*

p. 279. Consentit Coleb. *Kœlerus* in *Stemmatographia Augusta Saxonica p. 47 seq.* ac in *Diss. Genealogica de Familia Augusta Franconica p. 35 seq.* Ludolfus prior, privignus Ludolfi, Gertrudis mariti, fuit indubie pater Brunonis, Episcopi Mindensis, & Sigfridi, Comitis Palatini, qui A. 1038 Wirciburgi obiit. Hi certe fuerunt fratres. Annales Hildesh. *ad A. 1038 p. 729.* Bruno Episcopus *Egberto Marchioni fuit consanguinitate proximus*, teste *Lerbeccio* in Chronico Mindensi *p. 171 T. II Leibn.* Quorsum Hezilo, Episcopus Hildeshemensis, sit referendus, ignoro. Cetera sunt tritiora. Quare ab iis manus cohibeo.

§. 4. In ultima Billunganorum stirpe occurrunt *Billunc* & *Bennicho* cum fratre *Rudrato*, apud *Everardum* in Summariis traditionum Fuldensium *Cap. 5 n. 45 p. 302 ed. Schannati.* Carolus M. A. 811 Aquisgrani donavit prædium *Bennito*, in Buchonia situm, eo quod *Amalungus*, Benniti parens, a Saxonibus ad ipsum defecerat, & Witikindum ad eundem amplectendum animum inflexerat. Caroli M. præceptum, ea de causa datum, est apud *Browerum* in Antiq. Fuldens. *L. III Cap. 12 p. 217.* Dedit id emendatissime *J. G. Eccardus* in Appendice ad res Francicas. Amalungi filius fuit Billungus. Billungi ex Æda filia fuit *Oda*, uxor Ludolfi, Ducis Saxoniæ Orientalis. De uxore Bernhardi I paucula sunt addenda. Clarissimus *Gebhardi* nomen uxoris ipsius protrahit ex fragmento quodam Diplomatis, quo Bernhardus I cœnobio S. Michaelis Luneburgico curtem Gerdauge concessit. Id sic habet: *Dedi ego Bernhardus Sancto Michaheli in Liuniburch ecclesie cum consensu dilecte uxoris mee Hildegardis & carissimorum filiorum nostrorum Bernhardi & Thiatmari curtem Gerdauge nominatum* - - Servavit nobis id quoque nomen Autor Chronici Quedlinburgensis *p. 192 T. III Menck. ad A. 1011. Hoc etiam anno sæva mors de obitu Hildegardis ductricis miserabile lamentum intulit.* Cl. *Gebhardi* Hildegardin habet pro filia Henrici Calvi, Comitis Stadensis. *Ditmarus p. 412* filios Bernhardi vocat suos *nepotes*, i. e. consanguineos. Autor Vitæ Meinwerci Sigfridum (indubie Staden-

Stadensem) vocat avunculum Thietmari Comitis, qui Bernhardi II, Ducis Saxoniæ, exstitit frater. Bernhardi II uxor fuit *Eilica*, filia Henrici, Comitis Swinfurtensis & Marchionis, ex Gerberga, teste Annalista Saxone *ad A. 1059 & 1086.* Diploma *Wulfhildis* debemus diligentiæ Ven. *Rehtmeieri.*

§. 5. Progenitores Adelberti Azonis II masculi ad Bavaros, qui regnum Longobardicum tenuerunt, referendi sunt. Ex Bavaris hisce in Italia regnantibus orti sunt Marchiones Spoletani. Ex hisce prodiit *Bonifacius I*, Comes Lucensis, & Dux Thusciæ, A. 811 memoratus. Ab hoc ad Henricum Superbum recta patet progenies. Celeb. *Muratorius* incertus hæsit, utrum per Guidonem I, an per fratrem ejus *Lambertum*, seriem masculam continuaret. Sed argumenta ex ipso facile conquiras, quæ pro Guidone esse pronuntiandum, suadent. Hæc alibi ex professo edisserui, eaque, quæ hinc inde sparsim apud *Muratorium* sunt obvia, in justum & compendiosiorem ordinem redegi, adjectis passim iis, quæ apud scriptores alios occurrunt, & *Muratorii* industriam adamantinam effugerunt.

§. 6. Genealogiam Comitum Northeimensium egregie delineavit & testimoniis comprobavit Vir Celeberrimus *T. III Menck. p. 1129 seq.* Frustra sunt, qui Comites Northemenses ab Henrico Aucupe deducunt. Ultra Sigfridum I, qui A. 1002 obiit, adscendere nondum licet. Sigfridi uxorem *Mechtildem Comitissam* habet Annalista Saxo *ad A. 1083 p. 563.* Ex hac prognati sunt Sigfridus II & Benno. Sigfridi I posterior uxor *Ethilinda* obvia est penes *Ditmarum* Annal. *L. V p. 366.* Credo, locum Necrologii Fuldensis ad A. 1025 ad Sigfridum II pertinere. Socii Sigfridi II & Bennonis, Udo & Henricus, quos eorum *confratres* vocat *Ditmarus*, fuerunt Comites Catelnburgici. Patet id ipsum ex Annalista Saxone *ad A. 1057 p. 490.* Bennonis uxor fuit *Eilica.* Ex utroque Otto Magnus procreatus est, qui Ducatum Bavariæ obtinuit. Cetera sunt notiora. *Gertrudis*, Ecberti I, Comitis Brunsuicensis & Marchionis Misnensis, filia, nupsit primo Theoderico seniori, Comiti Catelnburgico, eique peperit *Theodericum*

eum juniorem : dein in torum adſcivit Henricum Craſſum, eique peperit *Ottonem*, præmature defunctum, *Richenzam*, Lotharii Saxonis poſtmodo uxorem, & *Gertrudem*, *Sigfrido*, *Comiti Palatino* ad Rhenum, nuptam: tandem Henricum, Marchionem Ilenburgenſem, ex quo ſuſcepit Henricum juniorem. Sigefridus ille fuit filius Hermanni, Comitis Lucemburgico-Salmenſis, ex Adelheida, Ottonis Orlamundani filia, procreatus, uti oſtendit *Joannis* in Append. I ad *Parei* Hiſtoriam Palatinam *p. 429.* Henricus, Comes Palatinus Rheni & de Lacu, vocat Sigfridum ſuum *privignum ad A. 1093*, apud *Tolnerum* Cod. Palat. Dipl. *n. XXXVII p. 32.* Sigfridum hunc omiſit Cel. *Kœlerus* in *Tabula 2 Genealogica Familiæ Auguſtæ Lucemburgenſis.* In Henrici IV Diplomate apud *Schannatum* in Vindem. liter. *p. 112 ad annum 1111* hæc occurrunt: *Nec non erga Palatinum Comitem Sigfridum ejusque conjugem Gertrudem* - - Cunegunda, Cononis uxor, A. 1117 teſtamentum condidit, quo cœnobio S. Blaſii Northeimenſi beneficia exhibuit inſignia. Teſtes ſunt inter alios *Adela*, *Cunigundis* Marchia, *Mathildis*, filiæ. *Mathildis* certe nomen adhuc fuit incognitum. Diploma numerandum eſt inter cimelia Rev. *Rehtmeieri.* Otto, Comes Northemenſis & Bumeneburgi, vocatur in eo *Dux Saxonicus.*

§. 7. Alberti M. filia, *Mechtilda*, falſo habetur pro uxore Erici, Regis Daniæ, ex loco Erici *ad A. 1239* ſiniſtre intellecto. Nupſit enim Henrico, Duci Glogaviæ, qui obiit A. 1309 d. 9 Dec. teſte *Dugloſſo p. 342 & 348 T. I Sommersberg.* Henrici Mirabilis filii hoc ordine ſunt collocandi: Henricus Græcus, Erneſtus, Wilhelmus, Joannes, teſtibus literis apud *Meibomium T. III p. 268.* Henricus Græcus obiit A. 1357. Soror ejus *Margaretha* fuit Præpoſita Quedlinburgenſis, ut patet ex *Kettneri Hiſt. Eccl. Quedl. p. 83.* Henrici Græci liberi fuerunt *Wilhelmus*, duæ ſorores, quæ in Italia maritos adſciverunt, *Thomas*, Monachus Auguſtinianus & Doctor Theologiæ, *Otto*, Tarenti Rex, natus A. 1307, † 1387, *Balthaſar*, qui † A. 1381, *Melchior*, Ep. Oſnabrugenſis, & poſtea Swerinenſis, † A. 1381. *Engelhuſius* in Chronico *T. II Leibn. p. 1132.*

Digitized by

1132. Ernesti Osterodensis liberi exstiterunt *Albertus II, Joannes, Ernestus*, Præpositus Eimbeccensis, *Fridericus* Osterodensis, *Anna*, filia, Abbatissa Osterodensis, teste *Engelbusio p. 21 T. II Leibn. Henricus*, Dux Brunsuicensis, in Diplomate, A. 1331 circa Pascha dato, quo cœnobio S. Mariæ Osterodensi XIV agros in monte Hasenbul sitos donat, memorat sorores suas *Agnetam & Rixam*, virgines votivas S. Mariæ & S. Jacobi intra muros Osterrode. Hæ igitur fuerunt filiæ Henrici Mirabilis. *Otto Strenuus* Luneburgensis A. 1312 Ericum, Ducem Saxoniæ, vocavit *avunculum* suum. Ipsi fuerunt sex sorores, ob Chronicon rhythmicum *p. 142 T. III Leibn.* Genealogistæ habent vulgo duas duntaxat. Insigne exstat documentum de uxore Henrici Mirabilis, *Agnete*, ejus filio, *Friderico*, & filia, *Mechtilde*, Joannis de Werle conjuge, huc usque ignoratis, apud *Tenzelium* in Vita Friderici Admorsi *T. II Menck. p. 962*; quibus adde *Agnetam*, Gerhardo Eppensteinio collocatam nuptum, testibus literis Consulum Duderstadiensium apud *Joannem ad Serarium p. 625* in Schemate Eppensteinio. Ottoni Strenuo fuit spurius, Ludolfus, Præpositus in Medingen. Idem *Joannes ad Serarium* docuit *p. 666* tribus Diplomatibus, *Schonettam*, Ottonis Grubenhagensis uxorem, fuisse Henrici, Domini Homburgensis, viduam, Joannis, Nassovici Comitis, filiam, Adolfi, Episcopi Moguntini, neptem, Philippi Nassovici sororem. Diploma Consulum civitatis Freyse apud *Gudenum* Sylloge *I p. 642* sistit *Agnetem* Brunsuicensem, uxorem Godefridi Ziegenhainensis *ad A. 1364*. Definiant alii, cujusnam Ducis Grubenhagici ipsa exstiterit filia. Henrici III Grubenhagici uxor fuit *Margareta*, filia Joannis I, Ducis Saganiensis. *Botho ad A. 1468 p. 413. Daniel Czepkius* in Gyneceo Silesiaco *Tab. Genealog. XXVI* eam, marito defuncto, putat transiisse ad conjugium cum Walrado seniori, Comite Mansfeldico. Sed hic jam obierat A. 1450, filiusque cognominis, qui † A. 1499 d. 28 Nov. ex Margareta, filia Joannis, Comitis Hohensteinensis, suscepit duos filios, teste *Spangenbergio* in Chron. Mansfeld. *Cap. 345. Otto* Eimbecensis † A. 1451. Nam eo usque literas feudales

confirmavit. Ad *Erici* Grubenhagici liberos hæc ſunt notanda. *Eliſabeta* fuit nupta Caſimiro, Duci Stetini. Ipſa A. 1447 pro eo inſtituit memoriam anniverſariam Gandershemii, ex qua hoc patet. Fuit enim Abbatiſſa ab A. 1439 ad 1451. Ipſi ſucceſſit in ea dignitate ſoror *Sophia* A. 1452, & ſedi illi Gandershemenſi præfuit usque ad annum 1485. Ex Diplomatibus genuinis hæc innoteſcunt. Ipſa vulgo habetur pro Alberti III filia. Philippi ſenioris Grubenhagenſis filia, *Catharina*, iniit torum cum Joanne Erneſto, Saxoniæ Duce, A. 1542 d. 12 Febr. indice *Spalatino p. 1149 T. II Menck.* Maritus *Annæ*, filiæ Erneſti Eimbeccenſis, vocatur *Ulricus*, Comes Hohenſteinenſis, ab *Engelbuſio p. 21 T. III Leibn.* *Albertus pinguis* vixit adhuc A. 1318 in veſpera Pentecoſtes. Vide ejus Diploma apud *Lyſerum* in Hiſtoria Comitum Eberſteinenſium *p. 82*, ex quo pateſcit, filium ejus Albertum tunc exſtitiſſe Præpoſitum Embecenſem. Filii Brunonis Epitaphium exſtat Gottingæ hunc in modum: ANNO. DNI. M. CCC. III. IN. VIGILIA. OI. SCOR. OBIIT. ILLVSTR. PRINCEPS. DOMICELLVS. BRVNO. DVX. I. BRVNSWICH. *Otto* Gottingenſis *Annam* filiam nuptum dedit Wilhelmo, Comiti Hennebergico. Ita docuit *Weinrichius* in *Hennebergiſchen Kirchen-Staat p. 205*. *Anna*, Abbatiſſa Oſterodenſis, fuit Erneſti Gottingenſis filia. Ipſa occurrit in Diplomate A. 1397. Erneſti uxor vocanda eſt *Barbara*, ſecundum *Bothonem ad A. 1319*, cui accedit Illuſtris *Sommersbergius p. 355 T. I* Script. rer. Sileſ. Erneſti ſorores fuerunt *Adelheidis*, *Richenza*, *Mechtildis*, *Jutta*. Vide literas duas Alberti Pinguis *T. I Meibom. p. 469.* Ad annum 1319 *Mechtildis* & *Jutta* ſunt obviæ *p. 869 T. I Leibn.* *Rixa* fuit virgo ſacra, & petiit Abbatiſſatum majoris Eccleſiæ Ganderſemenſis. *Mathildis* fuit hic Canonica & Abbatiſſa cœnobii S. Mariæ. Magno Torquato communiter uxorem tribuunt Catharinam, filiam Waldemari I, Electoris Brandeburgici. At hic obiit A. 1319. Ipſa, ſi vel maxime fuit poſthuma, 40 annos habuit, cum nupſit, ut vulgo ferunt, Magno. Nuptam Gerhardo, Duci Sleſuicenſi, & Hol-

Digitized by Google

& Holſatiæ Comiti, *Eliſabetham* vocat Chronicon Holſaticum *Cap. 29 p. 77.* Magnus octo ſuſcepit liberos. Magno A. 1373 defuncto, uxor ad poſteriores nuptias cum Alberto; Saxo-Lauenburgico tranſiit. Hæc non quadrant ad rationem temporis. Quare ſuccurrit documentum, in *Leuckfeldii* Antiq. Kelbranis *p. 95* obvium, in quo ipſa dicitur *Catharina* Anhaltina. *Friderici*, deſignati Regis Germaniæ, uxor fuit *Anna*, quæ A. 1404 deſcendit ad nuptias alteras cum Balthaſare, Thuringiæ Landgravio. Addenda ad Annales Veterocellenſes *p. 2181 T. II Menck.* *Ericus I* ſenior, Calenbergenſis, duxit priorem uxorem *Catharinam* A. 1448 die Jacobi ex Alberto Duce Saxoniæ natam, nuptam A. 1484 Sigismundo, Duci Auſtriæ, defuncto A. 1496 d. 4 Martii, ſecum A. 1497 junctam, *Spalatino* teſte *p. 2273 ſq. T. II Menck.* *Henricus junior* Luneburgenſis A. 1483 in die Remigii nuptias celebravit cum *Margareta*, Electoris Saxoniæ Erneſti filia. Chronicon terræ Miſnenſis *p. 371 T. II Menck.* Subnectemus poſteritatem Henrici Mirabilis, plerumque confuſam, hic diſtincte propoſitam:

Henricus Mirabilis † 1322. Uxor *Agneſa*, filia Alberti, Landgr. Thuring.

Henricus. † 1357. Ux. 1) Helena, 2) Maria Cypria.	*Erneſtus.* † 1344, Ux. Adelheida, filia C. Eberſtein. 1322.	*Wilhelmus.* 1309, 1318, 1323.	*Joannes.* Præpoſitus S. Alex. Eimbec. 1362 † 1367 d. 23 Maji.	*Alheida*, ſeu *Irene*, nupta Andronico II Palæologo, Imperatori Conſtantin. 1318 † 1326.	*Margareta.* Præpoſita Quedlinburg.	*Hagna.* Nupta Principi Carinthiæ	*Alſine*, ſeu *Eliſabeth*, nupta Frid. VII Com. Beichling.	*Facie*, ſeu *Bonifacia.*

1. *Otto* 1307. † 1387. Ux. Joanna, Regina Neap.	2. *Baltaſar* C. Fundorum per uxorem, Honorati C. hæredem unicam, † 1381.	2. *Riddagus* 1357.	2. *Thomas* D. Theol.	2. *Melchior* Ep. Oſnabrug. poſt Suerin. † 1381.	2. Filiæ duæ.

Tan-

Tantum in præsens. Proxime plura e Collegio Triumvirorum. Corollarii loco damus Sigillum *Mechtildis*, Ottoni Puero nuptæ. Sigillum Ottonis, itidemque Mechtildis, a *Rehtmeiero p.* 484 allatum, ad Ottonem Strenuum ejusque conjugem Mechtildem est referendum. Hæc & complura alia augmenta Ven. *Rehtmeierus* collegit, quæ ut in lucem propediem emittantur, merito damus operam.

Tab. II Fig. 2.

Des Herrn von Besser Schrifften ꝛc.

h. e.

DOMINI DE BESSER SCRIPTA, PARtim prosa, partim vorsa oratione composita, ab Autore ipso emendata, quamplurimis autem ineditis adaucta, & una cum ejus Vita, Præfatione & disquisitione, utrum voces monosyllabicæ in Poesi Germanica sint evitandæ, binis Partibus evulgata a JOANNE ULRICO KOENIG.

Lipsiæ, apud B. Jo. Frid. Gleditschii filium.
Alph. 2 plag. 22½, fig. 8.

TAm eminentia illustris *Besseri* sunt in utramque Teutonicam eloquentiam promerita, ut nefas esset in *Actis* nostris tacere novam, eamque splendidam, & altero Tomo auctiorem, Operum ejus editionem. Diximus de prima editione *A. 1712 Mense Febr. p. 87 seq.* quæ A. 1720 typis repetita est, at priori omnino similis; sed hæc tertia tot accessionibus locupletata est, ut priores multis parasangis antecedat, tot ornamentis distincta est, ut omnes Oratores & Poetæ Germani, qui adhuc prelum exercuerunt, præter perillustrem *Canizium*, huic *Besserianæ* Collectioni cultum suum invidere deberent, si eodem se dignos judicare possent. Digni sane sunt hi Duumviri hoc cultu, hoc splendore maximo, quem non aliunde, nisi ex Augustea aula, venustorum ingeniorum altrice, nec ab alio, nisi ab Amplissimo *Kœnigio*, potentissimi Poloniarum Regis a Consiliis aulicis atque cæremoniis, exspectare poterant. Atque hoc beneficium, quod *Canizio* & *Bes-*

Digitized by Google

ſero liberaliter præſtitit, & utrique immortalitatem nominis certiſſime ſpondet, ab eo altiori & generoſiore mente profectum eſſe videtur, quo minus emolumenti ab Autoribus, poſt mortes eorum, in Editorem noſtrum redundare potuit. Res hæc eſt nonniſi vilium animarum, quæ lucro ubique inhiant, non excelſi animi, qui nec privata ſibi facta injuria arcetur, quo minus de lædente bene mereatur, ſi quid commodi egregium publicum, cujus promovendi ſtudio incenſus eſt, ex hujusmodi labore capere poſſit.

Sed paullo propius hæc nova ſcriptorum *Beſſerianorum* editio intuenda eſt. Præter icona, in fronte libri collocatam, ab Editore ingenioſe excogitatam, & eleganti carmine illuſtratam, a *Werneria*, pictrice Regia, nitide delineatam, & a *Chriſtiano Fritſchio* affabre ſculptam, Nobiliſſimi Editoris Epiſtola nuncupatoria ad Virum illuſtriſſimum, *Henricum Fridericum Friſium*, Sacr. Rom. Imp. Comitem, Auguſtiſſimi Regis noſtri ſupremum Clavigerum, & ſecretioris Conclavis Regii Aſſeſſorem, literarum Mæcenatem ſummum, exarata eſt, cujus inſignia merita in rem militarem pariter ac literariam idoneis laudibus hic concelebrantur. Poſt Dedicationem ſequitur Præfatio vetus, primis editionibus præmiſſa, & nova Ampliſſimi *Kœnigii*, in qua non ſolum rationem hujus novæ editionis, in binas Partes diſtributæ, reddit, & ordinem, quem in utraque habendum ſibi eſſe cenſuit, exponit, ſed alia elogia quamplurium virorum celebrium & illuſtrium, quibus vel generoſi *Beſſeri* eloquentiam generatim, vel utriusque facultatis ſpecimina ſingularia, ornarunt, magno ſtudio collecta exhibet, editionesque ſcriptorum antea editorum accurate recenſet, nec cauſas diſſimulat, cur quædam Poemata, a *Beſſero* jam pro ſuis non agnita, locum nullum invenerint.

Hanc Præfationem excipit Cel. *Kœnigii* luculentiſſima Vitæ *Beſſerianæ* deſcriptio, eaque docta, elegans, & aliis ad imitandum proponenda. Ei præfixa eſt icon *Beſſeri*, optime ſculpta, & carmine ab Editore exornata. Nos ſumma tantum capita vitæ *Beſſerianæ* ſtrictim carptimque inde repetemus.

mus. Natus est *Joannes Besserus* d. 8 Maji A. 1654 Frauenburgi in Curlandia, ubi pater ejus munere Pastoris functus est. Postquam iis artibus, quibus puerilis ætas imbui solet, in contubernio nobilium quorundam juvenum perpolitus erat; in Academiam Regiomontanam se contulit, in qua non solum A. 1673 Præside *Joanne Rhodio de Euporia rationum dialecticarum* disputavit, sed etiam Magister ibidem renunciatus, bis Præsidis munus administravit, & *Theses* quasdam *philosophicas* publice defendit. A. 1675 præfectus studiis & moribus juvenis generosi, e Curlandia oriundi, *Dieterici Hermanni de Maydel*, cum quo eodem anno in Academiam Lipsiensem contendit; qui vero *Maydelius* postquam d. 15 Febr. A. 1677 globo plumbeo transfixus erat, ipse *Besserus* post varios casus & rerum discrimina A. 1680 Berolinum se contulit, & primo Friderici Guilielmi, Electoris Brandenburgici, Consiliarius, dein A. 1681 Consiliarius legationis factus est, quo anno etiam *Catharinam Elisabetham, Friderici Kuhleweinii*, Consulis quondam Lipsiensis, filiam in matrimonium duxit. A. 1684 *Besserus* ab Electore suo in Angliam missus est, Residentis munere ibidem functurus, ex qua postquam A. 1686 per Galliam reverterat, sequenti anno Consiliarius regiminis in Ducatu Magdeburgico constitutus fuit. A. 1690 a Friderico III Elect. Brandenb. nobilitatus, & Magister cæremoniarum & introductor Legatorum factus, A. 1700 titulum supremi cæremoniarum Magistri & Consiliarii intimi obtinuit, post A. 1702 Magister cæremoniarum Ordinis equestris aquilæ nigræ renunciatus. A. 1713 his honoribus exutus in aula Berolinensi, tandem portum suæ salutis in aula Dresdensi A. 1717 invenit, & titulum Consiliarii intimi bellici, Magistri cæremoniarum & introductoris legatorum nactus non sine stipendio regio, d. 15 Febr. A. 1729 anno ætatis septuagesimo quarto vitam cum morte commutavit, postquam ejus Bibliotheca, librorum rariorum thesaurus, A. 1727 Potentissimo Regi nostro decem millibus imperialium, parario inprimis *Kœnigio* nostro, divendita fuerat, Bibliothecæ regiæ inferenda.

Post vitam *Besserianam* sequuntur scripta, uti ab Autore ipso-

Digitized by

ipſomet in multis emendata fuerunt, inter quæ ſilentio prætERIRE non poſſumus nonnulla ex iis, quæ hic vel primum publicata, vel Collectioni ſcriptorum *Beſſerianorum* nondum indita fuerunt; duos Panegyricos in Fridericum Wilhelmum Magnum & Illuſtriſſ. Eberhardum Danckelmannum, præcipuum Status Adminiſtrum, deſcriptionem homagii a nova Marchia & a Pomerania A. 1699 præſtiti, Poema heroicum in incomparabilem Heroa, Principem Eugenium, Sabaudum, & complura alia.

Alteri hujus Collectionis Parti præmiſſa eſt Dedicatio doctiſſimi Editoris ad Perilluſtrem atque Excellentiſſimum Dominum *Henricum de Brühl*, Potentiſſimi noſtri Regis Conſiliarium intimum, Mæcenatem literarum maximum, cujus in ſe, in literas, in Saxoniam, merita eleganter Noſter deſcribit atque collaudat. Neque hæc altera Pars variis ſcriptis deſtituitur, vel plane nondum evulgatis, vel in prioribus editionibus nondum obviis, e quibus commemoraſſe juvat *Panegyricum in Fridericum Auguſtum noſtrum*, *deſcriptionem coronationis Boruſſicæ*, *deſcriptionem ingreſſus Regiomontum magnæ legationis, a Petro Alexiowiez, Ruſſorum Avtocratore, ad Fridericum III, Electorem Brandenburgicum, A. 1697 miſſæ*, varia carmina amatoria, nonnullas converſiones ex Poetis, cum Latinis, *Virgilio*, *Ovidio*, *Seneca*, &c. tum Gallicis, *Menagio*, *Boilavio*, aliisque, factas, & tandem Poemata ſacra, quæ omnia nova exquiſita laude, qua alias ejus Opera jam ornavimus, vix indigere videntur.

Hæc *Beſſeriana* claudit Cel. *Kœnigii* Diſquiſitio de vocibus monoſyllabicis in Poeſi Germanica. Docent triviales quidam artis poeticæ Teutonicæ magiſtri, concurſum vocum monoſyllabicarum in Poeſi vernacula cane pejus & angue vitandum eſſe. Hanc regulam primus fere inculcavit *Martinus Opitius*, vir alias egregius, proſodia Latinæ linguæ, quam Teutonicæ accommodare voluit, ſine omni dubio ſeductus, quem deinde præpoſtero conſilio permulti ſecuti, illam ſubinde in libris ſuis inculcarunt. Sed demonſtrat Ampliſſimus *Kœnigius* illius falſitatem ex eo, 1) quod genio linguæ Germani-

manicæ, quæ tanta quanta eſt, monoſyllabis eſt referta, repugnat; 2) quod numero poeſeos noſtræ, cujus elegantia inprimis in accurata compoſitione conſiſtit, nec aliam verborum collocationem admittit, eſt contraria. Diſputat hic doctiſſimus Autor multa de numero poetico & muſico, atque de utriusque harmonia, ſubtiliter atque accurate, & variis obſervationibus, quas ei cum propria meditatio, tum multijuga lectio in ſcriptoribus criticis & Poetis omnium fere linguarum, ſuppeditavit, pulchre illuſtrat. Denique 3) hæc ipſa regula exemplis optimorum Poetarum Germanorum & exterorum Gallicorum, Belgicorum, Suecicorum & Anglicorum, confutatur, qui non ſolum tredecim, ſed viginti, ſed triginta, ſed quatuor & triginta voces monoſyllabicas, ſe invicem una ſerie excipientes, adhibuerunt, nec iis tamen orationem duram atque aſperam reddiderunt.

Non dubitamus, quin Ampliſſimus *Kœnigius* hac doctiſſima Diſquiſitione harum deliciarum amatoribus ſalivam moverit, ut plures ejusmodi Obſervationes criticas, quas aſſervat, cum Collectione poematum ſuorum, quorum tot egregia pepigit, ab eo ſint exoraturi. Inprimis autem denuo de *Beſſero*, quin imo de publico bene mereri poſſet, ſi ex *Beſſerianis* MS. quorum uſus regia autoritate ipſi indultus eſt, Opuſcula quædam, ad decorum cæremoniarum pertinentia, evulgaret, ſuisque Obſervationibus, quas ſub beati *Beſſeri* manuductione fecit, & in novo munere, quod ipſi gratulamur, in poſterum faciendi majorem occaſionem habebit, locupletata cum orbe erudito communicaret.

ELOGIUM D. MICHAELIS ERNESTI ETTMÜLLERI.

NOn ſine publica doloris, quem ex Collegæ, in recenſendis Medicorum ſcriptis per plura luſtra ſumma cum laude occupati, jactura cepimus, ſignificatione, memoriam Viri Illuſtris, D. *Mich. Ern. Ettmülleri*, Pathologiæ P. P. Ord. Archiatri & Comitis Palatini Cæſarei,

ſarei, S. R. I. Nobilis Domini, & Academiæ Cæſareæ Leopoldino-Carolinæ Directoris, Academiæ Lipſienſis Decemviri, ordinis Medicorum Senioris, & Collegii majoris Principum Socii meritiſſimi, renovamus, ejusque nomen in his etiam *Actis*, quantum per nos licet, ad poſteros propagare ſtudemus. In hanc lucem editus die 26 Auguſti A. 1673, parentem nactus eſt Medicum, non per Germaniam ſolam, ſed totam Europam celeberrimum, *Michaelem Ettmüllerum*, Medicinæ Doctorem & Profeſſorem publicum digniſſimum, matrem *Margaretham*, ex incluta gente *Boſiana* ortam. Primum adverſæ fortunæ, quæ magnorum plerumque ingeniorum noverca eſt, impetum puer vix decennis expertus eſt, cum parentem venerandum, longiore omnino vita digniſſimum, nono & trigeſimo ætatis ſuæ anno conſtitutum, præmatura morte ſibi eripi ſentiret. Qua tamen plaga adeo non perculſus eſt, ut potius parentis memoriam ſuis aliquando meritis ab oblivione vindicandam ratus, ad optima quæque alacri animo eniteretur. Hinc factum, ut, poſtquam in Gymnaſio Zittavienſi atque Altenburgenſi literarum fundamenta jecerat, atque ſub provida matris ornatiſſimæ atque vitrici Conſultiſſimi, D. *Leonhardi Baudiſii*, educatione adoleverat, A. 1692 primum in Vitembergenſem Academiam ſe conferret, ibidemque per biennium ſtudiis philoſophicis aſſiduam navaret operam, profectuumque ſpecimen ſub Præſidio M. *Vegeti* Diſputatione *de Maculis in ſole viſis* non ſine laude ederet. Inde vero in Academiam patriam redux, tituloque Philoſophiæ Magiſtri ornatus, totum ſe Medicinæ, cujus amore, a patre hæreditate veluti relicto, a teneris flagraverat, conſecravit. In hac arte præceptores felici fato nactus eſt *Bohnium*, *Langium* & *Ortlobium*, atque *Pauli*, quanta inter Medicos nomina, quorum ductu propriaque induſtria brevi tantos in hac arte profectus fecit, ut jam A. 1697 Licentiam Doctoris gradum aſſumendi omnium cum applauſu impetraret. Cum vero probe intelligeret, quantum Medici politioris intereſſet, exteras quoque regiones inviſere, atque naturæ artisque opera alibi conſpicua in ſuos convertere uſus, hoc ſtudiis ſuis ornamentum deeſſe noluit, ſed, quicquid in Germania, Anglia & Belgio, notatu dignum viſum eſt, itinere per biennium ſuſcepto perluſtravit. Unde domum reverſus, atque Medicinæ Doctor creatus, cum ægrotis ſua in medendo peritia, tum juventuti prælectionibus ſuis, prodeſſe, collectamque multo labore ſcientiam liberaliter impertire ſtuduit. Uti vero virtus in obſcuro deliteſcere neſcia, ad optima quæque facinora ingenuos cultores ſtimulat; ita de eo pariter, quod ſuos tandem admiratores inventura, præmiumque relatura ſit laborum impigre ſuſceptorum, ſecura eſſe poteſt: quæ larga quoque manu in B. Virum collata ſunt. Cum enim Senatus hujus civitatis de Medico perito, qui ægrotis, in Noſocomio publico decumbentibus, & reliquis pauperibus proſpiceret, ſolicitus eſſet, nemini rectius utrumque officium conferri poſſe putavit, quam *Ettmüllero* noſtro, quorum alterum ad ultimum usque vitæ tempus cum laude adminiſtravit, alterum vero pluribus diſtractus negotiis A. 1719 ultro reſignavit. Neque Rex noſter piæ memoriæ, pro ſuo in bonas literas earumque cultores favore, ſingularem ejus induſtriam, quam legendo & diſputando publice declarabat, ſuis carere præmiis paſſus eſt, ſed in publicorum Profeſſorum numerum mature eum evexit. Primum enim Profeſſionem Medicinæ Extraordinariam A. 1702, deinde A. 1706 Anatomiæ & Chirurgiæ Extraordinariam, eidem contulit. Anno vero 1719, poſt obitum Excellentiſſimi *Bohnii*, Phyſiologiæ Profeſſioni Ordinariæ eundem præfecit, a qua A. 1724 ad Pathologiæ Pro-

feſſionem Ordinariam adſcendit. Quibus muneribus alia his fere conjuncta, uti Academiæ Decemviratus, & in majori Principum Collegio locus, acceſſere. Rectoratum quoque Academiæ A. 1723 cum laude adminiſtravit, atque Procancellariatus munere in Panegyri Doctorali ſæpius functus eſt. Neque ſola Lipſia induſtriam *Ettmülleri* noſtri pro merito exornare anniſa eſt, ſed fama ejus ad Academiæ Leopoldino-Carolinæ Collegium allata locum ei in eadem jam tum A. 1702 conciliavit. Anno vero 1727, poſt Celeb. *Wedelii* obitum, ejusdem Academiæ in Circulo Saxonico Adjunctus omnium conſenſu declaratus eſt. Tandem vero A. 1730 Directoris ejusdem Academiæ dignitas cum reliquis eidem adhærentibus honoris inſignibus in eum collata, novo virtutes ejus ſplendore colluſtravit. Matrimonium A. 1712 cum femina nobiliſſima, *Magdalena Sophia*, e gente *Rudingeriana*, *Petri Trekelii*, Senatoris Weiſſenſelſenſis, vidua, contraxit, omni ex parte beatum, præterquam quod unicam filiolam prærnatura morte amiſit. Etſi vero nullum paterni nominis gloriæque reliquerit hæredem; vivit tamen atque diu ſuperſtes manebit ejus memoria in ſcriptis, quibus publico prodeſſe ſtuduit. Inprimis egregie de orbe literario meritus eſt, quod accuratam Operum B. Parentis, cujus ſcripta ab exteris maximo in pretio jure habentur, editionem curaverit, quæ A. 1708 Francof. ad Mœnum in fol. evulgata eſt. Cum enim poſt præmaturam ejus mortem ſcripta ejus magno ſtudio deſiderarentur; accidit, ut collegia ejus, ab auditoribus olim calamo excepta, paſſim prodirent. Quæ cum manca, mutila, multisque locis depravata, atque paterni nominis gloria indigna deprehenderet; ipſe conſilium novam & accuratam eorum editionem adornandi iniit, illudque primum in Epiſtola ad Illuſtrem D. *Schræckium*, Academiæ Cæſareæ Præſidem, cum eruditis communicavit, atque demum omnium cum applauſu executus eſt. Plures quoque Diſputationes & Programmata, variis occaſionibus edita, thematum utilitate & jucunditate dudum ſe eruditis approbarunt, quorum aliqua ſaltem enumeraſſe, Lectoribus non ingratum fore ſperamus. In cathedra Philoſophica Diſſert. *de Tactu ſenſuum externorum moderatore* ventilavit. Pro gradu Doctoris A. 1697 *de Singultu* ſub Præſidio Magnif. *Bohnii* diſputavit. A. 1700 Diſſertationem *de Variolis*, & proximo aliam *de Corpore humano ſympathetico*, Præſes defendit. Profeſſionem Medicinæ Extraordinariam A. 1702 Programmate *de Eo, an Medicos deceat eſſe ſectarios?* & Oratione, *In quantum Medicina dici queat conjecturalis?* auſpicatus eſt. Ordinariam vero Phyſiologiæ A. 1719 Programmate *de Diligentia Hippocratis continuanda*, & Oratione, *de Syſtematum noxis in Medicina*, inchoavit. Sequenti tempore plures Diſſertationes ejus ſub Præſidio habitæ ſunt, ut *de Medico mendace*, *de ægroto mendace*, *de effectu Muſices in homine*, *de tormentis & pœnis ſuſtinendis*, *de circulatione ſanguinis in fœtu*, *de quæſtione, an plantæ venenatæ ante lapſum extiterint*, *de vitiis circa ſomnum & vigilias*, *de vigiliis involuntariis*, *de natura medica*, *de divinationibus medicis*, &c. ut plura jam Programmata inauguralia, in quibus ſelectiſſima ſemper themata pertractavit, & frequentes Obſervationes, in Miſcellaneis Naturæ curioſorum reperiundas, ſilentio prætermittamus. His laboribus cum dies noctesque intentus eſſet, valetudinem, ceteroquin ſat conſtantem, ultimis annis labefactari ſenſit. Circa finem enim anni proxime præterlapſi febri vehementiori cum inſultu apoplectico correptus, inſigne virium decrementum expertus eſt; ut tandem menſe Auguſto in maraſmum ſenilem incideret, atque d. 25 Sept. anno ætatis ſexageſimo placi-

Digitized by Google

placide exspiraret. Cui Viro uti longiorem hujus vitæ usuram, quotquot ejus virtutem cognoverant, optassent; ita, ut molliter ejus ossa cubent, omnes boni nobiscum precabuntur.

LIBRI NOVI, HAUD ITA PRIDEM EX Italia advecti.

Lud. Ant. Muratorii Rerum Italicarum Scriptores. Tomus XIX & XX. Mediolani, 1731, fol.

Caroli Sigonii Opera. Tomi I Pars I & II. Mediolani, 1732, fol.

Vallisnerii Operum Tomus I. Venetiis, 1733, fol.

Rocchi Pirri Sicilia sacra. Tomus I & II. 1732, fol.

Francisci Orlendii Orbis sacer & profanus illustratus. Tomus I, & II Pars I & II. Florentiæ, Tom. I 1728, T. II P. I 1731, P. II 1732, fol.

Eustathius, Homeri interpres; cum versione & Notis *A. Politi*. Tom. I & II. Florentiæ, T. I 1730, T. II 1732, fol.

Codex Constitutionum, quas Summi Pontifices ediderunt in solenni Canonizatione Sanctorum; curante *Justo Fontanini*, Archiepiscopo Ancyrano. Romæ, 1729, fol.

De Vita & rebus gestis Clementis XI Pont. Max. Urbini, 1727, fol.

Trattato Teologico dell' Autorità ed infallibilità de Papi, composta dal Padre D. *Matteo Petitdidier*, Abbate Benedettino. In Roma, 1731, fol.

La Teologia del Chiostro, overo la santità, e le obbligazioni della Vita monastica. Opera composta e pubblicata da un' Abbate dell' Ordine Cisterciense. Tomi III. In Roma, 1731, fol.

Josephi Simonii Assemani Bibliotheca Orientalis. Tomi IV. Romæ, T. I 1719, T. II 1721, T. III 1725, T. IV 1728, fol.

Nicasii Sevillani Primatus Hispaniarum vindicatus. Romæ, 1729, fol.

Jo. Petri Bellorii Annotationes in XII priorum Cæsarum Numismata, ab *Ænea Vico* olim edita. Romæ, 1730, fol.

Constitutiones Apostolicæ & Decreta Consistorialia, quæ jurantur. Urbini, 1728, fol.

Liber Juris Civilis urbis Veronæ. Veronæ, 1728, fol.

Ignatii Hyacinthi Amat de Graveson Epistolæ. Tomi III. Romæ, T. I 1728, T. II 1729, T. III 1730, 4.

Vita di Benvenuto Cellini, Orefice e Scultore Fiorentino. In Colonia, 4.

Francisci Mariani, Bibliothecæ Vat. Scrip. Græci, Pro Jo. Annio Viterbiensi, Sacri Palatii Magistro, Oratio. Romæ, 1732, 4.

Dell' ignorante senza scusa nelle buone arti e nelle Scienze, libri tre del P. *Gio Prospero di S. Ubaldo*. Urbino, 1730, 4.

San Filippo Neri Institutore e fondatore dell' Archiconfraternità della SS. Trinità de Pellegrini e convalescenti di Roma, provato e mostrato da *Giacomo Laderchi*. In Roma, 1730, 4.

Eustach. Manfredius de Annuis inerrantium stellarum aberrationibus. Bononiæ, 1729, 4.

Dominicus Maria Mannius de Florentinis inventis. Ferrariæ, 1731, 4.

Joseph. Augustin. Orsi de Invocatione Spiritus Sancti in Liturgiis Græcorum & Orientalium. Mediolani, 1731, 4.

Idem de Capitalium criminum adsolutione. Ibid. 1730, 4.

Dominici Georgii de Liturgia Romani Pontificis in solenni celebratione Missarum libri duo. Romæ, 1731, 4.

Josephi Aurelii de Januario, Advocati Neapolitani, Respublica Jureconsultorum. Neapoli, 1731, 4 maj.

Joſeph. Pozzi, Jac. fil. Orationes duæ; quibus accedit Epiſtolare Anatomicum Commentariolum. Bononiæ, 1732, 4.

Jo. Bapt. Mazini Mechanica morborum a motu febrium deſumta. Brixiæ, 1727, 4 maj.

Cornelio Nipote, tradotto per *Remigio* Fiorentino, e con ſomma diligenza corretto e riſtampato. In Verona, 1731, 4.

Ruinartus de Perſecutionibus Vandalicis. Venetiis, 1732, 4.

Lamentazioni del Santo Profeta Geremia. In Firenze, 1728, 4.

Girolamo Giuntini Lettera ſcientifica intorno alla cagione de' Terremoti. In Firenze, 1729, 4.

Favola di due Gatti e della ſcimia. In Firenze, 1730, 4.

Della Storia e natura del Caffè Diſcorſo Academico di *Gio. Domenico Civinini.* In Firenze, 1731, 4.

Iſtruzioni paſtorali di Monſig. *Sebaſtiano Pompilio Bonaventura*, Veſcovo di Monteſiaſcone e Carneto. In Roma, 1727, 4.

Epigrammi ſagri di *Piera Franceſco Orſino.* In Roma, 1730, 4.

Lione Paſcoli Vite de' Pittori, Scultori, ed Architetti moderni. Tom. I. In Roma, 1730, 4.

Retratti di alcuni celebri Pittori del Secolo XVII. In Roma, 1731, 4.

L'Abcdario Pittorico, dall' Autore riſtampato, corretto ed accreſciuto di molti Profeſſori. In Firenze, 1731, 4.

L'Adamo, owero il Mondo creato, Poema filoſofico di D. *Tommaſo Campuilla.* In Meſſina, 1728, fol.

Le Ode di *Anacreonte*, nuovamente de vari illuſtri Poeti nella Italiana favella tradotte. In Milano, 1727, 8.

Poeſie d' *Aleſſandro Guidi*, con la ſua Vita nuovamenta ſcritta dal Sgr. Canonico *Creſcimbeni.* In Verona, 1726, 12.

Trattenimento Iſtorico e Cronologico, in tre libri diviſo dal Sgr. D. *Franceſco Maria Biacca.* Tomi II. In Napoli, 1728, 4.

Difeſa ſeconda dell' uſo antico delle Pandette, e del ritrovamento del famoſo Manoſcritto di eſſe in Amalfi di *Bernardo Tanucco*, contro le Vindicie del P. D. *Guido Grandi.* In Firenze, 1729, 4.

Eduardi Corſini Inſtitutiones Philoſophicæ & Mathematicæ. Tomi VI. Florentiæ, 1731, 8.

Diſcorſo in forma di Lettera ſopra il vero metodo di miſurare i Terreni di *Paolo Maria Olivieri.* In Roma, 1731, 12.

Domini Fidalini Conceptionale Biblicum. Urbini, 1727, 8.

Ferdin. Caccia de Cognitionibus liber unus. Romæ, 1719, 8.

I Canarini. Abſque mentione loci & anni.

Sonetti diverſi del Sigr. Dottore *Euſtachio Cartoli.* In Firenze, 1730, 8.

Memorie iſtoriche concernenti la Devoluzione dello Stato d' Urbino alla Sede Apoſtolica. In Amſterdam (Italiam literarum typus loquitur), 1723, 8.

Franceſco de' Ficoroni la Bolla d'oro de Fanciulli Nobili Romani e quella de' Libertini. In Roma, 1732, 4.

Superſunt libri alii, Mathematici præſertim ac Medici, commemoratione digni ſinguli, quos ſpatio intercluſi jam prætermittimus, ſuo tempore de his dicturi diligentius.

Tomi X *Supplementorum* ad *Acta* noſtra haud ita pridem *Sectio III* prodiit.

In *Actorum* hujus Anni *Menſe Januario & Februario* nuper inter relegendum animadvertimus quædam incuria typographi depravata miſere, quæ indicari hic brevibus, intereſt Lectorum noſtrorum. Sunt vero hæc: *P. 6 l.* 26 pro *ſubjunxiſſet* legitur *ſubjungiſſet*; *p.* 8 *l.* 8 pro *ſcribere* leg. *ſciribere*; *p.* 24 *l.* 4 pro *etiam* leg. *tiam*; *p.* 56 *l.* 16 pro *contractio* leg. *contractio*; *p.* 59 *l.* 3 pro *jucundiores* leg. *jucundior*; *p.* 60 *l.* 8 pro *quam ut* leg. *ut*; *p.* 66 *l.* 9 pro *duo* leg. *dua*; *ib. l.* 10 pro *dua trachea* leg. *dua truchia*; *ib. l.* 15 pro *ovulorum* leg *oculorum*; *p.* 70 *l.* 6 pro *aneuriſmatici & polypoſi* leg. *aneuriſmatis & polypoſa*; *p.* 78 *l.* 9 pro ἀναδίας leg. ἀναδήας; & *p.* 81 *l.* 9 pro *Theologis* leg. *Theologos.*

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Aprilis, Anno MDCCXXXIII.

ANTIQUÆ INSCRIPTIONES CUM GRÆcæ, tum Latinæ, olim a MARQUARDO GUDIO collectæ; nuper a JOANNE KOOLIO digestæ hortatu consilioque JOANNIS GEORGII GRÆVII, nunc a FRANCISCO HESSELIO editæ cum Annotationibus eorum.

Leovardiæ, typis & impensis heredum Francisci Halmæ, 1731, fol. Alph. 4.

MAgna fuit pridem apud eruditos, qui vetustatis quodam præter ceteros amore ducuntur, exspectatio magni illius *priscorum Epigrammatum Syntagmatis*, quod *Marquardum Gudium*, non ignobile superiori seculo Cimbriæ literatæ nomen, in itinere juvenili Italico composuisse fama minime mendaci passim circumferebatur. Sperabant humanius in literis educati, insignem istiusmodi Operis divulgatione gratiam iniri abs hominibus elegantioribus posse, atque simul luculenta quadam accessione augeri *Gruteri Reinesii*que, Germanorum, in antiquis Græcorum Romanorumque monumentis ab oblivione vindicandis merita. Enimvero fefellerunt fata desiderium istud publicis toties doctorum scriptis atque conviciis fere proditum, donec illud nuper demum tandem aliquando expleri permitterent. Sunt, qui perhibeant, ipsum *Gudium*, invidia ductum, obfirmato animo, thesaurum hunc apud se detinuisse, neque fieri voluisse omnino,

ut, cum inſequenti tempeſtate gravioribus in aula Cimbrica occupationibus, Conſiliarius factus Regis Daniæ Chriſtiani V in negotiis publicis & in tribunali atque regimine Ducatuum Slesvici & Holſatiæ, implicaretur, vel alio etiam obſtetricante in publicos uſus typorum beneficio proferretur. Hanc ſive famam, ſive fabulam, nos quidem in medio poſitam relinquimus; cum conſtet, obtrectatoribus virum doctiſſimum neutiquam caruiſſe. Illud interim exploratum eſt, *Gudio* defuncto, reperta fuiſſe in ipſius Bibliotheca grandia duo mediæ formæ, quam in quarto dicunt, volumina, manu ipſius ſcripta, & priſcorum titulorum memoratam Συλλογὴν complexa, addito peculiari Indice materiarum, quæ quoque titulo continentur. Hoc inſuper etiam certum habetur, delata illa fuiſſe poſtmodum in manus ſummi Viri, *Joannis Georgii Grævii*, qui viventi *Gudio* communium ſtudiorum amore, frequentibus epiſtolis culto, exſtiterat conjunctiſſimus. An vero hoc hereditatis, pretii, aliove jure factum ſit, ſi quis nobiſcum fortaſſe requirat: accipiat nimiæ curioſitatis, & benigne etiam ferat, correptionem, datam abs Cl. Editore *Heſſelio*, in Præfatione, *illud Opus*, ſcribente, *quemadmodum in Grævii manus inciderit*, *quid attinet dicere? nec*, *ſi me*, *ſeu potius Horatium*, *audis*, *ſcire fas eſt omnia.* Olim hæc fortaſſe

in apricum proferet ætas,

quod nos etiam præſtolari fas eſt.

Ceterum, de hoc quicquid ſit, gratulandum eſt civitati eruditæ vere, quod orphana iſthæc λείψανα *Gudiana Grævium* tutorem ac patronum invenerint; quo deſtituta intercidere potuerunt facile æternum. In eo tum erat Vir præſtantiſſimus, ut nova editione orbem donaret *Theſauri Inſcriptionum Gruteriani ;* quam, ipſo interim defuncto, ad umbilicum demum perduxit Celeb. *Burmannus.* Comitem vero ſimul dare voluit nobiliſſimo Operi *Syntagma Gudianum*, inſtituto atque conditoris ſolertia & doctrina ſimillimum; cujus & prægustum quaſi quendam dedit in Præfatione ad Tomum XI Theſauri Antiquitatum Romanarum.

Quod

Digitized by Google

Quod autem illi curando ipſemet adeo commode, aliis quippe diſtrictus, vacare haud poſſet, in ſubſidium advocavit eruditiſſimum virum, *Joannem Koolium*, Trajectenſem, diſcipulum quondam ſuum, tum vero J. U. Doctorem ac Senatorem & Scabinum Amersfortienſem, ingenii ac doctrinæ dotibus valde inclitum. Traditam is lampada optimi præceptoris reverentia lubentiſſime accepit, otium omne, quod publicum munus conceſſerat, verſando Codici *Gudiano* impendit, Inſcriptiones ad unam omnes ſecundum Capita methodo *Gruteri* diſtinctas apte diſpoſuit, addita poſſim Etruſco ſermone *Gudii* aliorumque Commenta Latino ſermone reddidit, quædam etiam pro re nata ipſe explicuit, atque Indices demum neceſſarios exquiſita induſtria adornare inſtituit. Par utique, ſi quis alius, doctiſſimorum hominum judicio, fuerat clariſſimus *Koolius* huic provinciæ rite adminiſtrandæ; ſiquidem, præter reliqua eruditionis haud vulgaris ornamenta, antiquariæ præcipue cognitionis, quam & ipſe quondam juvenis Italico itinere ampliſſimam ſibi comparaverat, præſidiis optime inſtructus. Sed & hunc mors præmatura terris abſtulit, antequam optatum colophonem imponere potuerat. Quo facto, redemit ex auctione Bibliothecæ *Koolianæ*, publice inſtituta ſub ipſum famigeratiſſimæ pacificationis Trajectenſis tempus, & Codicem *Gudianum* & chartas *Koolii* *Franciſcus Halma*, inclitorum Friſiæ ordinum typographus, ſuo ſibi ære, rogavitque Cl. *Heſſelium*, uti ipſe, quæ ad perfectionem vulgandi hujus ſuis ſumtibus præclari Operis forte adhuc deeſſent, ſuppleret. Suſcepit honeſtam adeo ſpartam *Heſſelius*, ſchedas *Koolianas* mire confuſas in ordinem redegit, præcipue vero *Indices*, a *Gudio* partim, partim a *Koolio* affectos, unus fere integros confecit, ad Herculei laboris improbitatem tanto patientius ſuſtinendam ſimili illuſtris *Scaligeri* exemplo incitatus. Jamque prelo ſubmiſſum erat ipſum Opus, cum itidem fatis fungeretur bibliopola, in quæ non multo poſt *Henricus* filius ſimiliter conceſſit. Hæc atque alia non leviſſimi momenti impedimenta ipſius vulgationem in annum usque hujus ſeculi triceſimum primum diſtulerunt.

Historiola hæc quasi quædam est fatorum, quæ habuit *Syntagma* hoc *Gudianum;* qua, tamquam antecessione quadam, perfuncti, de ipsa jam illius constitutione annalium nostrorum Lectores paucis instruamus. Vestibulum ornat Præfatio clarissimi Editoris, *Hesselii*, qui illustrissimo Viro, *Petro King*, magnæ Britanniæ Archi-Cancellario, universum Opus inscripsit. In hac carptim persecutus est, quæ modo ordinatius digesta de hujus ἐκδόσεως notitia literaria retulimus. Adjecit Præfationis Appendicem triplo auctiorem, & sedecim plagulas integras implentem, extemporali fere opepa elaboratam, in qua mira regnat argumentorum confusio. Potissima nos saltim indicabimus. Principio multa de *Pyrrhi Ligorii* Commentariis, quibus omnis antiquitas ex marmoribus illustratur, & qui plurimos in Tomos, triginta fere numero, distributi in Bibliotheca Taurinensi hodienum asservantur, disserit, unde infinitos fere titulos descripsit, & in suam Collectionem intulit *Gudius*; monetque inter alia, sublestæ multa fidei inesse ibi existimavisse *Joannem Harduinum*, neque fortassis injuria. Post de ipso iterum *Gudio* in medium nonnulla profert ex Epistolarum eruditorum Tomis *Burmannianis* passim decerpta; veluti & de *Carolo Morono*, Francisci Barberini, Cardinalis, Bibliothecario, qui illa ipsa tempestate, quam agebat in Italia *Gudius*, *Lucæ Holstenii* hortatu, herique sui auspiciis, moliebatur grande priscarum Inscriptionum Opus edendum typis; quod tamen effectum non est. Subjunguntur demum aliqua de *Luca Langermanno*, cujus Collectionem Epigrammaticam in suum Syntagma adoptavit *Thomas Reinesius*. Pergit Cl. *Hesselius*, & plura illustrium virorum nomina appellat, quos in recognoscendis Inscriptionibus suis adhibuit *Gudii* diligentia. Refert deinde, in animo sibi fuisse, parare præclarissimi Operis non nobile minus *Auctarium*; a quo tamen proposito exsequendo junioris *Halmæ*, typographi, obitus ipsum cohibuisset. In incerto etiam relinquit, an sequenti tempore Spicilegium istud instituere potis sit futurus. Prægustus interim gratia in eadem hac Præfationis Appendice repræsentat Inscriptionum fasci-

faſciculum, a V. C. *Carolo Andrea Duckero*, Profeſſore Hiſtor. ac Eloquentiæ apud Trajectum meritiſſimo, ſecum liberaliter communicatum, quas ille ante aliquot annos a nobiliſſimo *Juſtino de Hochepied*, Conſule Smyrnenſi, & Rev. Viro, *Hermanno van der Horſt*, tum a ſacris Batavorum Smyrnæ negotiantium, ex Oriente transmiſſas acceperat. Leguntur itaque hic primum *Inſcriptiones Græcæ*, nondum alias vulgatæ, ſeptuaginta tres, & *Latinæ* decem. Succedit mox miſſus alter *titulorum Græcorum* viginti octo, quos inter poſtremo loco ſingulari plagula, ære non ineleganter expreſſa, comparet famigerabilis illa *Inſcriptio Sigea*, βουστροφηδὸν exarata, & non ita pridem erudito Cl. Angli, *Edmundi Chishull*, Commentario illuſtrata; excipiuntque *Epigrammata* undecim *Græca* alia: quæ poſtremo loco CLXXIII *Inſcriptiones Latinæ* inſequuntur, ante quadriennium demum ad doctiſſimum *Duckerum* ex Italia a *Georgio Waddell*, amico ſuo, transmiſſa. Ipſe poſſidet, quod ait, *Heſſelius* Inſcriptiones pluſculas, itidem ab amicis hominibus, *Henrico Brenckmanno* V. C. *Philippo de Gronlard*, Canonico Trajectino, *Joanne Huidekooper*, ſextum decimum civitatis Amſtelodamenſis Conſule, atque aliis ſibi donatas, quas una cum ceteris ex libris editis hinc inde deſcriptis ad ſpem futuræ divulgationis conſervat. Promittit ſimiliter, alio tempore ſe publicaturum eſſe Annotationes doctiſſimas *Joannis Cornelii de Pauw*, Canonici Trajectini, in aliquot monumenta *Gudiana*; veluti & Obſervationes laudati ſuperius plus vice ſimplici *Koolii* de quibusdam apud *Gruterum*, *Reineſium* & *Fabrettum*, Inſcriptionibus; quibus junget fortaſſis *Indicem nominum*, quæ in Epigrammatis *Fabretti* deprehenduntur in ſcriniis *Koolianis* repertum. Concludunt denique Præfationis hanc Appendicem *Elegi* in hoc Opus *Gudianum* abs humaniſſimo *Heſſelio* non ineleganter elaborati.

Ipſum vero hoc Opus *Gudianum*, quod jam ſupra monitum fuit, ad methodum Corporis *Gruteriani* a Cl. *Koolio* ſecundum titulorum varia argumenta diſtributum, viginti atque uno Capitibus abſolvitur. Primum eſt Diis dedicatorum

Digitized by Google

pag. 1, ſecundum operum publicorum *p. 69*, tertium Cæſarum Imperatorumque *p. 86* quartum annalium, actorum, hiſtoriarum, *p. 97*, quintum Sacerdotum, Pontificum, Flaminum, Augurum, Ludorum, feſtorum, miniſtrorum ſacrorum, Ludionum, *p. 98*, ſextum Magiſtratuum majorum, minorum & quorumvis honoratorum, *p. 111*, ſeptimum Legum, SCtorum, Decretorum, fœderum, contractuum inter privatos, donationum, ceſſionum & actuum ſimilium, *p. 143*, octavum Militum *p. 145*, nonum Libertorum & Officiorum domus Auguſtæ *p. 188*, decimum Ordinum, Collegiorum, Sodalitatum, Corporum, *p. 205*, undecimum ſtudiorum, artium, Officiorum minorum, negotiationum, *p. 208*, duodecimum affectus parentum erga liberos *p. 226*, decimum tertium liberorum erga parentes *p. 249*, decimum quartum Conjugum *p. 261*, decimum quintum fratrum & ſororum *p. 291*, decimum ſextum Hæredum, Gentilium, Cognatorum, familiarium, amicorum, ſodalium, propinquorum, bene meritorum &c. *p. 296*, decimum ſeptimum Monumentorum ſingulariorum ab incertis poſitorum *p. 312*, decimum octavum affectus dominorum & patronorum erga ſervos libertosque, & contra, *p. 339*, decimum nonum affectus Libertorum ac Servorum, inter ſe & ſuos, *p. 351*, viceſimum Monumentorum Chriſtianorum *p. 365*, & viceſimum denique primum ſpuriorum *p. 373*. Singuli tituli ſingulis numeris notati conſpiciuntur, veluti apud *Gruterum*; plerisque duplex adhuc alius additus eſt, unus Romanus ordinem Avtographi *Gudiani* indicans, alter Arabicus 1 & 2 a *Koolio* adſcriptus, ad denotandum alterum Codicis Volumen. Porro ad quodlibet Epigramma in fronte notatum eſt ſive urbis, ſive loci, nomen, ubi fuit detectum, vel hodienum ſervatur; ad calcem autem ubique fere ipſe *Gudius* innuit, an propriis oculis viderit, an vero aliunde, v. c. ex *Ligorio*, &c. deſcripſerit; cujus poſtremi generis ſunt longe plurima.

Additi ſub finem *Indices*, & ad *Scaligeri* in *Grutero* exemplum, quam licuit fieri, elaboratiſſime compoſiti, veſtibulum

bulum ornant usuique reddunt accommodatum maxime Opus integrum, viginti quinque. Postremæ septem plagulæ mistim subitaneis tum *Koolii*, tum *Hesselii*, *Notis* instruuntur, ad quas degustandas ipsos Philologiæ ac Critices amatores ablegamus.

LES ORAISONS DE CICERON &c.

h. e.

ORATIONES CICERONIS GALLICE translatæ ex nova Editione Belgarum 1724, cum Observationibus; Autore de VILLEFORE.

Tomi VIII.

Paris, apud Fratres Barboiis, 1732, 12.
Alph. 6 pl. 6.

De genere Orationum *Ciceronis*, de vita ipsius, de aliorum pariter atque sua interpretandi ratione, non sine elegantia quadam, & lepore gentis proprio, Cl. Autor disputat in Præfatione, in qua inter alia causam *Tullii* agit in crimine timiditatis, quod vulgo illi objicitur, ostenditque, immerito illius postulari, qui post pueritiæ annos miles Sullanus, tum animosus defensor *Roscii Amerini*, in Catilinaria autem conjuratione fortis Consul fuerit, in Cilicia Imperator etiam ob rem bene gestam salutatus, Antonium senex oppugnare & lacessere non destiterit, in ipso vitæ fine pugnare servos vetuerit, stare jusserit lecticarios, allocutus sit parricidas magnifice, cervicemque fortiter illis præbuerit, quæ quidem ultima si aliunde, quam ex declamatorum sententiis, ostendi possent, pondus haberent minime contemnendum. Quod in Orationum initiis expalluerit, pudori tribuendum; quæ in exilio timide acta aut dicta adeo videantur, Marii in Minturnæ paludibus delitescentis non esse dissimilia. Sed si tum præsto fuissent Mario juvenum fortissimorum millia,

ut

ut discessionem paranti *Tullio* adfuere, fugiturusne tamen erat? Simili fere ratione, ac prope felicius, objectam jactantiam & gloriationem, ab inimicis nimirum expressam, datamque reipublicæ, diluit. Ne vero putemus, agere Virum Clarissimum, quod solet vulgus interpretum & Commentatorum, uti Autorem suum, tanquam heroa quendam, usquequaque defendant, & vitio omni immunem pronuncient, ipse in *M. Tullium* confert culpam conversi totius reipublicæ orbis, & sublatæ libertatis populi Romani. Cum enim infensus esset Pisoni & Gabinio, quorum Consulatus ipsum in exilium ejecerat, in Oratione de provinciis Consularibus eam dixit sententiam, quæ valuit, quaque revocati sunt Piso & Gabinius, Cæsari autem continuata Gallia. Quo facto imperiis adsuetus Cæsar, firmata in dies potentia, libertatem populi interemit, quod futurum non fuerat, si *Cicero* magis, quid e republica esset, videre voluisset, quam inimicos suos ulcisci, quorum vacuefactis provinciis, nemo jam erat, qui postulare posset, se debere succedere Cæsari. Quod si ita est, egregium erit exemplum *Tullius*, quam soleant mala consilia ipsis præsertim autoribus perniciosa esse. In fine Præfationis *Demosthenī* præferre *Ciceronem* eo potissimum nomine videtur, quod mediocrem ille civitatem, hic rempublicam orbis terrarum dominam, in potestate habuerit. Jam, quod ad interpretandi rationem attinet, illud laude dignum videtur, quod Autor rerum & personarum Romanarum nomina etiam Romana retinet, & *Consules, Prætores, Tribunos, Comitia*, & id genus alia inflectit potius ad Gallicæ linguæ rationes, quam ut nomina nova substituendo rem ipsam obscuret. Præterea id egisse se profitetur, ut non sensus modo redderet suos *Tullio*, sed verborum etiam ordinem, & figurarum rationes, quantum ejus fieri posset, conservaret. Commodum est, quod numeros, *Schorianos* vocant, servavit, quo facilior est his, qui id agunt, cum Latinis comparatio. Quæ de ratione Autores laudandi semel iterumque conquesti sumus, in Notis ipse etiam servat, in quibus præterea trita magis, quam abstrusiora, sequi videtur. Sed speciminis causa, age, Orationem

nem contra Rullum alteram inſpiciamus. N. 2: *De me autem ipſo vereor ne arrogantis ſit apud vos dicere, ingrati, tacere. Nam &, quibus ſtudiis hanc dignitatem conſecutus ſim, me-met ipſum commemorare, perquam grave eſt: & ſilere de tantis veſtris beneficiis nullo modo poſſum.* Duo proponit, a) *de ſe dicere,* hoc metuit, ne ſit *arrogantis,* b) *tacere*, hoc veretur ne ſit ingrati. Subjicit deinde ætiologiam prioris, *grave eſt*, h. e. moleſtum audientibus, *memet ipſum comme-morare, quibus ſtudiis* (*meis* profecto, non aliorum,) *hanc dignitatem conſecutus ſim.* Jam audiamus Noſtrum, quo-modo illam ætiologiam interpretetur. *Il m'eſt bien penible de rappeller moi même ces empreſſemens, que vous avez eu pour m'elever au rang ou ie ſuis.* Qua ratione dici non poteſt, quam tota mens atque ſententia *Ciceronis* pervertatur. N. 3: *Reperietis eos, qui ſine repulſa Conſules facti ſunt, diu-turno labore, atque aliqua occaſione eſſe factos, cum multis annis poſt petiſſent, quam Prætores fuiſſent, aliquanto ſerius, quam per ætatem ac per leges liceret: qui autem anno ſuo petierint, ſine repulſa non eſſe factos.* Hic *ſine repulſa* bis interpretatur *ſans oppoſition*, quod multo aliud eſſe norunt, qui alterutram linguam non ignorant. Quod *ſerius* reddit *plûtôt*, non ignorantiæ, ſed mentis cuidam aberrationi, tribui-mus merito. *Anno ſuo*, vertit *dans leur année de Préture*, quod indicat, ut prius illud, non feſtinantem hominem, ſed plane rei, quam tractat, imperitum & incurioſum. Ne longi ſimus, *Cicero* anno ſuo factus eſt Conſul ſine dubio. Atqui *Cicero* Prætor fuit A. U. 687, ſuæ vitæ 41. Conſulatum petiit A. U. 689, ſuæ vitæ 43. Integer ergo annus ampliusque in-terceſſit inter Præturam *Ciceronis* atque inter petitionem Con-ſulatus. *Annus ſuus* cujusque eſt, quo cuique primum per leges petere magiſtratum licet. Is eo minus in Conſulatu Præturæ annus eſſe poteſt, quod ex Prætura in provinciam itur, abſentis autem ratio haberi non poteſt. *Qui Conſu-latum petierim*, an recte Gallice, *je ſuis le ſeul que le Conſu-lat ait été ſollicité?* Sine dubio aliter interpretaturus eſt, qui *Ciceronem* intelligit, ea, quæ ſequuntur, Conſulatus *non ad*

alienæ petitionis (indigni nimirum hominis, aut certe populo inviſi) *occaſionem interceptus*; quam factum a Noſtro, *a l'occaſion d'une autre demande.* N. 6: *Qui aditum hujus loci conſpectumque veſtrum partim magnopere fugerunt, partim non vehementer ſecuti ſunt*, vertit, *dont les uns ont ſoigneuſement evité de paroitre icy devant vous, & les autres n'ont pas fort volontiers entré dans vos veues.* Nihil hic quidem dicit *Cicero*, quod his verbis ultimis explicari debuerit. N. 8: *Sublata erat de foro fides*, reddit, *La bonne foi etoit bannie du Barreau.* Atqui non loquitur hic *Cicero* de foro, in quo cauſæ aguntur, ſed de fide mercatorum & negotiantium, quam labefactat & ipſam metus corruptorum judiciorum. N. 13 in jocoſa laudatione Orationis Rulli ponit *Cicero*, *verbis valde bonis* h. e. ſonoris, & magnum quidam ſonantibus, ut intelligit, putamus, quicunque attente legit. Sed Noſter, *en termes ſages & meſurez*, quod plane contradicit his, quæ deinde de Rullo dicuntur. *Plures librarii*, qui *Ciceronis* juſſu concurrunt ad deſcribendam legem, fuerunt ſervi ipſius, alioqui *ſcribas* dixiſſet. Sed Noſter *pluſieurs Greffiers.* N. 14: *Vis tribunicia nonnunquam libidini reſtitit Conſulari*, *aux paſſions ſi moderées des Conſuls.* Vix comminiſcimur, quid dicamus. Typographoſne ſæpius in mendas ita contrarias ſententiæ *Ciceronis* incidiſſe? *immoderatas* quidem cupiditates intelligi a *Tullio*, apertum eſt. N. 16: *Sequar autoritatem veſtram*, non ſignificat *je me ſoumettrai a votre puiſſance.* Ibidem *creare Decemviros per tribus ſeptendecim* non ſignificat *dans dix ſept tribus*, ſed, ut recte ipſe deinde, *par.* N. 17: *paucas tribus -- ad uſurpandam libertatem vocare*, h. e. ad exercendum jus ſuum; at Noſter *pour reünir en ſa perſonne toute l' independance.* In mentem fuit viro uſus linguarum mixo-barbararum, quibus *uſurpare* eſt abuti, deinde *libertatem* cepit pro *principatu.* N. 18: *Majores noſtros tam fuiſſe populares, ut, quod per populum creari fas non erat* (Pontificem Max.) *propter religionem ſacrorum, in eo tamen propter amplitudinem ſacerdotii voluerint populo ſupplicari.* h. e. Voluerunt munus populi & beneficium eſſe

pon-

Digitized by Google

Pontificatum, eumque a populo peti. Quid Noſter? *ils ont voulu que tout le peuple en offrit des ſacrifices.* Quæſumus vos, intelligitne *Ciceronem*, interpretaturne *Ciceronem*, qui iſta ſcribit? Tale eſt N. 19, *quod per cerimonias populi* h. e. religione publica impediente, *fieri non poterat*, *ce qui ne pouvoit ſe faire par une ſolennelle convocation du peuple. Ante acciperent a populo beneficium*, muneris & poteſtatis, *quam darent* beneficium agrorum. Ita intelligendum hunc locum, clariſſime patet. Interpres noſter *reçuſſent - - le bienfait, dont il vouloient le gratifier*, quaſi de eodem utrinque beneficio ſermo eſſet. N. 20: *Volet* Rullus *eos* (ipſe) *renunciare, quibus regia poteſtas hac lege quæritur.* Perverſe &, ut vero verbo utamur, imperite Noſter, *il voudra que la declaration ſe faſſe par ceux, qui ſuivant cette loi, aſpirent a l'autorité roiale.* Omni poſſum, qui hæc ſcribo, vobis ratione confirmare, Lectores, me hac mente in manus ſumſiſſe hunc librum, ut laudarem. Neque enim bellum quoddam ſuſceptum eſt mihi cum Gallis interpretibus, qui gratus agnoſcam, mihi puero *Dacerianam Terentii* interpretationem hoc præſtitiſſe, ut intelligere poſſem & guſtare ſuaviſſimum ſcriptorem: multo minus genti infeſtus ſum, quam forte pauci Germanorum ita amant, colunt, laudant. Sed, quid evenerit, apparet. Obſervabam in prima Præfationis pagina, habitam a *Cicerone* pro lege Manilia Orationem, *pour autoriſer la loi propoſée par le Tribun Manilius.* Mirabar, ſed nolebam malum id putare auſpicium. In ipſo libro evolvendo forte quadam & micatione incidebam primum in fragmenta Orationis *in toga candida* habitæ. Videbam, verti titulum *pour la robbe blanche.* Metuebam, ut mentem percepiſſet in fragmentis Orationis, cujus indicem non intelligeret. Arripui aliam Orationem in proximo, & conferre inter ſe *Tullium* atque interpretem cœpi. Inveni, quod minime quæſivi. Nec dixi, quæ, niſi multis verbis & tota Orationis ſerie prolata, dici, certe intelligi, non poſſunt. Cur igitur non taces, dixerit aliquis, quod laudare non potes? Quia hoc debere mihi videor noſtris hominibus, quos Gallicorum quorundam libro-

rum venustas, & superioris temporis Gallorum quorundam autoritas, ita cepit, ut majus aliquanto, quam par, aut ipsorum e re est, pretium hodiernis etiam interpretationibus statuant, quale quid non ita pridem factum memini, cum Viri aliquot non persunctorie eruditi, quos per se intelligere scripta veterum nihil dubito, disputatiuncula de *Martialis* loco forte exorta, Gallicum illius interpretem poscerent, & ad hunc quasi arbitrum provocarent. Concedamus Gallis, plures, politiores, splendidiores, apud illos extare veterum scriptorum interpretationes. Sed iidem demus operam, ut illi melius apud nos intelligantur. Si Cl. *Villeforio* aut amicis durior hæc videatur censura, illud cogitent, quod in *Ablancurtium* ipse in Præfatione dixit: *non debebant errores ita minuti viro objici; sed in principibus artis, nihil est, quod non animadvertatur.*

GRAMMAIRE TURQUE.

h. e.

GRAMMATICA TURCICA.

Constantinopoli, 1730, 4.

Alph. 1 pl. 3.

INter paucas illas Grammaticas linguæ Turcicæ, quæ *Megiseri*, *Ryerii*, *Seamanni*, *Meninskii*, *Schieferdeckeri*, opera prodierunt, commendari maxime præsens meretur. Omnia enim illa, quæ ad pleniorem linguæ hujus cognitionem pertinent, Autor noster, illius peritissimus, septem Partibus methodice & perspicue complexus est. Ac prima quidem de literis & vocalibus, earumque recta pronuntiatione, quam & singulis per totam Grammaticam vocibus addidit, quinque Capitibus agit, cui simul Tabulam Alphabeticam, septem diversorum characterum ac ductuum, in scriptione usitatarum, qui *Neschi*, *Diwani*, *Ta-lyk*, *Kyrma*, *Sulus*, *Jakouti*, & *Reiibani* vocantur, inseruit. Horum quoque *Erpenius* in Grammatica Arabica mentionem jam fecit, & ab Autore

nostro

Digitized by

noſtro eodem modo explicantur. Secunda Parte nomina, eorumque duplicem declinationem, & diverſas ſpecies, cum gradibus comparationis, dein pronomina, exponit, cumque annexa numerorum tabula claudit. In tertia ad verba progreditur, ubi varias eorum ſpecies, ſubſtantivum, activum, paſſivum, negativum, tranſitivum, impoſſibile, cooperativum, reciprocum, horumque differentes per inſertam literam formationes, monſtrat. Quartam adverbiis, præpoſitionibus, quas recte poſtpoſitiones vocat, quia non ante nomen, ut in aliis linguis fieri ſolet, ſed poſt illud ponuntur, Conjunctionibus & interjectionibus, juſto ordine & numero collocatis, deſtinavit. Quinta ſyntaxin docuit, & ſingulares conſtruendi modos, eamque ſex Capitibus abſolvit. Sexta prolixum vocabularium, in triginta & quatuor nominum & verborum claſſes diſtributum, ſubjunxit, quæ a *pagina 68* usque ad *126* extenditur. Septima autem viginti Dialogos continet, tribus, ut vocant, columnis, ubi rectam in ſingulis paginis pronuntiationem ſimul oſtendit. Dicavit illam Eminentiſſimo Cardinali & ſupremo Galliarum Regis Miniſtro *Fleurio*, at nomen ſuum reticuit, quod tamen aliunde cognitum eſt. Ceterum eodem fere tempore, quo hæc Grammatica Turcico-Gallica emiſſa fuit, Cl. *Joannes Chriſtianus Clodius*, Profeſſor publicus Linguæ Arabicæ in hac Academia, amplam ſatis Grammaticam Turcicam, Latina lingua ſcriptam, & Lexico Latino-Turcico-Germanico, atque in his *Actis* recenſito, adjectam, evulgavit, ubi præter Hiſtoriam Grammaticarum Turcicarum & Arabicarum, in Præfatione exhibitam, linguæ Turcicæ analyſin exemplis commonſtrat, quod in omnibus reliquis Grammaticis deſideratur. Colloquia etiam, ex *Harzani*, Nobilis Hungari, Colloquiis excerpta, ac Proverbia Turcica ſelecta, adjunxit.

JOANNIS WYBO, FIL. ANT. JCTI, DE Interrogationibus in Jure Liber ſingularis.

Lugduni Batav. apud Abr. Kallewier, 1733, 8.
Plag. 13.

SCribit *Callistratus* in *L. 1 §. 1 π. de Interrogat. in jure fac. & de interr. act.* quæ ex ejus *Libro II Edicti monitorii* in Pandectas relata: *Interrogatoriis actionibus hodie non utimur: quia nemo cogitur ante judicium de jure suo aliquid respondere, ideoque minus frequentantur, & in desuetudinem abierunt.* Incredibile videbatur, Prætorem de re jam tum antiquata Edictum proposuisse, aut *Callistratum* aliosque JCtos tantam operam eidem impendisse. Inde quidam ex interpretibus, velut *Bertrandus, Duarenus, Jo. Robertus, Huberus, Leoninus, Branchu*, interpretatione huic Legi subveniri posse credebant; plerique, ut vulgo in rebus dubiis fieri solet, *Triboniano* litem intendebant; at Doctissimo *Autori* neutrum, sed aliud prorsus, placebat consilium, quod ipse in Præfatione his exponit verbis: *Conatus itaque fui, non eadem de actionibus interrogatoriis antiquis scribere, quæ jam alii scripserunt: ac præterea ostendere, dicta verba ipsius Callistrati esse, eaque sarta tecta Tribonianum nobis conservasse & tradidisse.* Videamus nunc, quomodo id expediverit. Ante omnia *Capite I & II* aliorum sententias exponit,
p. 50. ac inter alia *Capite IV* contra *Paganinum Gaudentium* locum quendam *Ambrosii* & *Apuleji*, ex quibus ille, quod interrogatoriæ actiones *Callistrati* temporibus jam exulaverint, probare intendit, de solo abusu interrogationum in criminalibus, ex contextu interpretatur, at in civilibus, illarum interrogationum, de quibus in Albo Prætor edixerit, maximum
3. eo tempore fuisse usum, tam ex *L. 22 π h. t.* ubi *quasi interrogatoriæ*, i. e. ex ejus intentione, utilis interrogatoriæ
10. actionis, mentio fit, quam *ex L. 39 π. de procurat. L. 1 §. 15 Si quadrup. paup. fec. dic.* sexcentisque aliis liquere, aliud vero interrogationum genus in usu esse desiisse putat, quod hoc modo evenerit: extitisse jam antiquitus & longe ante Edicti tempora interrogationes, sed extrajudiciales
39. les tantum, in præsentia testium ut plurimum, ceu ex *L. 58 π. Sol. matr.* conjicit, *Cap. III* factas, harumque eundem fuisse finem,

finem, ac earum, quæ poſtea Edicto fuerint introductæ, verum fuiſſe illas obnoxias abuſibus quibusdam atque defectui, p. 38.
quod nempe 1) actores extra jus ſæpiſſime reos inſidioſis atque captioſis deceperint interrogationibus; contra 2) rei, ſub- 42.
dola & ambigua reſponſione, nec non ea, quæ antea confeſſi fuerint ſine teſtibus, poſtea vel ſimpliciter vel certo modo negando, in maximum plus petitionis periculum deduxerint; vel etiam 3) ſponte interrogantes, allegataque falſa obliga- 43.
tione, ad agendum, quaſi ex conceſſis, induxerint actores; velut ſi is, qui ex ſemiſſe tantum hæres erat, interrogabat actorem: nonne tibi a Titio, cujus ego ſum hæres, debentur centum; ex quo in ſolidum contra eum non agi poterat, quem abuſum probat ex *Senecæ Ep. 48*, ubi interrogatus in fraudem in- 45.
ductus dicitur, ut formula cecidiſſe videatur, quod non niſi de actore, qui ſolus formula cadere poterat, accipi juris ratio patitur. In eo vero antiquas illas interrogationes defeciſſe, quod nemo reſpondere coactus fuerit. His commotum Prætorem, Edictum de interrogationibus propoſuiſſe, quo abuſus illos omnes, per ea, quæ traduntur in *L. 6 §. 1, L. 11 §. 7, L. 9 π. b. t.* inhibuerit, defectum antiquarum interrogationum per poenam in non reſpondentes ſtatutam, ſuppleverit, nec non easdem in judicio fieri juſſerit. De illis igitur antiquis extrajudicialibus interrogationibus, indeque enatis interroga- 51.
toriis actionibus, quippe quæ introducto pinguiore remedio poſt Edictum Prætoris haud dubie neglectæ fuerint, accipi *Calliſtrati* verba in *L. 1* vult, provocatque ad ipſam rationem adjectam: *quia nemo cogitur ante Judicium*, i. e. ut ipſe 52.
explicat, antequam in jus ad judicem eatur, *de jure ſuo reſpondere*, nec non ad verba ſequentia, quibus novas interrogatorias actiones ex Edicto iis opponi putat: *Sed tantummodo ad probationes litigatoribus ſufficiunt ea, quæ ab adverſa parte expreſſa fuerint apud Judices*; at judiciales & Edicto ordinatas interrogationes in cenſum abolitarum minime patitur referri. Ceterum *Capite V* reliquisque ad *X* usque ſequentibus ipſa verba Edicti ſeorſum illuſtrat. Denique *Capite XI* de fatis harum interrogationum differit, de- 163.
fen-

senditque, illas subinde in desuetudinem abiisse, verum id neque ad tempora Diocletiani & Maximiani, quibus pedanei judices sublati male vulgo credantur, neque ad Theodosii & Valentiniani, a quibus, licet formulæ & impetrationes foro pulsæ concederentur, tamen ipsæ actiones toleratæ fuerint, referendum esse, sed, cum ob pœnam plus petitio-
p. 170. nis, quæ in amissione causæ consistebat, necessariæ fuerint interrogationes, has vero in plus petitionibus tempore Zeno *L. 1 C. de plus pet.* in reliquis, quæ loco, causa & re, contigerint, Justinianus demum *L. 2. C. eod.* abrogaverit, interrogatorias quoque actiones partim Zenonis, partim Justinia-
171. ni post Constitutiones demum evanuisse. Nihilominus tamen & ex eo tempore interrogationes, ob aliam plus petitionis pœnam, quæ in locum prioris successerit *§. 33 J. de Action.* domi factas adhuc fuisse, colligit. Quæ omnia egregias animi dotes, multamque eruditionem Cl. Autoris abunde produnt, quibus & illud adscribimus, quod bis, nempe
34. 64. *Capite III* & *Capite V*, forte non sine omine, sententias, sibimet ipsi alio tempore probatas, repudiaverit.

JOSEPH POZZI, JAC. FIL. PROFESSOris Bononiensis, & Academiæ Scientiarum instituti Sodalis, Orationes duæ; quibus accedit Epistolare Anatomicum Commentariolum.

Bononiæ, apud Lælium a Vulpe, 1732, 4.

Pl. 12.

CL. hujus Operis Autor publicam iterum Anatomen in Theatro Bononiensi suscipere jussus, ejusdem auspicia more recepto solenni fecerat Oratione, ibidemque toti labori coronidem sermone eleganti imposuerat. Nihil vero minus sibi in mentem venisse fatetur, quam ut typis evulgandas censeret, eo tamen rem esse deductam, ut se inscio a Viris, quorum autoritati repugnare nefas duxerit, typographo imprimendæ traderentur binæ hæ Orationes. Qua re com-

Digitized by Google

commotus, cum parum, quod ad rem Anatomicam illuſtrandam faceret, hiſce contineri putaret, varias Obſervationes Anatomicas, in Epiſtola, ad *Petrum Paulum Molinelli*, itidem Bononienſis ſcientiarum Inſtituti Sodalem, in Gallia jam commorantem, directa, cum eruditis communicandas, hisque adjiciendas duxit. Priori Oratione confluentem undique concionem ad venerandam Numinis ſapientiam providentiamque ex naturæ operum conſideratione excitaturus, maſculo dicendi genere miranda in illis perſequitur: inſana illorum ſomnia, qui ex fortuito atomorum concurſu totum hoc univerſum eſſe productum nugantur, quam parum ſibi conſtent, docet; mirandam piſcium, qui in aquis habitare debebant, ſtructuram, diverſam ab hac, non minori tamen artificio conſpicuam, avium, quæ per aerem ferri debebant, fabricam, ſingularem, quæ hæc omnia ita diſpoſuerit, loqui ſapientiam, oſtendit; neque tamen conſtare hæc ſibi poſſe, niſi provida omnipotentis cura omnia conſervet, evincit: inprimis tamen, hominis ortum, corporis formam, mirabilemque diſpoſitionem accuratius intuentes de ſapiente autore benignoque conſervatore dubitare non poſſe, ſperat, atque ad hæc ſolenniter ſecum luſtranda Auditores invitat. Altera Oratione provinciam ſibi impoſitam deponens, laboresque Anatomicos ob ætatem ingraveſcentem aliis relinquens, monita quædam, ad Anatomes ſtudium perficiendum ſpectantia, Auditoribus ſuis graviter inculcat. Ante omnia tædium illud, quo plerique veterum ſcripta aſpernantur, removere, &, quam multa in illis egregia contineantur, docere laborat, quibus prius volutatis, cum fructu ad recentiorum tradita cognoſcenda progredi queant. Quod ſi vero eo ſe perveniſſe putent, ut & ipſi ſcriptis inclareſcere ſe poſſe confidant, ab illo aliquorum more cavere jubet, qui ſoli duntaxat ſermonis elegantiæ nimis ſtudentes, multis pauca admodum dicant, & levem aliquam nulliusque momenti obſervationem amplo dicendi genere exornatam avidis lectoribus exhibeant; quibus autor potius eſt, ut a præmaturo ſcribendi pruritu ſibi caventes, largam prius obſervationum copiam comparare, & deinde merces

ſuas ornate exponere ſtudeant, omniumque expectent applauſum. Multo vero magis in ſuſcipiendo Critici munere cautos eſſe vult ſuos, quanta, antequam aliorum convellere liceat ſententiam, in Anatomicis præſertim ſolicitudo adhibenda ſit, oſtendens, ſi vero rectiora ſe vidiſſe perſuaſum ſit ipſis modeſtiam tamen, raram illam in Criticis virtutem, ſtudioſe ſervandam docet, denique, etſi publico Anatomici munere decedat, nunquam tamen, donec ſpiritum trahat, illorum ſe commodis defuturum, ſpondet, imo vero ſingulari liberalitatis genere corpus ſuum poſt fata in eodem Theatro diſſecandum in uſus eorum offert. Sed videamus etiam, quid vivus adhuc, in ſubjuncta Epiſtola, ad ampliandam ſcientiam Anatomicam contulerit. *P. 52* de pilorum cavitate agit, eosdemque canalium in modum ab uno extremo ad alterum patere, atque in exteriori quoque ſuperficie cribri in modum perforatos unctuoſam perſpirare materiem, docet. Ungues ſubnaſci a muſculorum tendinibus, per extrema digitorum internodia diffuſis, variis experimentis *p. 55* evincit. Inde ad glandulæ thymi, quæ in fœtu ſuum habere uſum videtur, minus vero in adulto, conſiderationem ſe convertit, de cujus ſtructura hæc ſibi obſervata *p. 58* commemorat: ſcilicet, ſi thymus vitulinus, maceratione emollitus, lobo ejus quodam tunicis denudato perforetur, exire primo humorem albicantem lacti ſimilem, quo evacuato, immiſſo inciſuræ tubulo totam ejus ſubſtantiam, aere ex uno lobulo in alterum transeunte, inflari, ſicque celluloſam thymi ſtructuram pateſcere; ſique ita tumidus exſiccetur thymus, intra cellulas fibrillas obſervari carneas, ad firmitatem & motum thymi inſervientes, notat. Ex qua ſtructura hunc veluti pulmonem ſuccenturiatum in infantibus conſiderat. Cum enim pulmones in homine nato craſſum ſubigant ſanguinem, hoc, pulmonibus in fœtu quieſcentibus, optime per hanc glandulam ſuppleri poſſe, credit. Etſi enim placentæ forte vaſa huic fini deſtinata videri queant, dubium tamen adhuc eſſe monet *p. 63*, num re vera ſanguis a matre ad fœtum tranſeat, illud minimum manifeſtum eſſe, quod lentiſſimo motu per vaſa placentæ

centæ tranſeat, quodcunque per ea feratur fluidum, nova hinc ſubactione attenuandum. A thymo itaque quaſi a mamilla ſecerni humorem chyloſum, lacti æmulum, qui deinde ad ductum thoracicum derivetur, concludit. Plures dein Obſervationes ad ſtabiliendas in liene, pericardio, hepate, glandulas, a ſubjectis morboſis deſumtas, recenſet, quæ etſi dubiæ propterea videri queant, quod a ſtatu præternaturali ad naturalem tuto concludere non liceat, Autor tamen *p. 68* defendit, morbum hic aliud nihil agere, quam ut partium formam augeat, non vero ſtructuram mutet, ex cujus magnitudinis incremento diſtinctior & apertior naturæ ratio eluceſcat. Phænomena, in cane, cui tenello lien exciſus erat, ſecto occurrentia, *p. 72* recenſet. Nimirum jecur, mole pondereque adauctum, friabile admodum comparuiſſe, venam portæ ad hepar tendentem ampliorem redditam, cyſtidem felleam bilis multo majori, quam in aliis, quantitate repletam, quæ & colore & conſiſtentia & ſapore magis, quam fieri alias ſolet, ſaturata videbatur, ex quibus hunc lienis uſum deducit, quod humore ſalivali ibidem ſecreto ad bilem ſubdulcem reddendam conducat. Alia nonnulla experimenta, quibus, an ſanguis ſit cauſa motus muſcularis, an in animalibus volatilibus humores oculorum omnes exemti reparentur, an cerebrum humanum reliquorum animantium cerebra magnitudine ſuperet, diſquiritur, ex ipſo cognoviſſe Autore non injucundum Lectoribus fore ſperamus.

OBSERVATIONS MATHEMATIQUES, ASTRONOMIQUES &c.

h. e.

OBSERVATIONES MATHEMATICÆ, Aſtronomicæ, Geographicæ, Chronologicæ & Phyſicæ, ex antiquis Sinarum libris excerptæ, vel recentius in India, China, & alibi, a Patribus Societatis Jeſu factæ, in ordinem redactæ & publicatæ a P. STE-

PHANO SOUCIET, ex eadem Societate.

Tomus III;

Continens Tractatum de Aſtronomia Sinenſi, Autore P. GAUBIL, ex eadem Societate.

Pariſiis, apud Rollinum Patrem, 1732, 4.
Alph. 2 pl. 1 Tabb. æn. 3.

DE Hiſtoria Aſtronomiæ Sinenſis, quam labore maximo conſcripſit R. P. *Gaubil*, diximus in *Actis Anni* ſuperioris *p. 371;* nunc vero videamus, quænam idem ad ſcientiam Aſtronomicam ſpectantia ex libris Sinarum excerpſerit & in ordinem redegerit. Dividit Tractatum in duas Partes, & Partem poſteriorem ſubdividit in quatuor Sectiones. Parte prima tradit ea, quæ ad Aſtronomiam Sinarum ſpectant, qualis ea a primis Monarchiæ Seculis usque ad annum 206 ante Chriſtum fuit; ſecunda vero ea declarat, quæ ad Aſtronomiam ab anno 206 ante Chriſtum usque ad Seculum quartum pertinent. Et Sectione quidem prima Partis poſterioris explicatur menſura temporis Sinis uſitata, & gradus ipſorum reducuntur ad Europæos. Sectione ſecunda traditur methodus computandi eclipſes Solis ac Lunæ, qua uſi ſunt Sinæ; tertia vero ipſorum methodus computandi loca planetarum tam ſuperiorum, quam inferiorum. Ultima denique exhibetur Catalogus eclipſium ſolarium, in Hiſtoria Sinarum annotatarum, ab A. 709 ante Chriſtum usque ad annum 1621 poſt Chriſtum natum. Subjiciuntur Obſervationes nonnullæ eclipſium lunarium ab anno ante C. 436 usque ad annum poſt C. 1631. Sed noſtrum eſt, ſpecialiora quædam delibare. Quicquid Aſtronomiæ antiquiſſimæ a primis Monarchiæ Seculis usque ad A. 206 ante Chriſtum natum extat, in libris claſſicis, *Y-King*, *Chou-King*, *Chi-King*, *Tchun-tſieou*, & aliis quibusdam libris antiquis conſervata fuere. Quædam etiam in Annalibus huc ſpectantia occurrunt. Quæ in libro *Y-King*, cujus Autor *Fou-hi* eſt, imperii Sinenſis fundator, occurrunt, nonniſi ænigmata ſunt, quæ ex traditione de Aſtronomia accipiun-

cipiuntur, ſed quorum nulla Sinis eſt certa interpretatio. In libro *Chou-King* reperiuntur, quæ *Yao* Imperator Aſtronomos *Hi* & *Ho* docuit. Juſſit conſcribi calendaria & in iis annotari loca planetarum atque eclipſes una cum ingreſſu aſtrorum in ſigna Zodiacalia. Agnovit jam illo tempore æquinoctia æqualitate dierum & noctium, ſolſtitia longiſſimo & breviſſimo die diſtingui, &, quod majus eſt, ex ortu ſtellarum. Idem quoque quantitatem anni ſolaris agnovit 365 dierum, 6 horarum, ut quartus quisque ſit 366 dierum, & per intercalationem annum lunarem cum ſolari in concordiam reduxit. Notabilis eſt eclipſis, quæ A. 2155 ante Chriſtum in China ſupputata, & calculo convenienter obſervata fuit. Monet Autor, ſe peculiarem de hac eclipſi Diſſertationem conſcripſiſſe, & evincit, quod *Yao* 2100 annos ante Chriſtum regnaverit. In libro *Chi-King* generalia occurrunt, ex quibus doctrinam Aſtronomicam, quæ iſto tempore fuerit, cognoveris. In libro *Tchun-tſieou* plures occurrunt eclipſes Solis; ſed ex iis apparet, quod tunc temporis calculus eclipſium nondum fuerit ſatis exactus. A. 525 ante Chriſtum apparuit Cometa in Scorpione, inde per viam lacteam progreſſus hiberno tempore, obſervati quoque fuere tranſitus ſtellarum per Meridianum. In Capite *Yue-ling*, quod eſt libri claſſici *Li-Ki*, loca Solis & tranſitus per Meridianum admodum exacte annotantur. Ex Dictionario *Eul-Ya* apparet, temporibus *Yao* Jovi tributum eſſe motum revolutionis 12 annorum. In libro *Tcheou-li*, qui de variis conſuetudinibus & cerimoniis in imperio receptis agit, varia de Aſtrologia judiciaria occurrunt. Multa quoque præcipiuntur de uſu Gnomonis in metienda umbra Solis & obſervanda ſtella polari. Clepſydra deſcribitur in uſum nocturnum lampadibus accenſis illuminata, aqua in vaſe concavo collecta in fine cujuslibet horæ ad datam altitudinem conſiſtente. Docetur modus inveniendi lineam meridianam. Ex libro *Tcheou-Pey* addiſcimus, theorema, quod nobis *Pythagoricum* dicitur, Sinis innotuiſſe ultra mille annos ante, quam Græcis. Etſi Sinæ diviſionem circuli in 360° & gradus in 60′ jam ultra ter mille

abhinc annis cognoverint; eandem tamen tum demum una cum divisione diei Europæis usitata receperunt, cum *Adamus Schall*, e Societate Jesu, apud eos Missionarii munere fungeretur. Autor itaque docet modum gradus Sinarum reducendi ad Europæos, ut antiquæ ipsorum Observationes intelligantur. Explicat quoque modum reducendi tempus Sinarum ad Europæum. Sinæ nimirum gradum unum dicebant arcum Eclipticæ, quem Sol motu medio intervallo unius diei conficit. Supponit adeo Noster eclipticam divisam in $365^{\circ}\ 25'$ Sinarum, & gradui uni Sinarum tribuit $59'\ 8''\ 25'''\ 28''''$, quantus ipsi est motus medius diurnus. Diem dividebant Sinæ in 100 *ke*, ut adeo unum *ke* sit $14'\ 24''$, ast 50 *ke* præcise 12 horas adæquent. Explicat etiam Autor Constellationes Sinarum; quales per Sinarum Observationes exhibentur, una cum Epochis ad Astronomiam Sinicam intelligendam necessariis, quas a primo anno imperii *Yao* usque ad annum Christi 996 jussu Imperatoris examinatas exhibet. A nativitate *Confucii* usque ad A. C. 996 numerantur anni 545. & a primo anno *Yao* usque ad istum terminum anni 3325. Monet Autor, epocham nativitatis *Confucii* annis aliquot differre ab ea, quæ per eclipses satis certas determinatur: id quod & de aliis nonnullis epochis annotat. A. 2155 ante Christum natum Mathematicos jam aluit China, quibus demandatum fuerat eclipses Solis atque Lunæ calculari; sed, qua methodo fuerint usi, hodie non amplius constare, narrat Autor. Prima, quam exhibet, methodus ea est, qua ab anno ante Christum 206 usque ad annum Christi 206 Sinæ fuerunt usi. Succedit altera, quam usurparunt ab A. C. 206 usque ad initium Seculi sexti. Eam excipiunt ceteræ, quæ obtinuere a fine seculi decimi quinti usque ad adventum Jesuitarum in Chinam. De singulis specialiora præferre, loci commoditas non patitur. A temporibus primorum Imperatorum ex familia *Han* usque ad adventum Jesuitarum ad computanda planetarum quinque loca eadem constanter methodo usi sunt Sinæ. Prima eclipsium solarium, quam Autor in Catalogo suo exhibet, incidit in annum ante Christum 709, quemadmo-

modum supra notavimus. Observata fuit d. 17 Julii Luminaribus in 16° 2' vel 3' ♋ existentibus. Locus nodi erat 22° 16' 19" ♉. A. 549 a. C. d. 19 Jun. eclipsis fuit totalis cum mora. Locus ☉ erat 20° 19' ♊. Eclipses ab A. 709 usque ad A. 481 ante Christum enarrat *Confucius*, qui A. 551 ante C. natus, & A. 479 mortuus, plures ipsemet observavit. A. 181 d. 5 Mart. ante Christum eclipsis itidem totalis observata, nec non A. C. 2 & A. 119, quo stellæ in totali obscuratione visæ leguntur; id quod etiam annotatur de eclipsi anni 429, nec non de alia A. 1275. Cum A. 1292 ipso anni initio eclipsis observaretur, *Cobilay* Imperator neminem de ingressu in novum annum gratulaturum ad se admisit. Ceterum notandum, plures adhuc promitti ab Editore hujus Operis Tomos, posthac edendos.

JOANNIS PHILIPPI BREYNII, MED. D. Corrigenda quædam & emendanda, circa generationem Insecti, quod in edita a se, anno proxime elapso, Historia ejus Naturali, recensita in Transactionibus Philosophicis N. 421, Actis Eruditorum A. 1731 p. 406 & seq. & Commercio Liter. Physic. Technic. Medico A. 1731 p. 413 & seq. Coccum radicum salutavit.

VAllisnerii mei, Viri sane immortalis memoriæ, effatum: *La verita pare, per un certo destino, voler sempre lasciassi vedere a poco a poco, quasi anch' essa suiluppandosi da tanti veli, che la tengano congelosia ricoperta*, * non minus verum esse, quam elegans, &, quam facile in generationis Insectorum observatione & inquisitione, minutorum præsertim, falli possimus & fallere, non alii tantum, sed ipse quoque non ita pridem adhuc expertus sum. In emissa enim nuperrime *Cocci radicum Naturali Historia* mea, post sæpius repetitas observationes & experimenta (*pag.* inprimis *16* & *17*) generationem

* In Præfatione *dell' Istoria della grana del Kermes, communicata dal Sig. Diacinto Cestoni*.

tionem & metamorphosin Insecti illius, quod sub grani sphærici specie Polygoni summis radicibus adhærere solet, & Coccum Polonicum vulgo salutatur, describens, postquam, parvas illas muscas, quæ sæpe inter Cocca inveniuntur (*Fig. a* & *b* expressas, ac *p. 17* & *18* descriptas,) proprie non ad Cocca pertinere, sed potius vermiculis sui generis (*Fig. c, d*, delineatis) ortum debere, & casu una cum Coccis reperiri, conjectatus, nullamque inter Vermes Coccorum expertus sexus differentiam, *Cestoni* præprimis de Cocco ex Ilice secutus sententiam, (repugnante quamvis, quod candide fateor, & fluctuante animo,) Coccum quoque nostrum Insectum androgynum, quod ova in & a se ipso, sine maris adminiculo, fœcundata parit, & genus suum propagat, statuere ausus sum.

In hac vero sententia me errasse, subsequente æstate edoctus, hacque labente non sine gaudio confirmatus sum, Ut enim veritatis eatenus ignotæ detectio animo veritatis cupido non levem excitat voluptatem, ita eandem cum erroris, in quo hactenus versatus fuit, agnitione & abolitione conjunctam, necessario longe majorem creare debere, nullus negabit, opinor.

Post repetitas enim summa ἀκριβείᾳ observationes, & rigorosius institutum examen, tandem deprehendi, ex Coccis minoribus, quæ scilicet seminis Papaveris, vel Milii, magnitudinem vix excedunt, exeunte Junio Mense prodire vermes, illis, *Fig. 11* & *14* expressis, quoad omnia similes, magnitudine excepta, qua pediculos vulgares vix superant. Hi circa initium Mensis Julii subsequentis quieti, nunc lanugine candida, sed levissime, tecti, nunc vero sine omni lanugine subtilissimis exuviis depositis abeunt in Nymphas purpureas, motus, ut videtur, expertes, ejusdem fere cum vermibus, ex quibus fiunt, magnitudinis, sed pauxillum tenuiores. Nymphæ hæ capitis antennis, thoracis alis & cruribus muniti, ventrisque multis circulis distincti, oculo inprimis lente optica armato, vestigia haud obscura ostendunt, & immotæ ad medium circiter Julii usque permanent, ubi, depositis iterum subtilibus exuviis, perfectæ evadunt muscæ, *Fig. a* & *b* a me depictæ.

Digitized by Google

pictæ. Et hæ ipsæ muscæ sunt mares Coccorum, qui saltantes, aere inprimis calidiore existente, circa meridiem salaces hilaresque, adscendunt vermes femellas (*Fig. 11*), podicibus suis femellarum podices tangunt, atque adeo procul omni dubio earum ova, quæ continent, fœcundant; quibus peractis, muscæ moriuntur. Vermes vero femellæ, quæ ex Coccis majoribus piperis albi circiter magnitudine (*Fig. 9*) circa medium Julii prodeunt, hac ratione impraegnatæ, post paucos dies se dant quieti, & copiosa lanugine tecti (*Fig. 17, 18*), brevi post sensim ova (*Fig. 2, 3*), in acervum, interne in lanugine latentem, collecta, (*Fig. 19*) emittunt.

Et hoc quidem se ita, ut modo dixi, habere, ex plurimis observationibus circa, Cocca, tam singularia, quam plura, conjunctim in vitris asservata, didici; ubi annotavi, vermes femellas, quibus nullæ muscæ fuere additæ, vel vixisse & prorupisse, languentes quamvis, ad finem usque Augusti mensis, tumque levi situ quasi obductas exspirasse tandem; vel, si una alterave maturius lanugine copiosiori tegebatur, eam ova tamen nulla, non magis, quam jamjam dictæ, peperisse. Aliæ vero, quæ cum muscis per diem unum vel alterum in consortio vixerant, cito lana tectæ, ova, ut supra docui, ediderunt admodum copiosa.

Præterea hoc quoque minime prætereundum videtur, insectum hoc, quacunque sub forma se sistat, grani scilicet, vel Vermis maris, vel Nymphæ, vel Muscæ, vel Vermis femellæ, vel ovi, vel vermiculi ex ovo prodeuntis, compressum & contritum purpuream constanter fundere saniem; quæ vero copiosissima observatur in Coccis & Vermibus, præsertim femellis.

Ordo itaque transmutationis, vel, ut rectius dicam, evolutionis, ut hactenus dicta in compendium colligam, Cocci nostri sequens est, & quidem

A. *Maris.*	B. *Feminæ.*
1. Ovum.	1. Ovum.

Ova pariuntur circa finem Julii & initium Augusti.

2. Ver-

2. Vermiculus hexapus non alatus.	2. Vermiculus hexapus non alatus.
Vermiculi ex ovis excluduntur circa medium Augusti, ad usque initium Septembris.	
3. Granum sphæricum minus. Coccum scilicet, stricte ita dictum, magnitudine seminis papaveris circiter, ad usque milii, collectum a 9 Junii ad solstitium usque æstivum, cum aliis Coccis majoribus.	3. Granum sphæricum majus; sive Coccum magnitudine seminis viciæ, ad usque piperis albi, quod colligitur a medio Junii ad medium Julii circiter.
4. Vermis hexapus, non alatus, major. Prodit ex Cocco supra memorato a solstitio æstivo ad medium Julii usque.	4. Vermis hexapus non alatus, major. Femina scilicet prodiens ineunte Julio & præsertim circa medium ejusdem mensis; quæ a musca mare *n. 6* fœcundata ova *n. 1* parit.
5. Nympha, quæ apparet circa Julii initium & diebus sequentibus.	
6. Musca, mas, prodiens a medio Julii ad usque 24 ejusdem, qui vermem feminam *n. 4* notatam fœcundat.	

Hæc pro hoc tempore ad meæ *Cocci Historiolæ* correctionem & emendationem sufficiant, donec in Parte ejus altera, quæ de ejus examine Chemico, & usu, tam tinctorio, quam medico, aget, hæc fusius explicata & figuris illustrata compareant. Liceat vero interim hac occasione sequens naturæ mystis, nec injucundum, nec inutile, difficile quamvis solutu, proponere *Problema Physicum*:

An indubitate demonstrari possit, in rerum natura genus aliquod animalium vere androgynum i.e. quod sine adminiculo maris sui generis, ova in & a se ipso fœcundata parere, adeoque solum ex & a se ipso genus suum propagare possit?

Ejus-

Digitized by Google

Ejusmodi genus animalium dari non posse, a priore, neque ex principio contradictionis, neque insufficientis rationis, demonstrari posse, puto. Immo e contrario multum probabile videtur ex eo, quod natura in animalium generatione non semper sibi similis sit, nec eadem ubique procedat via; & præterea inter Vegetabilia, postquam jam paucis abhinc annis partes eorum generationi inservientes, masculinæ æque ac femininæ, detectæ sunt, observetur, quædam sexu plane distincta esse, quædam vero partes masculinas a femininis in eodem individuo, loco tantum a se invicem distinctas, habere; longe plurima vero (contrario modo, ac in animali, ut vocant, regno fieri solet,) esse androgyna, i. e. quæ in eodem flore partes generationi inservientes, masculinas & femininas, una possident.

Interim tamen genus animalium ejusmodi androgynum, licet a multis iisque primi ordinis naturæ consultis statuatur, a nemine tamen, quod equidem sciam, ita demonstratum fuit, ut non multa, eaque haud levia, ei possint objici dubia.

CHRISTIANI FALSTERI AMOENITATES Philologicæ.

Tomus I & II.

Amstel. ap. Adrianum Wor & hæredes Onder de Linden, 1731, 8.
T. I pl. 15, T. II pl. 18.

Diu est, quod Vir Cl. de *Gellio* bene mereri cœpit, ampliusque is de eo meriturus erat, si, qui prolixis ejus in Noctes Atticas Commentariis edendis sumtus suppeditare velit, invenire posset. Quæ felicitas cum ei nondum contigerit, imitatorem certe ejus agere voluit; quod quam feliciter ipsi cesserit, hoc Opusculum facile declarat. Sermonum libro titulum fecerat, cui illum, qui nunc apparet, substituit *Havercampius*, quod Viro Cl. videtur, vel ipse Bibliopola. Vid. *Præf.* Continet autem uterque Tomus varias ex T. II. variis disciplinis, sed antiquitate inprimis, petitas observationes, Cl. Viro occasione variorum colloquiorum subnatas, easque valde jucundas, & eruditas plerasque, nisi quod, quæ

ad Philoſophiam ſpectant, his cedere videntur, quas ex humaniorum literarum campo deſumſit.

T. I n. 9 Democrito ſententiam de reſurrectione mortuorum aſſerere poſt *Huetium* aliosque conatur, iis fretus veterum teſtimoniis, quibus jam diu *Clericus* in *Indice ad Stanlejum* uſus eſt. Sed, cum ſint, qui his locis non confici, quod nonnullis placet, exiſtimant, ex quibus S. Rev. *Fabricium* nominaſſe ſuffecerit; bene facturus Vir Cl. erat, ſi ea ab horum dubiis, ſi quidem fieri poteſt, liberaſſet. *N. 10* de illuſtribus in Republica ſpuriis tractat, quibus & eos admiſcere Autori placuit, quos ſpurios eſſe ſuſpicio, quantumvis incerta, fuit. *N. 24* Trajanum a tyrannidis in Chriſtianos ipſi vulgo objici ſolitæ crimine defendit. In dubium vocat Edictum, quod ei tribuitur, de conquirendis Chriſtianis, & Hiſtoriam de *Ignatio, Euſebio Hiſt. Eccl. III, 36*, memoratam. *N. 26* Indicem errorum *Lactantii* in Theologia exhibet. *N. 29* de ſpectris agit. Rejectis autem variis variorum & Philoſophorum & Theologorum ſententiis, ab utriusque generis angelis inopinata illa prodigia proficiſci ſtatuit, quæ auribus oculisque noſtris accidunt, vel quorundam certe accidiſſe feruntur. Quod ſi igitur e. g. homini vivo ſpecies ſui ipſius offeratur, dicere ſe, ait, ſolere: ὁ ἄγγελος αὐτῶ ἐστίν. Eam vero, quæ Sauli oculis oblata eſt, ſpeciem Samuelis angelum fuiſſe putat. *N. 18* de precibus Ethnicorum diſputans, βαττολογίαν *Matth. VI, 7*, reprehenſam eſſe, quas *Plinius* junior accuratas adorantium preces & meditatum carmen appellat; πολυλογίαν autem reprehendi, non quod multum precari ſueviſſent gentiles, ſed quod multa. In quo omnino Virum Cl. fugit ratio. Ut enim veterum conſenſum in interpretando βαττολογίας vocabulo, & cognitas ſatis gentilium tavtologicas precationum formulas taceamus; precum a Chriſto l. c. præſcripta formula, gentilium precibus oppoſita, jure accuratarum precum & meditati carminis nomen meretur, nec, qui ea utuntur, multum quidem, ſed multa certe, precari videntur. Lectu vero non indigna ſunt, quæ *n. 34* orphanotrophii Halenſis nimio admiratori,

ratori, antiquitatemque hujus instituti neganti, ad evincendam eam ex *Platone, Diogene Laërtio*, Codice Theodosiano, Inscriptionibus *Gruteri*, *Spartiano, Capitolino, Lampridio*, opponuntur. Sacerdotes apud nos adeo humilem honoris gradum tenere, *n. 41* queritur, quod quam valde a Judæorum veterum & Romanorum consuetudine abhorreat, ostendit. Carnificum peculiarem apud Romanos ordinem non fuisse, *n. 43* docetur, sed milites, lictores, Triumviros capitales, id muneris genus diu exercuisse. Tales lictores interpretatur ῥαβδέχες *Act. XVI.* Apud Judæos autem testium negotium fuisse. *N. 47*, qui de Antiquitatibus novis inscribitur, quendam fuisse dicit, qui ex Paraphrasi Chaldaica *Gen. II, 24*, idcirco derelinquet vir cubiculum patris & matris, collegerit, olim in more apud Ebræos fuisse, ut virgines & juvenes, quo arctiori pudicitiæ custodia continerentur, in cubiculo parentum dormitarent. Ipse autem locum *Luc. XI, 7*, ob vocem παιδία huc trahi non posse ait, forte vero illum *Phædri L. III Fab. 10 v. 21 seq.* Acetum, cujus in historia mortis Christi mentio fit, poscam fuisse, militarique usui destinatum potum, statuit. Ceterum, innatas alias, alias illatas esse Autoribus antiquitates, monstrat, sæpeque fucum imprudentibus fieri a Criticis solere. *N. 53* remedia veterum incendiaria Vir Cl. recenset, alumen, humidas pelles, acetum; item apparatum contra incendia, custodes, porticus ante insulas & domos Neronis sumtu Romæ extructas, Collegium fabrorum; instrumenta porro, siphones, hamos, formiones, scalas, centones; denique etiam superstitiosa adduntur. P. 69 Gallici sermonis luem totam Septentrionem infestare queritur, & p. 160 Polemicæ Theologiæ nomen parum pium esse putat. *T. II n. 11* valde jucundum lectu colloquium, cum Lipsiensi, nescio quo, de Philologi Bibliotheca habitum, enarrat, qui in Bibliothecam Viri Cl. deductus, *Thesauros Grævii & Gronovii* desideraverat, nullamque sine his esse Philologi Bibliothecam putaverat. Haud præclare de his Vir Cl. sentit, nec adeo magno eorum desiderio se teneri dicit, etsi ipsis libenter locum in Bibliotheca sua daturus sit, si forte de cœlo delabe-

 rentur.

rentur. Parasitorum dapes vocat & alvearia furtivum fucis nutrimentum præbentia; id quod verissimum est. Pauci enim nunc severa lege proficere volunt &, qui vix *Nepotem* aut *Cæsarem* intelligunt, in hos Thesauros involant, eosdemque ubique crepant, & his veluti pavonibus detractis pennis se instar graculorum exornant. *N. 16* Lanificii magnum apud veteres honorem fuisse docet, illique illustrissimam quamque feminam operam dedisse, primum autem virorum etiam negotium fuisse. *N. 22* de antiquo nominis honore tractans, primo loco ex *Plutarcho Qu. Rom. LXI* refert, nomen Dei tutelaris occultatum studiose apud Romanos fuisse, Valeriumque Soranum capitis luisse pœnam, qui id temere propalaverit; id quod quidem alii de nomine urbis sacro tradunt, *Plinium Hist. Nat. III, 5*, secuti, sed *Plutarchi* potissimum habendam esse rationem docuit, & discrepantes Autorum narrationes de hac re *Bælius* in *Lexic. v. Soranus* feliciter conciliavit inter se. Ex *Livii* autem verbis *L. I Cap. 2* de Ænea: *Situs est, quemcunque eum dici jus fasque est, super Numitium flumen: Jovem Indigetem appellant*; cum *Nannio Misc. V, 3, T. I Lampad. Gruter.* colligit, sanctiora habita fuisse post consecrationem in a heroibus nomina, quam ut in vulgus ederentur. *N. 28* exhibet Indicem Græcorum veterum latine eruditorum, de quibus *Allatius* librum molitus esse dicitur. His vero, de quibus nulla lis moveri potest, addit quosdam, de quibus adhuc certant eruditi, atque inter hos etiam, quod mirandum est, *Irenæum*. Quæ enim huic a *Fevardentio*, *Huetio*que, tribuitur, versio Operum ejus Latina alius sine dubio Autoris est, & post *Tertulliani* tempora scripta, ut multi Criticorum recentiorum observarunt. Quæ autem *n. 30* de civilibus priscæ reverentiæ & urbanitatis officiis in vita communi disseruntur, digna omnino sunt, quæ legantur. Mirum enim est, quantum ex illis, nostros in hoc genere mores priscis Romanorum valde similes esse, appareat. *N. 32* vero, qui de suspendio honorifico inscribitur, sine dubio de suspendio honorifico mortuorum inscribi debebat. Vivorum enim honorificum fuisse unquam suspendium

vix

Digitized by Google

vix invenias, nisi illud huc trahere velis, quod de Derbiccis tradit *Ælianus Var. Hist. IV, 1.* Occupavit autem ex parte, quæ a Viro Cl. allata in hanc rem sunt, Ill. *Cuperus Observ I, 7,* qui & egregium ex *Apollonii Rhodii L. III v. 200 seq.* locum affert, quo id, quod *Cuperus* de Colchis ex *Æliano,* Vir Cl. autem ex *Damasceno* affert, viris tantum factum esse, probatur. Quod si vero dicendum, quod res est, haud sane, honorificum suspendium esse, propterea putandum est, quod moribus populi cujusdam non repugnat; nam, quod usu receptum est, non statim est idem honorificum. *P. 220 Nepotem* emendat. Locus est in *Alcib. Cap. 5: Eumolpidas sacerdotes, Nepos* ait, *esse coactos* &c. Scilicet Eumolpidas *Nepotem* genere virili appellare; nemini autem dubium esse posse, quin Eumolpidæ feminæ fuerint. Namque *Plutarchum Qu. Rom. 44,* ἐπηνέθη, dicere, Ἀθήνησιν ἡ ἱέρεια μὴ θελήσασα καταράσασθαι τῷ Ἀλκιβιάδῃ τοῦ δήμου κελεύοντος. Addit, luculentum ejus rei testimonium apud *Pausaniam* occurrere. Sed non conficitur his locis, quod Viro Cl. videtur. Nam 1) dubitari potest, num ἱέρεια, de qua *Plutarchus,* inter Eumolpidas pertineat; 2) *Pausanias* nil de Eumolpi filiabus dicit, sed de Celei tantum. Non autem, nisi unum, illi superfuisse filium, ait, Cerycem, a quo Ceryces. Quod ad rem ipsam spectat, 3) omnes alii scriptores Eumolpidas genere virili appellant, *Cic. de Leg. II, 14, Diodorus Sic. p. 368 ed. Steph. Scholiastes Sophoclis ad Oedipum Colon. & Hesych.* quorum posteriorum duorum loca v. ap. *Menagium ad Laert. p. 5.* 4) Falsum est, quod Vir Cl. dicit, feminarum ista initia fuisse. Sine dubio Thesmophoria cum Eleusiniis mysteriis confundit, quod multis etiam veterum solenne, ut notatum meminimus *Salmasio ad Solinum.* Illa feminarum, hæc virorum, initia fuerunt. Et multi Cereris sacerdotes viri veteribus laudantur, v. c. Eumolpus ipse, Eurymedon & Demophilus, qui *Aristotelem* impietatis accusarunt. Vid. *Laertium L. V. f. 5.* 5) Eumolpidæ familiam constituerunt, ut Nebridæ, Homeridæ; & 6), si feminæ fuissent, Eumol-

Eumolpides, non Eumolpidæ, dicerentur, ut Prœtides a Prœto dicuntur, non Prœtidæ. *P. 225* lepidam actionem forensem insequit, quam rustici quidam in Cimbria contra mures, ipsorum agros vastantes, instituerunt. *P. 231*, se a pueritia digitale muliebre odisse, contra autem *p. 236*, felina voce, qua signum quoddam pugnæ datur, haud aliter ac suavissimo cantu affici, fatetur.

In vita *Aul. Gellii p. 259* defendit eum Vir Cl. a criminationibus *Lud. Vivis* & Cl. *Lilienthalii*, quorum ille *Gellium* rapsodum vocat, hic autem ei obscuritatem tituli exprobrat. *P. 261* Eruditorum de lemmatis Capitum opiniones enarrat, ipse autem eos sequitur, qui ea *Gellio* asserunt. *P. 263* veteres quasdam editiones recenset, *Gronovio*, *Crenio*, *Fabricio* & *Maittairio*, prætermissas, Bononiensem, 1503, f. Gryphianam, 1542, 8, quibus Codices MS. duos addit, Vindobonensem & Guelferbytanum.

D. JUN. JUVENALIS SATIRA XIV, CUM Interpretatione & Annotatiunculis & Versione Danica ligata, edita a CHRISTIANO FALSTERO.

Hafniæ, 1731, 4.
Pl. 6½.

Videtur Vir. Cl. hanc Satiram editurus eorum consilium sequi voluisse, qui Autores Latinos in usum Delphini ediderunt. Itaque primo loco eidem Interpretationem subjecit. Quod ut non improbamus, ita tamen nec illud dissimulandum putamus, cum multa, ut in aliis veterum libris, sic & in hac Satira, occurrant, quæ facillima sunt, & a tironibus etiam linguæ Latinæ intelligi possunt, inutile videri, talia interpretatione illustrare velle, magisque placere eorum institutum, qui non nisi difficillima quæque interpretantur. Interpretatio Viri Cl. certe exinde interdum aliquid labis traxisse videtur, quod eam perpetuam esse voluit. *V. 3,*

quæ

quæ monstrant ipsi pueris traduntque parentes, ita interpretatur: quorum semina ipsi parentes suapte manu in teneris juniorum animis serunt. *V. 39, ne crimina nostra sequantur ex nobis geniti*, ita reddit: ne proles nostra, quo insaniæ nos prolabi videt, eo quoque rapiatur. *V. 38, nec tu pueri contemseris annos*, interpretatur: ne pueri ætatulam negligas. Annotationes & Lectiones Var. paucæ sunt, nec magni momenti. De versione Danica, Danis sine dubio scripta, Dani judicent.

VITA JACOBI HENRICI ZERNECKII, Præconsulis Thorunienſis, scriptis fatorumque fama nobilitati, exposita a M. JOANNE BENJAMIN DRAGHEIM, Dantiscano.

Francof. & Lipsiæ, apud Georg. Marc. Knochium, 1733, 4.
Alph. 1 pl. 3.

Dignum se reperit in Cl. *Dragheimii* stilo commendatorem virtus amplissimi Viri, *Jacobi Henrici Zerneckii*, Præconsulis Thoruniensis meritissimi, quæ tum alias subinde, tum in funestis præcipue anni 1724 motibus, qui nobilissimam Porussiæ Polonicæ urbem, Thorunium, conquassarunt, enituit, neque intra patriæ amplius fines tantum cohibenda, ad exteros etiam late dimanavit. Nos quoque jam in his Commentariis posteritatis illam memoriæ consecrabimus, de illis potissimum soliciti futuri, quæ in eruditæ civitatis commodum sive scriptis sive exemplo præclara designavit nobilissimus *Zerneckius*.

Natus is fuit Thorunii A. 1672 die 18 Novembris, honesta gente, patre *Joanne*, civitatis Consule, matre *Christina Mælleria*. A teneris statim culturæ studiorum destinatus, illorum tirocinia in Gymnasio patrio sub doctoribus præstantissimis, *Paulo Hofmanno*, *Joanne Sartorio*, *Paulo Patre*, *Christophoro Hartknochio*, atque aliis, qui singulari singuli do-

doctrinæ meritorumque laude non Poruffis tantum fuis, fed literato orbi univerfo, celebrantur, feliciter pofuit, & a medio deinde anno 1692 in Lyceo Gedanenfi non impari fucceffu continuavit per biennium. Gavifus & hic magiftris optimis, præcipue tamen coluit & præceptorem & hofpitem, Theologum inclitum, *Samuelem Schelguigium*, cujus ductu fanctioris doctrinæ, quam profiteri olim conftitutum habebat, fundamenta fedulo comparavit. Mox ad altiora progreffus, Lipfiam adiit, hujusque Academiæ florentiffima tum nomina, *Chriftianum Weidlingium*, *Joannem Schmidium*, *Joannem Georgium Pritium*, &c. ftudiofiffime tres annos integros fectatus eft, donec Roftochium concederet, colophonem Academicis conatibus impofiturus. Dum vero hæc ftrenuus agit, præter exfpectationem graviffimæ caufæ fubnafcuntur, quibus inductus, communicatis prius cum Theologo fummo, *Joanne Fechtio*, confiliis, mutare ftudia, & prudentiam in pofterum Juris amplecti conftituit, poftquam antea eximium valde profectuum facrorum fpecimen edidiffet, confcripta proprio marte & publice propugnata Differtatione, *de Statu infantum a gentilibus progenitorum, cum in infantia decedunt.*

Ad latiffimum proinde Jurium campum eo melius atque citius emetiendum, hodegum fibi præcipuum elegit Conf. *Joannem Joachimum Schæpferum*, Profefforem Codicis apud Roftochienfes celebratiffimum. Brevi etiam temporis fpatio tum doctoris fide, tum propria induftria, tantum in hac difciplina confecutus eft, ut, habita itidem publice *de Milite defertore* Difputatione, communi omnium plaufu vale Mufis Academicis dicere potuerit; quo facto, literarium iter per Germaniam fuperiorem, Auftriam, Hungariam, Bohemiam, Saxoniam inferiorem, Daniam, Belgium, ipfamque adeo Angliam, fufcepit, magnisque prudentiæ ac omnigenæ doctrinæ ornamentis largiter inftructus, domum tandem, exantlatis uno pluribus vitæ periculis, per Dei gratiam, fofpes revertit.

Invenit propitia fortuna *Zerneckius* redux confeftim æquos ingenii fui æftimatores, ita, ut, cum proceres Thorunienfes

fes

ſes ipſius ad publica negotia dextre gerenda adverterent facultatem, & quaſi impetum, ſcribam ſibi ab epiſtolis ſecretioribus ſub finem A. 1699 conſtituerent. Hoc munere ornatus, varia reipublicæ cauſa cum laude expedivit, majoresque ſibi in dies ad honores iter faciliimum reddidit; quos & conſecutus eſt ex merito. Electus ſiquidem fuit A. 1706 Scabinus civitatis veteris, & poſt tres annos Conſenior, quem vocant, ejusdem Collegii; mox illius Senior A. 1712, ſequenti demum Conſul, tandemque A. 1729 Præconſul, qui ſummus in illa civitate ex magiſtratu gradus eſt, Præſidemque ſimul Senatus repræſentat. Quam bene hanc omnesque ceteras dignitates ſuſtinuerit Vir ampliſſimus, verecunde non minus, quam diſerte, expoſuit Cl. *Dragheimius*, quem jucunde etiam de rebus domeſticis varia commemorantem, Lectores, quorum hæc noſſe intereſt, libenter omnino inſpicient.

Intervertit autem brevi laudabiles iſtos de patria quam optime merendi conatus fortunæ inclementia; quæ variis antea caſibus, in laudatiſſimum *Zerneckium* excitatis, majori adhuc, immo maximo, ipſius capitis periculo tantum quaſi præluſit. Imminuit enimvero hoc illi occaſione tumultus illius tragici, qui ad diem 17 Julii A. 1724 Thorunii ſubortus fuerat, cujusque eventuum funeſtorum Evangelici quique ſatis adhuc flebiliter reminiſcuntur. Uno verbo, Noſter, cum aliis capitis damnatus ex malevolorum iniqua delatione, ſupplicii extremi ſententia jam bis denuntiata, ſingulari demum Numinis & Auguſtiſſimi Poloniarum Regis clementia, quam poſtremam graviſſimæ interceſſiones conciliarunt, incolumis evaſit, &, quod adhuc ſupereſt vitæ, Gedani, inter ſuaviſſimæ conjugis & amicorum propinquorumque ſolatia, conterit.

Reſtat, ut de ſcriptis optimi Viri, quibus tum patriam ſuam, tum rem eruditam, egregie illuſtravit, paucis referamus. Exſtant nempe præter *Luſum* aliquem *Anagrammatico-Poeticum*, jam bis typis excuſum, *Thorunium peſtilentia infeſtatum*, *(das verpeſtete Thoren)* A. 1710, 4, *Chronicum Thorunienſe*, A. 1711, 4, quo naufragas patriæ Hiſtoriæ tabulas, ab A. 1231 ad 1725 referentes, in lucem protractas ſervavit,

vit, &, quod Berolini A. 1727 ſecundum vulgatum eſt; *Thorunium bello preſſum*, (*das bekriegte Thoren*) A. 1712, 4, in quo calamitates bellicæ enarrantur, quibus quatuor vicibus a centum inde annis urbs iſta fuit expoſita; *Thorunii honorati doctique Prodromus*, (*ſummariſcher Entwurf des geehrten und gelehrten Thorns*) A. 1712, 4, qui liber brevem notitiam virorum complectitur, qui patriæ doctrina & prudentia, vel Senatores, vel Miniſtri verbi divini, vel Profeſſores ac Rectores Gymnaſii, vel Medici, aut alius generis eruditi, laudabiliter conſuluerunt.

Addi his *ſcriptis Zerneckianis* debent Diſſertationes illæ duæ Academicæ, *de Salute infantum* &c. & *de Milite deſertore*, jam ſuperius appellatæ, quas, probatiſſimo inſtituto, lectu quippe admodum dignas, ſuæ huic *Biographiæ* Cl. *Dragheimius* integre recuſas adjunxit, majorem Opuſculo tenuiori gratiam quam certiſſime conciliaturus. Ceterum neque hoc injucundum plane fuerit Hiſtoriæ eruditorum ſtudioſioribus, quod legere una poſſint ad Commentarii hujus marginem paſſim inſertas virorum Clariſſimorum, *Pauli Hofmanni*, *Joannis Sartorii*, *Chriſtophori Hartknochii*, *Joannis Schmidii*, Theologi Lipſienſis, *Albrechti Chriſtiani Rotthii*, *Joannis Joachimi Schœpferi* & *Ephraimi* denique *Prætorii* vitas, curatius maximam partem, quam quidem alibi exſtant hactenus, expoſitas; quos ſingulos præceptores vel amicos coluit nobiliſſimus *Zerneckius*.

NOVA LITERARIA.

NOn deeſſe in ipſa Germania melioris notæ typographos, qui præſtantiſſimum exterorum, Italorum maxime, exemplum imitati, curæ habeant gloriam gentis ſuæ, & majorum ſumtuum Opera animo concipiant, *Joannis Conradi Peez* & *Felicis Bader*, Sociorum, Ratisbonæ publicatum nuper Programma teſtatur, quo ſcriptorum *Jacobi Gretſeri*, Viri eruditiſſimi, Tomis XVII in folio, quod vocant, a ſe edendorum nobis boni illi homines ſpem faciunt. *Gretſeri* quantum

tum ſuperiori ætate nomen fuerit, quanta hodieque ſit, inter Pontificios cumprimis, exiſtimatio, quanto in honore ſint ſcripta omnia ac ſingula, haud ignorat, quod putamus, quisquam. Neque adeo paucis illi, ſi quid augurari licet, editione hac nova rem facient gratiſſimam & exoptatam diu. Univerſo Operi titulum Editores hunc fecere: *Jacobi Gretſeri, Societatis Jeſu Theologi, ſublimiorum ſcientiarum in Univerſitate Ingolſtadienſi annos 26 Profeſſoris, Opera omnia, antehac ab ipſomet Autore accurate recognita, Opuſculis multis, Notis, & Paralipomenis pluribus, propriis locis in hac editione inſertis, aucta & illuſtrata, nunc ſelecto ordine ad certos titulos revocata, & in Tomos XVII digeſta. Acceſſit Autoris vita, cum adjuncto ſingulis ad calcem Tomis proprio Indice copioſiſſimo.* Ut vero appareat, quid bonæ frugis ab hac Operum *Gretſerianorum* Collectione poſſit expectari, communicabimus hic cum Lectoribus univerſum ſcriptorum, a *Gretſero* editorum, Catalogum, in enumerandis iis temporis, quo liber quisque in lucem exiit, habituri rationem. Sunt vero in Programmate Editorum hoc collocata ordine: Diſputationes *de Demonſtratione, de Topica & Locis, de Primo motore, de Intelligentiis & dæmonibus; de Plantis;* porro liber *de Vita D. Virginis, deique genitricis; Inſtitutionum linguæ Græcæ libri tres; de Materia & forma Euchariſtiæ; de Hiſtoria Ordinis Jeſuitici, ab Haſenmillero edita, Epiſtola ad D. Stevartium; Integra refutatio Hiſtoriæ Ordinis Jeſuitici, ab Elia Haſenmillero conſcriptæ, & a Polycarpo Leyſero edita, cum Appendice ex S. Thoma & S. Bonaventura, contra religioſorum calumniatores;* Diſputationes *de Speciebus Euchariſtiæ, de Cognatione, Affinitate & Polygamia, de Judice cauſarum matrimonialium; Rudimenta linguæ Græcæ;* Diſp. *de Statu Beatorum; Apologia Franciſci Montani pro Societate Jeſu in Gallia, ex Gallico in Latinum translata; Nomenclator Latino-Græcus; Oratio S. Gregorii Nyſſeni contra uſurarios ex Græco verſa;* Diſp. *de Subterraneis animarum receptaculis; de Sancta cruce libri quatuor;* Diſp. *de Sacroſanctæ Trinitatis myſterio; Libri quinque Apologetici pro Vita S.* Igna-

Ignatii de Loiola, fundatoris Societatis Jeſu, edita a Petro Ribadeneira contra calumnias Lithi Miſeni; Apologia Societatis Jeſu in Gallia ad Chriſtianiſſimum Galliæ & Navarræ Regem Henricum IV, ex Gallico in Latinum tranſlata; Apologeticus adverſus librum, qui Introductio in artem Jeſuiticam inſcribitur, contra Gabrielem Lermæum Calviniſtam; de Modo agendi Jeſuitarum cum ſummo Pontifice, aliisque Principibus Eccleſiaſticis & Politicis; Locorum quorundam Tertullianicorum a perverſis Junii Calviniſtæ depravationibus vindicatio; Tomus I de Sancta cruce recognitus & auctus; Tomus II de Sancta cruce Græco-Latinus; Commentarius geminus D. Gregorii Nyſſeni in Pſalmorum inſcriptiones latinitate donatus; Orationes novem Leonis Imperatoris de Feſtis, Græce & Latine editæ; Libri quinque Apologetici pro Vita S. Ignatii de Loiola, Societatis Jeſu fundatoris, adverſus iteratas calumnias Lithi Miſeni; defenſio Apologiæ Gallicanæ ad Chriſtianiſſimum Galliæ & Navarræ Regem; Reſponſum ad Theſes Hunnianas de Colloquio cum Pontificiis ineundo; Digreſſiones ſex contra ejusdem Hunnii calumnias; Labyrinthus Cretico-Hunnianus; Variæ Lectiones & Explicationes in libellum Georgii Codini Curopalatæ, editæ cum Ethicis Commentariis Mureti; de Jure & more prohibendi, expurgandi & abolendi libros hæreticos & noxios; Hippolyti Thebani Chronicon ex Græco verſum; Duodecim Anathematiſmi D. Gregorii Thaumaturgi ex Græco verſi; Anaſtaſii Sinaitæ Oratio de Sacra Synaxi, & de non judicando, deque oblivione injuriarum, ex Græco verſa; Notæ copioſiſſimæ in Hiſtoriam Joannis Cantacuzeni, a Jacobo Pontano noſtro Latine verſam; Notæ in Sermones Simeonis Junioris Theologi, ab eodem Pontano Latine editos; Lithus Miſenus Calviniſta tertio libris quinque dedolatus pro defenſione S. Ignatii de Loiola, Societatis Jeſu fundatoris; Conſolatio brevis, ſed efficax, pro Litho Miſeno, ob Jeſuitas Galliæ redditos; Exercitationum Theologicarum libri ſex; Facula Georgio Codino Curopalatæ accenſa, edita cum Mureti Commentariis in Tacitum; Notæ in Dioptram Philippi Soli-

Solitarii, alioſque Autores adjunctos; Tomus III de Sancta cruce, quinque libris conſtans; Bavius & Mævius, ille ut delirus Alchymiſta antimonio, hic tanquam inſipiens Prædicans belleboro nigro curatus; Epiſtolæ Græcæ Miſenicæ ad Jacobum Gretſerum Analyſis in ſua Elementa; Anaſtaſii Sinaitæ ὁδηγὸς, ſeu viæ dux contra Acephalos, Græce & Latine editus; Theodori Abucaræ, Epiſcopi Cariæ, 42 Opuſcula, Græce & Latine edita; de Spontanea diſciplinarum, ſeu flagellorum cruce libri tres; de Sacris peregrinationibus libri quatuor; de Sacris proceſſionibus libri duo; Phraſeologia Græco-Latina, edita cum Nomenclatore Latino-Græco-Germanico; Orationes & Quæſtiones, recitatæ & diſputatæ in Theologica Doctorali inauguratione; Panegyricus Miſenicus; Stigma frontis Miſenicæ; Honorarium Polycarpicum Lauſerianum ob recuſam Jeſuiticam Hiſtoriam; Demonſtratio quarundam fidei dogmatum ex communibus notionibus & loquendi formulis; Judicium ſuper Diſceptatione de norma & normato; Paracletus Lutheranus ad Lithum Calviniſtam miſſus; Defenſionis Bellarminianæ Tomus I, qui continet Apologiam primæ controverſiæ de verbo Dei; Conſiderationum ad Theologos Venetos libri tres de Immunitate & libertate Eccleſiaſtica; Spicilegium pro tribus libellis de diſciplinis; Prædicans vapulans & diſciplinatus; Tomus I de Sancta cruce, tertia editione multis partibus auctus, ut ferme novum Opus videri poſſit; Liber tertius Hiſtoriæ Orientalis Jacobi de Vitriaco, antea ineditus; Oratio Calliſti, Patriarchæ Conſtantinopolitani, in Exaltationem S. crucis latinitate donata; Homilia Georgii Mytilenæi in Paſſionem Dominicam latinitate donata; Mantiſſa ad Tomum I de Sancta cruce, in qua Diſputatio de Vino Myrrhano, & Vaſis Myrrhinis, & Apologia pro S. Cruce; Murices Catholicæ & Germanicæ antiquitatis; Miſcellanea Theologica; Defenſionis Bellarminianæ Tomus II, continens Apologiam ſecundæ Controverſiæ de Chriſto, & tertiæ de Chriſti vicario, Pontifice Rom. una cum Apologia pro libris de Translatione Imperii; Apologia pro S. Gregorio VII, Pont. Max. in qua ſunt hactenus inedita quæ-

quædam pro eodem S. Pontifice Opuſcula Bernaldi, Conſtantienſis Presbyteri; S. Gregorii VII Pont. Max. Vita, electio, res geſtæ, ex L. IV Onuphrii de Varia Pontificis Rom. creatione; Agoniſticum ſpirituale de diſciplinis; Petrus Cnapheus, ſeu Fullo, in Thoma Wegelino Lutherano Theopaſchita redivivus; Relatio de Jeſuitarum ſtudiis abſtruſioribus; Commentarius Pauli Bernriedenſis de Rebus geſtis S. Gregorii VII & Herlucæ Virginis, cum Prolegomenis & Notis; Cæſar Baronius, S. R. E. Cardinalis, a Goldaſti criminationibus vindicatus; Baſilicum δῶρον, ſeu Commentarius exegeticus in Sereniſſ. M. Britanniæ Regis Jacobi Præfationem monitoriam, & in Apologiam pro juramento fidelitatis; Commentariolus de Imperatorum, Regum ac Principum Chriſtianorum in ſedem Apoſtolicam munificentia; Hortus S. crucis; Podoniptron, ſeu pedilavium; Lutherus Academicus; Inauguratio Doctoralis, in qua potiſſimum de Lutheri Doctoratu & Lutheranis Doctoribus diſſeritur; Epiſtola Cnaphica novi Fullonis Thomæ Wegelini de Triſagio Commentario illuſtrata; Pharetra Tertullianæa adverſus Hæreticos; Veſpertilio Hæretico-Politicus; Lixivium pro abluendo male ſano capite Anonymi cujusdam fabulatoris; Furiæ prædicantium Auguſtanorum ob refutatam Relationem Cambilhonicam; Vindiciæ Bellarminianæ & muricum Prædicanticorum; Judicium Eraſmi Roterodami de novo Evangelio, ejusque Evangeliſtis; Summula caſuum conſcientiæ de Sacramentis; de Funere Chriſtiani libri tres; Divi Bambergenſes, Sanctus Henricus Imperator, Sancta Kunegunda Imperatrix, Sanctus Otho, Epiſcopus Bambergenſis; Gerhoni Reicherspergenſis, in Bavaria Præpoſiti, de Henrico IV & V, Imperatoribus, & S. Gregorio VII nonnullisque conſequentibus Pontificibus, Syntagma; Brevis refutatio alogiarum Annæ Comnenæ in Alexiade contra S. Gregorium VII; Retectio inſipientiæ & falſimoniæ Goldaſtinæ in tertio Tomo Conſt. Imp.; Repetitæ furiæ prædicantium Auguſtanorum ob relationem Cambilhonicam; Athleticæ ſpiritualis legitimæ & illegitimæ libri duo; de Feſtis Chriſtianorum libri duo; Suppetiæ Luthero Academico miſſæ;

miſſa; *Epimetrum ſeu Auctarium ad Opus & Supplementum de jure & more prohibendi libros hæreticos*; *Gemina adverſus Melch. Goldaſtum Calviniſtam defenſio*, *prior pro S. R. orthodoxi & catholici Imperii avita majeſtate*, *poſterior varia veterum monumenta pro S. Gregorio VII aliisque Pontificibus Romanis exhibet*; *Gratiæ Danieli Cramero perſolutæ pro Paralipomenis ad libros de Funere Chriſtiano transmiſſis*; *Auctarium ad duos libros de Feſtis*; *Arnaldi Brixienſis in Melch. Goldaſto Calviniſta redivivi vera deſcriptio*; *Paræneſis ad omnes incorruptæ Confeſſionis Auguſtanæ Academicos*; *Volumen Epiſtolarum*, *quas Romani Pontifices miſerunt ad Principes & Reges Francorum*; *Prædicans Heavtontimorumenos*, *ſeu ſeptima pro ſpontanea flagellorum cruce Lucubratio*; *Relegatio Lutheranorum & Calvinianorum Prædicantium ex S. R. Imperio*, *ex relegatione Jeſuitica Andreæ Lonneri verbatim confecta*; *Lucæ Tudenſis Epiſcopi Scriptores aliquot ſuccedanei contra ſectam Waldenſium cum copioſis prolegomenis & notis*; *Brevis relatio de colloquio circa nonnullos fidei controverſos Articulos Durlaci inſtituto, ex Gallico in Latinum verſa*; *Myſta Salmurienſis*, *ſeu Myſterium Pleſſæi Calviniſtæ revelatum*; *Inauguratio Doctoralis*, *in qua potiſſimum diſquiritur*, *quid Lutherus de peccatis ſenſerit ac docuerit*; *Trias ſcriptorum adverſus Waldenſium ſectam cum copioſis prolegomenis & notationibus*; *In Jacobi Aug. Thuani Hiſtoriarum libros notationes*; *Libri duo de Benedictionibus*, *& tertius de Maledictionibus*; *Libelli famoſi*, *quo vix poſt hominum memoriam impudentior & flagitioſior prodiit*, *adverſus Bellarminum*, *S. R. E. Cardinalem*, *Caſtigatio*; *Admonitio ad Exteros de Bibliis Tigurinis*; *Speculum Præſulis cum Commentariolo de Officio Epiſcopi*, *notis & Præfationibus illuſtratum*; *Rationes a priore prorſus apodicticæ & Euclideæ*, *cur Quint-Evangelici Prædicantes a diſciplinis & ciliciis abſtineant*; *Religioſæ conſtantiæ & hæreticæ fraudulentiæ duo ad omnem poſteritatem commemorabilia exempla*, *ſeu Hiſtoria de Monialibus Rigenſibus & Norimbergenſibus*; *Opera omnia de S. cruce*, *accurate recognita*,

gnita, multis partibus locupletata, & uno in Volumine edita; Destructio dormitarii Apostatarum; Variorum Pontificum ad Petrum Cnapfeum, Eutychianum, Epistolæ decem; Gregorii Acintyni Libri duo de Essentia & operatione Dei, Græce publicati; Adrianus Hucherus, Ambianensis Minister, seu Ambianense colloquium inter Franciscum Veronum, Soc. Jesu, & Adrianum Hucherum, institutum, ex lingua Gallica in Latinam translatum; Admonitionis de Bibliis Tigurinis ad exteros defensio; Anastasii Sinaitæ Quæstiones & Responsiones 154 de variis argumentis Græce & Latine editæ; D. Gregorii Nysseni Orationes tres: 1) de Pauperibus amandis, 2) in ingressum jejunii Quadragesimalis, 3) contra fornicarios; De Eystettensibus Ecclesiæ tutelaribus, S. Richardo, S. Wunibaldo, S. Walpurga, Philippi, Eystettensis Episcopi, Commentarius, una cum duobus Observationum libris, & Catalogo Historico Episcoporum Eystettensium; S. Bernardi Opuscula quatuor, antea non edita; Vita B. Wertholdi, Abbatis Garstensis; Syntagma de S.R. Imperii sacrosanctis reliquiis & regalibus monumentis, una cum Græco textu S. Sophronii in adorationem S. crucis media Quadragesima; Contra famosum libellum, cujus inscriptio est: Monita privata Societatis Jesu, libri tres apologetici; Appendix ad S. Gregorii Nysseni Opera Græco-Latina; Adamanni, Scoto-Hiberni, Abbatis celeberrimi, de situ terræ sanctæ & aliorum quorundam locorum libri tres, cum copiosis prolegomenis & notis; Fons olei Walpurgini explicatus atque defensus; Orationes duæ Græce & Latine editæ: 1) D. Gregorii Nysseni in Apostolorum Principes, Petrum & Paulum, 2) Alexandri Monachi de Inventione S. crucis; Compelle intrare, sive sententia S. Augustini super illa Quæstione: num hæretici metu pœnarum ad fidem catholicam cogi possint; Camarina Lutherana & Calviniana de peccatis & legibus; Disputatio *de Variis cœlis, Lutheranis, Zwinglianis &c.; Georgius Codinus Curopalata de officiis & officialibus magnæ Ecclesiæ & aulæ Constantinopolitanæ, Latine versus, adjunctis tribus Commentariorum, Observationum & Emendationum,*

num, libris; *Syntagma de Imaginibus manu non factis, deque aliis a S. Luca pictis, editum cum Georg. Codino Curopalata*; *Libri tres posthumi rerum variarum, quos ex Adversariis Jac. Gretseri selegit Rev. P. Georg. Stengelius, Societatis nostræ Theologus*; *Libri quinque de Festo nativitatis, & Epiphania Domini, ex Jac. Gretseri Adversariis concinnati*; *Index & dux Hæreticorum bujus temporis, ex ejusdem Gretseri Adversariis*; *Paralipomena Jac. Gretseri, ex ejusdem notis & Adversariis eruta, atque in duas Partes distributa*. Opus universum constabit, ut fidem faciunt typographi, 4000 quaternionibus; quodsi minor fortassis fuerit eorum numerus, pro ultimis Tomis statuto pretio minus solvendum erit; sin autem fuerit major, modo integrum non excedat Alphabetum, pluris non ement, qui subscripserint. Describetur typis prorsus novis, & charta, ut vocant, scriptoria, dabiturque opera, ut Opus omne a mendis quam castigatissimum in lucem exeat. Qui nomina opportuno tempore dederint typographis, universum Opus ement pretio 85 florenorum German. qui vero tempus illud neglexerint, his 110 floreni postea solvendi erunt. Operis imprimendi initium facient Editores hoc ipso præsentis anni mense Aprili, jamque, quibus in animo fuerit subscribere, numerabunt 10 florenos, pro quibus, elapso semestri, accipient Tomos duos priores. Tot enim singulis semestribus edentur; quos cum acceperint emtores, denuo exsolvent 10 florenos pro Tomo III & IV, totidemque deinceps pro sequentibus. Subscriptionibus usque ad finem mensis præsentis locus erit. Colligendi nomina emtorum cura commissa est per Germaniam æque ac regiones exteras Typographis nobilissimis, quos sigillatim enumerare spatii angustia nos prohibet.

Nulli dubitamus, quin recenti adhuc memoria teneant eruditi *Matthiæ Belii*, Viri Cl. conatus, illustrandæ *Hungariæ* causa susceptos, uti honestos per se, ita immensæ propemodum utilitatis. Decennium est, cum primum universi Operis *Prodromus*, Augustissimo Imperatori inscriptus, Norimbergæ lucem publicam adspexit. Atque tulit omnino do-

ctorum virorum approbationem hoc, quicquid erat speciminis, exacuitque expectationem orbis eruditi eo vehementius, quo pauciora suppetunt, quæ de Hungaria cum fructu possit legere. His rebus, maxime vero Augustissimi Imperatoris benignitate prorsus incomparabili, confirmatus Autor, perrexit cœptis insistere. Difficile dictu est, quam ei omnia successerint impedite, ob diversas hominum voluntates atque studia, quæ aut diuturno obsequio demerenda erant, aut evincenda obstinata penitus patientia, dum eo deduci potuit refractarium opus, ut, quæ Dei est gratia, publica jam luce donari queat. Rubrum Operi Autor hoc dedit: *Notitia Hungariæ Novæ Geographica, divisa in Partes quatuor; quarum prima Hungariam Cis-Danubianam; Trans-Danubianam altera; tertia Cis-Tibiscanam; quarta Trans-Tibiscanam, universim XLVIII Comitatibus designatam, expromit. Regionis situs, terminos, montes, campos, fluvios, lacus, thermas, cœli solique ingenium, naturæ munera, & prodigia, incolas variarum gentium, atque horum mores, Provinciarum Magistratus, Illustres & Nobiles Familias, urbes, arces, oppida, & Viros, propemodum omnes, designat. Singulorum præterea ortus & incrementa, belli pacisque conversiones, & præsentem habitum, fide optima, accuratione summa, explicat. Opus huc usque desideratum, & in commune utile, sacratissimis Auspiciis Ca*roli Sexti, *Cæsaris, & Regis Indulgentissimi, elaboravit* Matthias Bel. *Accedunt* Samuelis Mikovinii *Mappæ singulorum Comitatuum Chorographicæ, methodo certa concinnatæ. Amstelodami, A. 1733.* Ejus excudendi curam *Paulus Straub*, Bibliopola Viennensis, in se recepit. Sed, cum vastum adeo multæque elegantiæ molimen impensas deposcat longe maximas; subductis rite rationibus, constituit *prænumerationis*, quam vocant, uti beneficio. Conditiones, quibus id fieri cupit, æquissimæ sunt, & prorsus cum utilitate *Subscribentium* conjunctæ. 1) Imprimetur Opus Amstelodami, forma folii majoris, char-

charta & typo nitidiſſimis, accuratione autem, quæ poteſt eſſe maxima: operas *Wetſteinio* & *Smith* omni ſtudio atque diligentia moderaturis. 2) Exhibebitur primo omnium *Notitia Hungariæ Novæ Geographica*, ordine, quem titulus oſtendit, hoc eſt, *Partibus* quidem *quatuor*, ſed ob rerum molem pluribus Voluminibus: quorum ſingula ſex & amplius *Alphabetorum* ſemeſtribus, ſi Deus voluerit, ſingulis, ſunt preditura. 3) Ornando non minus, quam inſtruendo ad commodiores uſus, Operi Mappæ accedent Chorographicæ, *Samuelis Mikovinii*, Geometræ peritiſſimi, cura & ſtudio concinnatæ; addentur obtutus urbium, arcium, & icones aliæ, æri ſcitiſſime inciſæ. 4) Quantum tribuendum fuerit caſtigatiſſimo Operi, inde conjiciet Lector, quod nec quidquam, niſi & privatim, per ſingulos Comitatus, aut rerum peritos, & publice, per *Cancellariam Regiam Hungarico - Aulicam*, cenſum, adeoque publica privataque fide affirmatum eſt, in literas Autor retulerit. Illud certum eſt, 5) unius *Comitatus* hiſtoriam, rerum varietate, ſelectu item, atque copia, laudatiſſimum alioquin Opus *Marſiglii* Comitis *Danubiale* facile ſuperaturam; tametſi vix quartam pretii, quod in Commentaria illa profundere neceſſum fuit, partem *Belianum* iſtud Opus requirat. 6) Nimirum prænumerandi erunt:

In *Hungariæ Cis-Danubianæ* Volumen		
Primum - -	Floreni Rhen.	8
Secundum	- - -	8
Tertium	- - -	6
In Hungariam Trans - Danubianam		6
Cis - Tibiscanam	- -	6
Trans - Tibiscanam	- -	6

ea lege, ut, *Tomo primo* recepto, pro ſequente ſolvatur iterum pecunia, tum conſummetur Opus. 7) Huic, cum ſubſcribentium commoditate per celebriores Europæ urbes colligendæ, ab Editore deſignati ſunt Viri ſequen-

 tes.

tes. *Altenburgi* Richter; *Altorffii* Wedel; *Amstelodami* Wetstein & Smith; *Antwerpiæ* Verdussen, Morettus; *Argentorati* Dulsecker, Beck, Stein, *Augustæ Vendelicorum* I. C. Bencardi hæredes, Mertz & Socii, Veith fratres, Happach & Socii; *Augustæ Taurinorum* Bertoler, Casabianea; *Basileæ* fratres Thurneysen, Bischoff, *Berolini* Rüdiger, Nicolai, Haude; *Bremæ* Sauermann, Jæger, *Bruxellis* Frix, Serstevens, Toppens; *Budæ* Walcher; *Cæsareopoli* Buchholtz; *Cantabrigiæ* Crownfield; *Cassaviæ* Major, M. D. *Cassellis* Cramer, *Chemnitzii* Stœssel, *Cibinii Transsylvaniæ* Wielandt; *Coburgi* Pfottenhauer & filius, *Coloniæ* I. W. Metternich, *Comaromii* Neuhold, M. D. *Dantisci* Knoch; *Debretzinii* Szeremley, *Dresdæ* Gerlach, Saueressig; *Duisburgi* Bötticher; *Eperiesini* Raymann, M. D.; *Erfordiæ* Zimmer; *Florentiæ* Tartini & Franchi; *Francofurti ad Mœnum* Varrentrapp, Fleischer; *Francofurti ad Oderam* Conradi; *Franecheræ* Blech; *Gardenlegen* Campe; *Genevæ* Perachon & Cramer, fratres de Tournes, Bousquet & Socii; *Giesæ* Krieger, *Goslariæ* Kœnig; *Gothæ* Mevius; *Gröningæ* Spandau, *Gryphswaldiæ* Lœffler, *Hafniæ* Rothe, *Hagæ Comitum* Swart, de Hond; *Halæ Saxonum* Renger & Vick; *Hamburgi* Felgineri vidua, Brand, Kisner; *Hanoveræ* Förster & filius, *Hartingæ* van der Plaats; *Helmstadii* Weygant; *Herbipoli* Fugger; *Herbornæ* hæredes Andreæ; *Holmiæ* Weidmann; *Jaurini* Gerber; *Jenæ* Bielcke, vidua Mayeri, *Ingolstadii* de la Haye; *Lipsiæ* hæredes Lanckisiani, Blockberger, Gleditsch; *Lemgoviæ* Mayer; *Lewardiæ* Strick; *Lovanii* Denique; *Londini* G. Innys; *Loscuczini* Perlicius, M. D.; *Lubecæ* Bœckmann; *Lubenæ* Vas; *Lugduni Batavorum* Haack, Luchtmanns, Langerack; *Lugduni Gallorum* de Ville & Chalmette, du Plain; *Luxenburgii* Chevalier; *Magdeburgi* Scheidhauer; *Marburgi* Muller; *Mediolani* Cairolo Tedesco; *Moguntiæ* Krebs; *Neapoli* Cicarelli, Gessari, Rispoli; *Neosolii*, Moller junior, M. D.; *Norimbergæ* Lochner, Stein, Schmidt; *Ochsfordiæ* Gagnier & Fletchen; *Parisiis* Montalant, Mariette,

riette, Coignard, Cavelier; *Petroburgi* Clanner; *Pragæ* Lochner, Rudiger, Wuſſin; *Ratisbonæ* Endter; *Regiomonti* Eckart; *Romæ* Pagliarini, Barbiettini, Ficcaroni; *Roſtochii* Fritſch; *Salisburgi* Mayer, *Schemnitzii* Kochlarſch, M. D.; Sempronii, Haynoczii; *Stetinii* Kunckel; *Studtgardiæ* Metzler & Erhard; *Thorunii* F. Zabler; *Tiguri* Heidegger & Socii; *Tubingæ* fratres Cotta, Ebertus; *Tyrnaviæ* Batsmegyei, M. D.; *Ulmæ* Bartholomæi & filius, Rothe; *Ultrajecti ad Moſam* Bertus; *Wratislaviæ* Hubert, Brachvogel; *Ultrajecti ad Rhenum* Poolſum, Vash, Brœdelet; *Venetiis* Baglioni, Giavarina, Manfre, Coletti; *Viennæ* Paul Straub; *Wetzlariæ* Winckler; *Wittenbergæ* hæredes Zimmermanni, Schwartz; *Wolffenbutelæ* Meiſner. 8) Apud eosdem hoſce *Collectores* Specimen* chartæ typorumque reperient, quorum id vidiſſe intererit. 9) Initium vero termini *prænumerationis* fuit *Calendis Februarii* anni præſentis, nec poſt *Calendas Julii* locus erit ſubſcripturis. Tunc operarum quoque fiet initium, excudenturque, pro numero *ſubſcribentium*, plura pauciorave exempla, ſemeſtri poſt ſpatio inter conſortes, locis opportunis, ſuo ipſorum ſumtu, diſtribuenda. Nec vero impenſæ jacturam, uti ſunt tempora, ſuſpicari poſſit quisquam. 10) Cavebunt pro pecunia publice, Viennæ Auſtriæ *Rath* & *Höslin*, Lipſiæ *Jacobus Straub* & *Socii*, Francofurti ad Mœnum *Olenſchlager* cum ſociis, denique Amſtelodami *Wetſtein* & *Smith*. Ad hos ergo, pro regionum & urbium ſitu diverſo, tanquam *Univerſales Collectores*, coactæ paſſim pecuniæ transmittentur; qui earum rationem habebunt ſolicitiſſimam, dum exemplaria *Subſcribentibus*, receptis chirographis, reddi potuerint.

Amſtelodami Autor quidam ignotus, neque ſimul ineruditus, cui ſuſpecta ſunt Clariſſimi *Everardi Ottonis* in literas merita, edidit libellum prorſus ſatyricum, & ad imminuendam *Ottonis* famam egregie comparatum. Inſcripſit hoc, quicquid eſt opellæ, *Specimen Notarum ad Cl. Viri Everardi Ottonis Librum de Tutela viarum*, idque cumprimis per paginas duas & viginti egit, ut oſtenderet, in libro *de Tutela viarum Ottoniano* & errores

res commisisse bonum virum intolerabiles, & alienis bovibus furtim arasse agros suos. Speciminis loco *Librum primum* percurrit, ejusque paginam unamquamque manifesta horum criminum vestigia præbere, contendit. Itaque in scribendis libris caute omnino atque circumspecte versandum putamus viris, qui opinionem doctrinæ habent, ne in furto aut simili crimine deprehensi aliquando, quem consecuti sunt brevi, brevi perdant eruditæ civitatis plausum.

LIBRI NOVI, EX LUSITANIA ADVECTI.

EXpeditio Hispanica Apostoli S. Jacobi Majoris asserta, & ex S. Paulo Apostolo confirmata; Dissertatio Historico-Critica. Accessere Appendices tres; I de Æde Cæsaraugustana a Columna dicta, per S. Jacobum constructa; II de gravissima autoritate Breviarii Romani; III Sylloge Autorum omnium gentium, omniumque ordinum, qui expeditionem Hispanicam S. Jacobi Majoris asserunt; ad Augustissimum Lusitanorum Regem Joannem V. Autore *Emmanuele Cajetano Sousa*, Clerico Regulari, Regiæ Majestati a Consiliis, Bullæ Sanctæ Cruciatæ Pro-Commissario Generali Apostolico, & Regalis Academiæ Quinque-Viro Censore. Tomi II. Ulyssippone Occidentali, T. I 1727, T. II 1732, fol.

Colleccam dos Documentos, e Memorias da Academia Real da Historia Portugueza, que neste anno de 1727 se compuzerano, e se imprimerano por ordem dos seus Censores, dedicada a Elrey nosso Senhor, seu Augustissimo Protector, e ordenada pelo Marquez de Alegrete *Manoel Telles da Sylva*, Secretario da mesma Academia. Lisboa occidental, 1727, fol.

Colleccam dos Documentos, e Memorias da Academia Real de Historia Portugueza, que neste anno de 1728 se compuzerano &c. 1729, fol.

Memorias para a Historia de Portugal, que comprehendem o Governo del Rey D. Joanno I do anno de mie e trezentos e ottenta e tres, ate o anno de mil e quatracentos e trinta e tres; Dedicadas a el Rey D. Joanno V, nosso Senhor, approvadas pera Academia Real da Historia Portugueza. Escritas pelo Academico *Joseph Soares da Sylva*. Tomo I, Lisbon. 1730, 4 maj.

Memorias para a Historia de Portugal, que comprehendem o Governo del Rey D. Joanno I, Tomo II, 1731, 4 maj.

Memorias para a Historia Ecclesiastica do Bispado da Guarda. Parte primeira. Comprehendem dous Tomos, o que pertence a quelle Bispado, em quanto a Sé Episcopal residio na Cidade da Idanha, desde a sua fundacano, ate ses extinto pelos Mouros. Dedicada a el Rey D. Joanno V, nosso Senhor, appovada pelo Academia Real, escrita pelo Doutor *Manoel Pereira da Sylva Leal*, J. C. Ulyssipponense, Collegial do Collegio Pontificio de S. Pedro na Universidade de Coimbra, Cavalleiro da Ordem da Christo, e Academico da mesma Academia Real &c. Tomo primeiro. Lisboa, 1729, 4 maj.

Historia da Academia Real da Historia Portugueza, composta por *Manoel Telles da Sylva*, Marquez de Alegrete, Secretario de mesma Academia, e dedicada a el Rey D. Joanno V nosso Senhor. Tomo primeiro, Lisboa, 1727, 4 maj.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Maji Anno MDCCXXXIII.

STATO MILITARE DELL' IMPERIO OTTOmanno, &c. L' Etat militaire de l' Empire Ottomann &c.

h. e.

STATUS MILITARIS IMPERII OTTOmannici, progressus ejus ac decrementa; Autore Ill. Comite MARSILIO, Regiæ Academiæ Scientiarum Parisiensis, Montis Pessulani, & Londinensis, Socio, ac fundatore Instituti Bononiensis. Opus tabulis æneis exornatum.

Partes II.

Hagæ Comitum, apud Petrum Gosse & Jo. Neaulme, Petrum de Hondt, & Adrian. Moetjens, Amstelodami apud Herm. Uitwerf, & Franc. Changuion, 1732, fol.

Alph. 3 pl. 22, Tabb. æn. 42.

OPeri splendido, lingua Italica pariter & Gallica excuso, &, ut tabulis æneis, accuratissime sculptis, exornato, ita argumentum maximi momenti non delibanti, sed ita pertractanti, ut requiri amplius magnopere nihil posse videatur, nulla major accedere potest commendatio, quam ab nomine, quod præfert, Illustrissimi Autoris sui, Comitis *Marsilii*, toties jam de orbe literario ac tam præclare meriti, ut hodie

par ei poni nemo fortaſſe poſſit. Is, a tenera inde ætate legendis de imperio Ottomannico hiſtoriis intentus, cum intellexiſſet, Turcas a nemine non ſcriptorum ſummæ fortitudinis laude celebrari, ut rectius ipſe ea de re ſententiam ferre poſſet, anno ætatis viceſimo Conſtantinopolim una cum Senatore Veneto, *Petro Ciurano*, ablegati patriæ ibi partibus functuro, petiit. Eo cum acceſſiſſet, annuo fero ſpatio ibidem commoratus, nihil non, quantumvis res in Chriſtiano homine periculi pleniſſima videretur, egit, ut militarem Turcarum ſtatum penitius ſibi cognitum perſpectumque redderet, ipſis, id quod permirum, Turcis ei viam eam ad rem ſternentibus, qui, tametſi magnis impenſis, librum, *Canon Namé*, ei procurarunt. Complectitur ille reditus imperii Ottomannici, genera & rationem militiæ Turcicæ, ac leges, quibus regitur; quem quidem librum cum per interpretem Italico idiomate ſibi prælegendum curaſſet Illuſtriſſimus Comes, facile perſpexit, leges illas potius ad coercendos imperio milites, quam armis exercendos, pertinere. Eo tempore *Kara Muſtapha*, Viſirius magnus, bellum in Hungaria parabat. Qua re motus Illuſtriſſimus Comes, invictiſſimo Leopoldo Imperatori ſacramento dixit, ſed ſub ipſa belli auſpicia a Tartaris captus, in familiam Achmeti, Baſſæ Temeſuarienſis, tranſiit. Cum eo in caſtra profectus, obſidioni Viennæ Auſtriæ interfuit: poſtea, cæſis ibi fugatisque Turcis, ad Arabonem fluvium abreptus, cum Achmetus, dominus, veneno hauſto periiſſet, in poteſtatem militum Boſnienſium pervenit, qui in patriam ſuam ad radices montis *Rama* eum abduxere. Inde ſubſidio laudati ſupra *Ciurani* in libertatem ſeſe vindicavit, denuoque operam ſuam Leopoldo Imperatori obtulit, cui per varios gradus militiæ & plura prælia obſidionesque pariter, quibus interfuit, virtutem animumque invictum contra Turcas, & in pacificatione poſtea Carolovicenſi dexteritatem induſtriamque in conſtituendis utriusque imperii limitibus comprobavit. His opportunitatibus Turcarum ſtatum militarem propius cognoſcendi expendendique recte uſus, fundamenta præſtantiſſimi hujus libri jecit, quem in duas diviſit

Digitized by Google

divisit Partes, quarum prior Capitibus octoginta quatuor, posterior viginti septem, constat. Illa ex libro supra dicto, *Canon Namé*, sistit, quæ ad indices redituum, genera militum, & leges militares, pertinent, quibus Autor Illustrissimus capita quædam præmittit, ut sequentia intelligi rectius possint. Hæc ipsam bellandi rationem, ut ipse eam, inter Turcas pariter & contra eos militando, penitius exploravit, exemplis suis illustratam complectitur, præmissis rursus, quæ ad omnia probe tenenda desiderari ab initio posse videbantur, aliisque itidem, quæ requiri pariter jure poterant, subjunctis. Utrinque satis patebit, qui hodie sit status militaris Turcarum, quam tenues ac prope nullæ eorum vires, qui vel solo nomine audito ingentem omnibus terrorem quondam injiciebant.

HISTOIRE UNIVERSELLE DEPUIS LE COMmencement du monde, jusqu' a present, &c.

h. e.

HISTORIA UNIVERSALIS, AB INITIO mundi ad præsens usque tempus perducta; ex Anglico in Latinum translata a Societate quadam erudita.

Tomus I;

Continens historiam universalem eorum, quæ ab exordio mundi usque ad Abrahamum gesta sunt, nec non historiam Ægyptiacam, & antiquissimorum populorum Cananensium.

Hagæ Comitum, impensis Petri Gosse, Jo. Neaulme, Henrici Scheurleer, Petri de Hondt, & Adriani Moetjens, 1732, 4.

Alph. 3 pl. 7.

ACcedimus ad limen Operis & vasti & ejusmodi, quod Autores æterna laude est condecoraturum. Historiam enim universalem elaboratissimam edere constituerunt Viri quidam diligentissimi doctissimique Britannorum, qui eum in finem inierunt societatem. Noluerunt Batavi communem

uſum reliquis nationibus denegare, ideoque translationem Gallicam moliti ſunt. Gratulamur Viris, opera perficere tanta conatis, uſuique publico ea conſecrantibus, vota pro eorum incolumitate dignisve ſucceſſoribus nuncupantes, ut telam aequo Jove pertexere queant. Quis enim ignorat, quantum laboris in exhauriendo propoſito tam amplo ſit ponendum? Volumine hoc primo continentur Præfatio ad lectorem eruditiſſima, Introductio, quæ complectitur ſententias Philoſophorum quorumcunque de origine & creatione univerſi a *p. 1-86*, & Capita quatuor. Caput primum ſiſtit hiſtoriam generalem mundi, ſeu rerum geſtarum usque ad funeſtum diluvium. Caput ſecundum offert hiſtoriam ſacram inde a diluvio usque ad natalem Abrahami procurrentem. Caput tertium repræſentat hiſtoriam Ægyptiacam ad Alexandrum usque magnum. Caput quartum exhibet hiſtoriam Moabitarum, Ammonitarum, Madianitarum, Edomitarum, Amalekitarum, Cananæorum & Philiſtæorum. Autores ubique ſe præſtant Criticos ſagaces, Philoſophos acutos & profundos, Chronologos ſubtiles, Geographos operoſos & doctiſſimos, Hiſtoricos inprimis quibuslibet adminiculis præmunitiſſimos. Quod ipſum eo clarius conſtabit, quo exquiſitiora ex Opere ipſo ſpecimina in medium protulerimus. Præfatio ſupputationum Chronologicarum varietatibus eſt dicata, ut primo obtutui pateat, quantum differat calculus, e codice Ebraicorum Bibliorum deſumtus, ab eo, quem ſequuntur Samaritani, Alexandrini interpretes, *Joſephus*, ac recentiores Chronologi. Varietatis inter codicem Ebræum, Samaritanum Pentateuchi, & Septuagintaviralem, cauſæ afferuntur non unæ. Provocatur ad errores librariorum & numeroſam deſcriptorum voluminum frequentiam, ac præterea ad defectum initii ſupputationum immobilis. Ut prior ratio diluceat, mentio injicitur intercapedinis Chronologicæ, inter exitum ex Ægypto & fundationem templi Salomonei obviæ. Eam enim ad 480 annos reſtrictam vides *1 Reg. VI, 1*, cum in libro *Judicum* intervallo illi aſſignantur propemodum anni 592. At, ſi judicum nonnulli ſimul populo in diverſis Judææ par-

Digitized by Google

partibus præfuerunt, annique regiminis eorum ab annis successionum discrepant, Autores præferunt calculum, qui exstat in Pentateucho Samaritano, calculo, quem continet codex Ebraicus. En causas. Prior magis quadrat ad naturam & a) momenta, historiæ V. T. circumstantia, & ad testimonia scriptorum profanorum. Posterior depravatus est successu temporis, & quidem a Judæis, ut eluderent tempus, adventui Messiæ prædefinitum, aliisque improbis consiliis satisfacerent. Verus autem calculus Ebraicus mansit illibatus in Pentateucho Samaritano. Ita jam senserant *Pezronius* in libro, *Antiquité des temps retablie & defendüe*, *D. Wills* in Præfatione ad *Josephum* Anglice redditum ab *Estrangio*, & *Whistonus* in libro, *Essai sur la restauration.* Habes hic rationes, cur Autores calculum Samaritanum delegerint. Intervallum a templo condito Salomoneo ad ejus excidium determinatur annis 430 *Ezech. IV*, *4, 5, 6.* Ultima hujus intervalli tempora ab Autoribus colligata sunt cum Æra Nabonassarea, beneficio canonis Astronomici, qui *Ptolemæo* tribuitur. Cum Cyro certiora e profanis scriptoribus loca & intervalla sese aperiunt. Hoc filum secuti Autores, ad natalem usque Christi supputant annos 4305, sed a diluvio 2998, id quoque habentes eximii, quod tempora post inundationem Noachicam elapsa numerant ab articulo diluvii ipsius tanquam principio computationis, ut hoc pacto varietates Chronologicas, quæ in annis antediluvianis maxime occurrunt, evitent. In Opere ipso hæ rationes Chronologicæ data occasione repetuntur vel confirmantur. Qui calculum Samaritanum ægre ferunt, monebunt nonnulla de autoritate codicis Ebraici incorrupta, de notis libri, qui veram revelationem

 doctri-

a) Verbi causa *p. 284 seqq.* Autores existimant, dispersionem capitum gentiumque exstitisse nato Pelego, eamque a Babylonica confusione haud differre; calculum vero Ebraicum nimis esse angustum ad exponendam propagationem generis humani post diluvium. Idem jam innuit *Perizonius Orig. Babylon. Cap. 14 p. 316.* Addunt Autores plura argumenta *p. 314, 315.*

doctrinarum, ad sempiternam salutem ferentium, continet, de dictis clarissimis, ad Messiam nostrum facientibus, a gente Judaica haud corruptis, de historia profana, exordio carente, & respectu Chronologiæ in antiquissimis rebus per regiones varias nimium variante, de depravatione codicis Samaritani manifesta & una & altera, de origine Samaritarum, erroribus Chronologicis favente. Sed hæc dispexerint alii.
p. 1, 2. In limine Introductionis dolent Autores, penuriam Historicorum certorumque monumentorum seculis antiquissimis utramque facere paginam: fragmenta & series interruptas occurrere: eventuum, repugnantiis & mythologicis enarrationibus laborantium, gravissimam esse copiam: libros exstare suppositios: permulta esse conjecturis ac hypothesibus involuta. Circa productionem rerum exsistentium ex possibilibus ipsi
3. largum copiæ cornu recludunt. Creationis veritas comprobatur ex possibilitate ejus notionis, ex potentia divina, & contingentia singularum mundi partium, quæ ipsa necessitati absolutæ repugnat. *Idealistis*, qui phænomena mundi in idea nostra existere tantum contendunt, opponitur id, quod idearum ejusmodi contingentium nihilo secius detur causa prima & universalis. Addi poterat, non dari rerum propria, nisi res ipsæ existant; dari autem ideas de possibilibus, & intrinsecus & extrinsecus talibus. Divisibilitas materiæ, in infinitum procurrens, merito negatur, siquidem alias pars foret æqualis toti. De spatio in modum Anglicum differitur. Adjicitur tamen, nobis de spatio deesse notionem distinctam & completam. Hoc nobis secus esse videtur. Nam ex usu loquendi patet, spatium esse ordinem vel existentem, vel possibilem, & quidem eorum, quæ vel una existunt, vel una exi-
4. stere posse cogitantur. De origine mundi Philosophi veteres trifariam sunt commentati. Alii eam negarunt, asserentes, materiam & formam mundi semper exstitisse, semperque exstituras. Opinio hæc tribuitur *Pseudo-Pythagoricis*, *Aristoteli*, *Ocello Lucano*, ac *Platonicis*, quorum tamen nullus mundum habuit pro Deo ipso, licet emanatio omnium rerum ex Deo, *Platonicis* probata, non admodum distet. Alii mate-

Digitized by Google

materiam mundi existimarunt sempiternam fuisse, haud æque formam. Alii mundo tribuerunt originem & finem, licet, de excidio ejus interdum problematicas quæstiones prolatas esse, recordemur. Ante *Ocellum* de æternitate mundi comprobanda vix cogitatum. Quod vel ex ipsius argumentis infirmissimis patet, siquidem æternitatem ex motu circulari, & impossibili creatione, stabilire sustinet. *Aristoteli* visum, Deum, utpote actum purissimum, semper amorem suum reliquasque virtutes ostendisse re ipsa, ac ipsum esse spiritualem, intelligentem, æternum, individuum, quantitatis expertem, primumque motorem. Existentiam Dei idem arcessit ex impossibilitate progressionis in infinitum. Æternitatem illam *Alfarabius*, *Alkendius*, *Averroes*, & *Avicenna*, amplexi sunt. *Plato* creationem admisit, sed mundum vocavit ectypon ideæ æternæ. *Platonici* autem putarunt, potentiam agendi divinam ab essentia summi Numinis separari non posse, eam puta, quæ tendit ad actum externum. Ex eo prolapsi sunt ad processiones ineffabiles ac generationes Dei, per quas mundus & Dii inferiores exstiterint. *Origenes Platonicorum* opiniones in ecclesiam invehere haud erubuit, patronus æternitatis mundi, uti est apud *Methodium de creatis, apud Photium p. 932.* Seculo sexto *Ammonius*, *Procli* discipulus, coæternitatem Dei mundique intrepide docuit Alexandriæ. Hisce non satis perspectum, potentiam creandi in Deo existere liberrimam, hominique per sese non constare, num Deus eam semper in actum externum deduxerit. Et quis dixerit, Deum haud esse perfectissimum beatissimumve citra creaturas? An mundus æternus sit possibilis, varie est disputatum, magis objectionibus, quam robore argumentorum, exiguoque cum fructu. Possibilitas tamen illius æternitatis hic ostenditur, distinctione adhibita inter durationem sempiternam contingentem finitorum & mobilium, & inter eam, quæ contingentiam & finitudinem excludit, & porro inter prioritatem naturæ, ordinis, ac causalitatis, nec non temporis. Intelligitur indubie ex hac promulside, quanta & qualia philosophemata ab Autoribus pertractentur. *Spino-*

p. 5.

6.

7.

8.

zæ

p. 10 seq. *za* prodromi egregie & cum judicio limatissimo edisseruntur, facta inde a *Xenophane*, sectæ *Eleaticæ* magistro primo, enumeratione. *Xenophani* adduntur socii & successores *Parmenides*, *Melissus*, *Zeno Eleates*, *Stilpon*, & Philosophi Megarenses. Hi Deum & mundum pro re eadem reputarunt,
11. si Autores sequimur. *Pythagorici* principia metaphysica & physica diligentius distinxerunt, licet id a Christianorum ple-
12. risque haud satis fuerit animadversum. An *Strato Lampsacenus Spinozistis* sit addendus, incertum pronuntiatur, ita tamen, ut *Spinozismo* fuerit affinior, quam doctrinæ de atomis.
13. Animam mundi, quam Stoici venerabantur, *Spinozismo* involutam esse, credunt Autores. Qui formam mundi a Dei nutu repetierunt, materiam sempiternam commenti, posuerunt duo principia æque æterna, & docuere, impossibile esse, ut ex non-existente
15, 16. possit produci ac creari materia. At ex positionibus ejusmodi profluunt conclusiones, quæ ipsa Dei attributa & essentiam tollunt. Quo enim jure Deus sic gaudebit in materiam? Solo utetur jure, quod ex potentia inexsuperabili desumitur. Qui hac ratione mundus est specimen bonitatis divinæ ac speculum singularum ejus perfectionum? Sunt, qui motum mundo attribuunt essentialem, ut perhibere queant, formam emanare
17. ex motu essentiali. *Tolandus* Ep. 3, vim motricem materiæ esse essentialem, docere sustinuit. At ipsa inest simplicibus mundi elementis, per creationem, & quidem ratione contingenti. Ex virium diversitate existit motus. Ex vi passiva, quæ impar est activæ, nascitur directio & gradus celeritatis. Qui vim, qualis in corporibus spiritibusque ordinario modo obvia est, repetunt ex immediata Dei actione & vi omnipotente, ii respectu causæ primæ & universalis non falluntur; permiscent tamen id, quod naturale est, cum supernaturali, mundumque convertunt in opus solius potentiæ ac voluntatis divinæ, proscripta ipsius sapientia, & intellectu, ad rationes convenientissimæ pulchritudinis operante, insuper habito.
18. Autores ostendunt porro, doctrinam de Chao esse insulsam, terramque, cui nunc insistimus, haud esse adeo antiquam, licet origo, per quam fuit producta, citra lumen revelationis divinæ haud innotescat. Prodit deinceps in medium series opinio-

opinionum, ad Chronologiam & gentes diverſas attemperata, de origine mundi. Phœnicum opinio deſumta eſt ex *Sanchoniathonis* penes *Euſebium* fragmentis. *Taautus*, ex cujus *Coſmogonia Sanchoniathon* ſua depromſiſſe perhibetur, terram inſtar planetæ conſideravit. *Môt*, unde ſemina creaturarum omnium deduxit *Sanchoniathon*, exponitur cum *Cumberlando* ex voce Arabica *matha* i.e. *macerare aqua*. *Zophaſemin*, hoc eſt, *animantia intellectu prædita* ſecundum *Sanchoniathonem*, exponuntur per צופי שמים i.e. *contemplatores cœli*, quos *Cumberlandus* interpretatur per corpora cœleſtia, *Bochartus* per angelos. Priori opinioni favet *figura ovi*, quæ contempiatoribus illis tribuitur. Syſtema hoc ad defenſionem atheiſmi & polytheiſmi excogitatum perhibetur, licet ad crimen hoc amoliendum nonnulla proferri queant. Si dicere licet, quod res poſtulat, *Dodwellus* in Diſſ. *de Sanchoniathone* ſatis oſtendit, *Philonem Biblium* ſcripta illa *Sanchoniathoni* ſuppoſuiſſe: ac præterea e ſymbolis rerum obſcuriſſimis, quorum interpretatio clara fuit deperdita, ſenſus difficillime eruitur. Coſmogoniam Ægyptiorum repræſentatam vides ex *Diodoro Siculo*, quem *Euſebius de Præp. Ev.* L. I Cap. 7 transſcripſit, monens tamen, doctrinam eam eſſe Græcorum. Addunt Noſtri, Græcos eam ab Ægyptiis hauſiſſe, ideoque in ea nullam de Deo fieri mentionem, ſiquidem materia & ſol inprimis inibi primum fuit principium, quod tamen negat *Cudworthus*, ab Ægyptiis atheiſmum propulſaturus. *Simplicius* certe in *Ariſtotelis Phyſica* L. VIII p. 268 tradit, hiſtoriam creationis mundi Moſaicam ex fabulis Ægyptiorum fuiſſe hauſtam. Tentatur harum ſententiarum conciliatio per diſtinctionem Ægypti inferioris & ſuperioris; utriusque enim opiniones de religione haud fuiſſe easdem. Ex hoc ſpecimine patet, quam ſolicite & meditate Autores percenſuerint Coſmogoniam Chaldaicam & Babylonicam, in qua olim Deus pro creatore fuit habitus, Poetarum, uti *Orphei*, *Heſiodi*, *Ariſtophanis*, porro *Thaletis*, Materialiſtarum principis, *Anaximandri*, *Anaximenis*, *Anaxagoræ*, qui Deum materiæ & creationi præfecit, *Diogenis*

p. 19. 20. 23. 24 ſeq. 31. 32.

Digitized by Google

Apolloniatis, Atomiſtarum, quorum Autor vel *Moſchus Sidonius*, vel *Democritus*, vel *Leucippus*, fuit. Atomiſtarum alii admiſerunt ſubſtantiam, materiæ expertem, alii negarunt: univerſi tamen originem mundi per atomorum concurſum & implicationem ſunt interpretati, quam plerique perhibue-
p. 35. runt fortuitam. *Democritus* cogitationes animarum habuit,
36. æque ac nuper *Malebranchius*, pro Deo. *Epicurus* Deum dixit corporatum. Theologi nonnulli e Muhammedanis ſtatuunt, atomos carere magnitudine, ſimiles eſſe inter ſeſe, corpore vitali præditos, & ſenſus haud expertes: animas ex atomis vel atomo conſiſtere. Habemus hic aliquam ſimilitudinem Monadum *Leibnitianarum*. Coſmogoniam ex
37. mente *Diogenis Apolloniatis*, ſectatorumque, *Hippaſi Metapontini*, *Heracliti*, ac *Stoæ*, hiſce ſubjunxerunt Autores. *Hippocratem*, ferunt, cum *Heraclito* ignem ſtatuiſſe immortalem, videntem, intelligentem & ſcientem omnia, tam præſentia, quam futura. Fuerunt inter Germanos, qui ſaniorem *Hippocrati* mentem tribuere haud dubitarunt. Senten-
35. tia Stoicorum de mundo & oriente & per vices intereunte communis fuiſſe dicitur idololatrarum Indiæ, quibus nomen eſt *Panditz*, immo *Fluddii*, ac quorundam Sinenſium, qui potentiam, quam Deo ſubtraxerunt, ſpiritibus per mundum omnem ſparſis, ut phænomena phyſica expedite poſſint ſolvere, aſſignant. Exquiſitiſſima porro afferuntur de ſecta *Foe*.
41. *Spatium* habetur pro ente, quod a corpore diſtinctum, individue extenſum, haud contrectabile, penetrabile, immobile, infinitum, & reale. Ferunt, *Spinozam* hoc ſpatium ſibi repræſentaſſe tanquam motu & affectionibus materiæ præditum. Emanationes omnium rerum ex Deo eſſentiales probantur Telapinis Siamenſium & Cabbaliſtis Judæis. Subji-
42. ciunt Autores dictum illud, e *Pſ. CIV*, 29, 30, petitum, citra dijudicationem, an Cabbaliſtis id faveat, nec ne. *Pythagoras* duo principia admiſit, *monada* & *dyada*. Variant interpretes de eorum ſignificatu. Suſpicamur, notari Deum, quippe unius naturæ & individuæ, ac res productas, quæ duplicis ſunt naturæ, ſpiritualis & corporalis, quippe creatæ ex ſen-

tentia

tentia *Pythagoræ*. Idem originem naturæ divinæ vocavit triada, sæpius *tetrada*, quam Nostri de tetragammato יהוה cum *Cudwortho* exponunt. De *Timæo* Locreusi, *Archita* Tarentino, *Socrate* & *Platone*, *Anaxagora*, *Archelao*, *Empedocle*, *Plutarcho*, *Hermogene*, *Numenio*, *Attico*, aliisque, ea edisseruntur ex vetustis scriptoribus ac *Burneto* & *Cudwortho*, quæ ad originem mundi ejusque elementa pertinent. Tandem subjiciuntur ii, qui mundum a Deo ex possibili, quod nondum exstiterat, creatum tradiderunt. Ii sunt Tyrrheni, Magi, qui dicuntur statuisse principium mali *creatum*, Brachmanes, Sinensium nonnulli, iique honestissimi, Japonenses quidam, Americanorum haud pauci. Tandem Mosaica Cosmogonia adstruitur, non neglectis circa eam hypothesibus *Cartesianorum*, quæ excutiuntur, *Burneti*, *Whistoni*, circa quam nonnulla monentur. Autores subdunt suam theoriam, & Cosmogoniam Mosaicam exponunt de systemate solari, nequaquam de omni mundo, licet creationem universi indicari putent *Gen. I, 1.* Per *spiritum*, qui chao disposuit, intelligunt non Spiritum sanctum, sed ventum fortem, aut simile quid, violenter agens. Terram esse centrum universi, negant. Per aquas superiores intelligunt nubes. Montes putant factos per inæqualitatem columnarum terræ illapsarum, solemque ac lunam die quarto non demum creatos, sed terræ demum apparuisse, id quod de ceteris stellis quoque affirmatur. Plantæ, arbores, & bestiæ, existimantur creatæ non binæ, sed copiosæ. In primis plantis & animantibus insitæ sunt formæ singulorum inde nasciturorum. Rabbinorum & *Platonis*, (quidni *Burignoniæ* & *Gichtelii?*) homo primus *hermaphroditus* merito exploditur, nec non fabularum Muhammedanarum insulsitas. Animas humanas adhuc a Deo creari, ostenditur ex *Num. XVI, 22*, nescio, qua firmitate. Judæos credidisse præexistentiam animarum, divinatur ex *Jo. IX, 2.* De Præadamitis accurate ex historia & sacris literis disseritur. Initium anni in loco, ubi Adamus creatus, æquinoctio autumnali respondisse, est probabile. Locus ille haud procul ab *Eden*, prope Damascum. De Sad-

[Margin notes: p. 43. — 51 seq. — 58 seq. — 67 seq. — 68. — 70. — 73. — 78. — 80.]

ducaris traditur, ipſos non exiſtentiam angelorum, ſed appa-
p. 81. ritionem, hiſce ultimis factam temporibus, negaſſe; *Epicurus*,
eos exiſtere, negavit omnino. Additur, eos exſtitiſſe diu
ante ſextiduum, ſiquidem jam affuerint, cum ſidera crearen-
82. tur, *Job. XXXVII*, 7; quare pro veroſimili aſſeritur, præva-
ricationem quorundam anteceſſiſſe ſextiduum. An angeli
gaudeant ſubtili corpore, Autores non definiunt, licet id ſub-
85. indicent. Diabolos ſibi ipſos inferre mala, iidem docent.
Huc usque porrigitur Introductio. Ex Hiſtoria ipſa vel in-
audita, vel ſingularia, eaque pauca, decerpemus, aperte con-
tendentes, egregie ſingula eſſe collecta, connexa, elaborata,
& moderatiſſimis judiciis veluti ornatu teſſellato diſtincta.
88. De ſitu Paradiſi terreſtris varia afferuntur, conſpicui intra
Arabiam felicem, ubi reſtet *Aden*, ex *deliciis* dictum, reſpe-
ctu terrarum ſterilium adjacentium. Qui hæc conſcripſit,
videtur ea de cauſa diverſus ab Autore Introductionis. בדולח
probabiliter eſt *margarita*, quia cum eo manna rotundum
confertur. Nobis videtur, *Edenam* biblicam haud procul
Damaſco exſtitiſſe, ob *Ez. XXVII*, 23, *Eſ. XXXVII*, 12, 2 *Reg.
XIX*, 12, ni ſuperficies terræ per diluvium plane ſit mutata,
94. quod ipſum tamen Autores negant, eo quod Moſes ſitum
Paradiſi deſcripſerit, ratione ætatis ſuæ habita. Nuperrime
Cl. *Jo. Gothofr. Lakemacherus* Phiſonem de Jordane explicuit.
98. Phrat indubie eſt Orontes. Sed hæc mittamus. Vocat nos
protoplaſtorum prævaricatio. Autores hiſtoriam, *Gen. III*
perſcriptam, reputant pro allegoria & emblemate cataſtro-
phæ. Cur ſerpens foret tam callidus? Cur eum non per-
horruiſſet Eva? Serpenti loquelam poſtea fuiſſe ademtam,
cur Moſes diſſimularet? Cur ſerpens olim rectus inceſſiſſet?
Num poſteri Adami, quaqua verſum diſperſi, ad arborem
vitæ, ſi ab ea fuiſſet immortalitatis continuatio petenda, com-
99. meare potuiſſent, verbi gratia ex America? Poteratne illa
ſufficere uſuræ totius generis humani? Sic Autores quærunt.
Solum Satanam intelligi poſſe, ipſis videtur improbabile, ob
comparationem ſerpentis cum beſtiis agri, ipſi ſimilibus *v.* 1.
Probabile igitur putant, ſerpentem fuiſſe inſtrumentum Sa-
tanæ

tanæ, eumque alatum ac fulgentem, qualis obvius est in confiniis Arabiæ & Ægypti, & Evæ in deliciis fuit. Instrumen- p. 101.
ta peccati pœnas simul dare, non insolitum. Arbor vitæ cur
sola & unica fuit suæ speciei? Propagari inde potuissent complures. Ipsa tamen, peccato facto, videtur divinitus desiisse.
Ita objectiones suas enodant Autores. Arborem cognitionis 103.
boni & mali fuisse minus noxiam, sed in documentum obe- 105.
dientiæ præstandæ vetitam, iidem tradunt. חפר est idem ac
colligere & in usus convertere *Job. XVI, 15.* Propagationem
generis humani per coitum in ipso statu Paradisiaco frustra
negarunt *Paracelsus* & Patrum nonnulli. Maledictionem 108.
terræ *Whistonus* exponit per mutatum terræ situm respectu
solis. Colloquium Caini cum Habele, cædem Habeli illatam 111.
præcedens, ex *Targumo* Hierosolymitano & *Jonathane* Au- 121.
tores credunt repetendum, ob lacunam in contextu Ebraico:
Cainum dixisse: *Estne peccatum meum remissione enormius?* 122.
si ita est, exopto, ut obvius quisque me interimat! Signum
Caino datum omnino fuisse miraculum. Habelem fuisse in-
terfectum anno mundi 129, iidem probabile pronuntiant. 124.
De fabulis Judæorum, Muhammedanorum, Sabæorum, ubique insperfis, Autores ipsi sunt consulendi. Columnæ Sethi,
qui *Plutarcho* haud incognitus, exstitisse perhibentur in Æ- 134.
gypto prope Thebas, ubi fuerit terra *Seiriad*, ut eam vocat
Eustathius. *Nephilim* exponuntur per proceros apostatas, 138.
sed *Bolduccus* putat, ipsos fuisse similes Franciscanis. Generatio *Sanchoniathonis* antiquissima, præsidium idololatriæ, 142.
a Caino dicitur deducta. Chrysor in octava generatione post 145.
mortem ritu novo fuit adoratus. Diluvium telluris funestis- 159 seq.
simum Chaldæi, Indi, Persæ, Ægyptii, Chinenses, Syri, aliæque gentes, haud ignorarunt, licet nonnulli id cum inundationibus provincialibus confuderint. Universalitas diluvii egregie demonstratur *p. 161 seq.* licet multæ recenseantur difficultates & hypotheses de copia aquæ sufficientis. *Wilkins*
ostendit solide, animantia potuisse capi ab arca. Arcam fuisse 173.
conditam in territorio Babyloniæ, inter probabilia refertur. 175.
Artes bonas & scientias methodicas ante diluvium excultas, 180.

 meri-

merito negatur. *Jacobus Fridericus Reimmannus*, qui ſcripſit *Hiſtoriam literariam antediluvianam*, & *Maderus*, qui de *Bibliothecis antediluvianis* egit, campum nacti ſunt, in quo ingenium, fictionibus & conjecturis improbabilibus recenſendis indulgens, excurrere poteſt. Autores credunt, terram
p. 181 ſeq. ante diluvium exſtitiſſe incolis magis refertam, quam noſtra ætate. Antediluviani enim præcoci pubertate gaviſos, ac
183. diuturnitate propagandæ ſobolis uſos. Anni lunares ante diluvium haud fuerunt ſupputationis publicæ, ſiquidem nati ſex annos ità jam liberos generaſſent. Si tamen fuere lunares, homines ſimul vixerunt ad minimum 549755813888 anno 1482. *Berovicius* putavit, homines antediluvianos cruda carne paſtos, ideoque diu vitam prorogaſſe. Autores cenſent, cauſam in puritate aeris quærendam. In diluvio novam
186. terræ circumpoſitam fuiſſe cruſtam, & ex hac ratione pateſcere, cur conchylia aliaque maris inſtrumenta in præſens in la-
191 ſeq. picidinis imisque montium abyſſis inveniantur. De montibus Ararath proferuntur varia, eaque exquiſita & admodum docta. Thara fuit annorum 130, cum Abrahamus naſcere-
204. tur, *Whiſtono* applaudente. *Cainan*, qui in pleriſque Codicibus apud *Luc. III*, *36*, habetur, eſt exterminandus. A diluvio ad Abrahamum anni 650 numerantur in codice Samaritano, quos omiſit contextus Ebraici deſcriptor. Autores addunt, hoſce omnino admittendos eſſe, ut exponatur com-
205. modius multiplicatio generis humani poſt diluvium. Sed profanis ſcriptoribus non credendum, ſi Ninum, Semiramidem, Regesque Sicyonios in tempora antiquiſſima rejiciunt, iisque numeroſiſſimos tribuunt exercitus. Jacobi enim adhuc ætate libere fuit commeatum per terras & loca vacua, nulliusque res paſſim ceſſerunt occupanti. Patet id ex vita paſtoritia, & ea quidem vaga, tum exerceri ſolita. Iſraelitæ, Cananæam ingreſſi, eodem jure humano uſi, quod tum ubique a potentia pendebat, forma regiminis democratica & confuſa eo usque libertati ſummæ favente. Rationes tamen
206 ſeq. Autorum pro numero codicis Samaritani ſunt minus impro-
209 ſeq. babiles. Noachum eſſe Sinenſium Imperatorem ac Philoſophum

Digitized by Google

phum *Fobium*, probabiliter asseritur, siquidem Sinensium lingua sit antediluviana, reliquæque ex dispersione Babelica ortæ. Recordamur vero originationis Ebraicæ nominum eorum, quæ primis adhæserunt Patriarchis. Oraculum: *Japhet morabitur in tentoriis Semi, Gen. IX*, 27, exponitur de p. 213.
Imperio Assyrio per Medos Babyloniis adjuncto, & de ditione Græcorum & Romanorum per Asiam. Eodem trahitur locus *Num. XXIV*, 24. *Hermanni Hardtii* opinio de pec- 218.
cato Chami, *Balio* probata, rejicitur, sed ideo tantum, quia peccatum protoplastorum alioqui eadem ratione exponi possit. Nimrodo absterguntur crimina, vulgo ei imputari 220.
solita. Chaldæorum nomen deducitur non a *Chesed*, sed ex parte posteriori vocis *Arphachshad*. Cainan e serie Patriar- 230.
charum ejicitur. Linguam Ebræam sic vocari ab *Eber*, negatur. De origine idololatriæ post diluvium afferuntur va- 233.
ria. Urbs & regio *Sinear* ponitur in tractu inter Euphra- 255 seq.
tem & Babylonem. Semitæ interfuerunt quoque construendæ turri Babel, quam intra templum Beli Babylone fuisse, ponitur magis, quam evincitur. De lingua primitiva doctissime ac solide Autores disserunt, eamque intercidisse docent. *Habel* dicitur denominatus ex יהב & אל, ut notaverit *donum* 276.
Dei: *Babel* ex Syriaco *balbel* i. e. confudit. Imperitiæ cum superbia conjunctæ est signum, ex lingua Ebraica derivare eas linguas, quarum gentes cum Phœnicibus nullum colue- 277.
runt commercium. Videri poterat genus humanum Mosaica recensione longe antiquius, si diversitatem linguarum ex uno fonte sensim & naturaliter pullulasse putaveris. Quare Autores de extraordinaria linguarum confusione tractant fuse, & fatentur, in ea plane novas exstitisse linguas. Modus formationis videtur a differentia denominandi mate- 281.
rias architectonicas pependisse, quas quisque pro arbitrio appellaverat, a concertatione ambitiosa circa diversorum vocabula, a contentione quorundam, qui reliquis sua vocabula obtrudere, linguamque eis imperare tentarunt, ac a dissidio, quo omnes in extrema ierunt, sibique familia quævis jura ὀνοματοθεσίας sumsit, ne aliis videretur inferior. Autores hunc 282.

mo-

p. 287 seq. modum subindicant, sed non expediunt. De ratione multiplicati generis humani post diluvium proferuntur sane non
299. proletaria. Saracenos dici quasi *Sharkiin* i. e. Orientales, ii non approbabunt, qui recordantur urbis *Saraca*, apud *Ste-*
304. *phanum* obviæ. Russos dici ab amne Ros seu Araxe, nuperrime etiam *J. G. Eccard* observavit. Apud *Plinium Hist. Nat. L. V Cap.* 23 vulgo legitur, Hierapolin Syriæ dictam quoque fuisse *Magog*. At *Hydius* in *Notis ad Peritsol. Itiner.*
305. *p.* 42 & *Assemant* in *Bibl. Orient. Vol. II Dissert. de Monophys. ad vocem Mabug* ostenderunt solide, vitium scribentis non esse, sed librarii, ac restituendum esse *Plinio Mabog*. Per תרשיש malumus Tartessidem denotari, cujus conditores e Cilicia fortassis orti. Per Dodanim & Rodanim intelligimus Dardanios seu Trojanos, unde *tuit* & *druit* notant *dominum*. Miramur merito, Autores in rebus etymologicis, Geographicis, ac elegantiam compositionis stilumque pragmaticum respuentibus, ubique nitorem dictionis, ordinem nativum facillimeque profluentem, nexum exquisitissimum, ac meditationes pragmaticas, nec non indefessam rarissimorum optimorumque librorum lectionem, operi adhibuisse. Nihil omittunt, quod quodammodo fini præstituto queat inservire. Si cujus opinionem notant ac rejiciunt, comta & molli quatam utuntur dulcedine. Ubique utile dulci temperatum. Nec facile exstat liber, qui expositioni Veteris Testamenti majorem accendat lucem. Nam Geographica egregie edisseruntur, Philosophica solide immiscentur, indoles incolarum, terræ, ac commerciorum, artiumque, venuste depingitur. Si qua occurrant difficiliora, tum e vestigio methodus accurata, notiones distinctæ, & oratio terse provoluta, omnem abstergunt nauseam legenti. Regnat ubique exquisitissima antiquitatum notitia, nullo cum languore, sed naturali facilitate facem præferente, explanata. Occurrunt usquequaque experimenta, quanto cum usu Hodoporevtici scriptores evolvi
329 seq. possint. Animantia Ægypti nitide percensentur. Ex uno
332. lacu Imperatori Turcico quotannis redeunt, ex piscibus venditis, 40000 thaleri. De papiro, lino, xylino, loto, pira-

midi-

midibus, aliisque rebus memoratu dignis, afferuntur præstantissima. Piramides appellatæ ex *pouro* i. e. Rex, & *misi* i. e. p. 334.
generatio, destinatæ sepulchris & corporum conservationi, quibus nondum consumtis anima inesse putabatur. Ars excludendi in fumis gallinaceos pullos, egregia inter Ægyptios li- 367.
tium decisio citra causidicos, leges politicæ, commercia & 369.
artes, posthæc fuse commemorantur, nec non idololatria, & cetera momenta, eodem referenda. At, cum innumerabilia fere sint, quæ Autores pulchre produxerunt singularia, & ultra terminos recensionis jam evagati fuerimus; non possumus, quin laudibus eos dignemur maximis, continuationem ferventissimis exoptemus votis, & Lectores ad ipsum Opus remittamus.

THEOPHILI SIGEFRIDI BAYERI Museum Sinicum.

Petropoli, ex Typographia Academiæ Imperatoriæ, 1730, 8. Alph. 2.

PAucis illis Germanis, qui abstrusos linguæ Sinicæ characteres noscere allaborarunt, generoso se conatu adjunxit Autor noster doctissimus, & præsens Opus, rara omnino eruditione refertum, ad pleniorem literaturæ Sinicæ culturam publicavit, de cujus origine inter Europæos atque progressu agit in ampla Dissertatione, quam præmisit, lectu dignissima. In ea *Vilelmum de Rubruquis*, *Marcum Paulum Venetum*, *Xaverium*, *Herradam*, *Mendozam*, *Angelum Roccham*, *Nicolaum Trigaltium*, *Martinum Martinium*, *Rogerium*, *Matthæum Riccium*, *Alvarum Semedum*, aliosque Jesuitas Hispanos & Italos, nominat, qui tamen præter unum *Ludovicum de Comitibus*, nihil singulare, ad literas Sinicas melius intelligendas, contulerunt. Plerique enim, controversiis Philosophiæ *Confucii* magis intenti, varios de ea libros ediderunt, quos *p. 15 seq.* recenset. Post illos *Claudium Salmasium*, *Jacobum Golium*, qui *Martinium* præceptorem habuit, *Webbium* & *Hydium*, Anglos, & ex Germanis nostris *Theophilum Spizelium*, *Kircherum*, *Boimium*, *Andream Mullerum*, *Christianum*

ſtianum Menzelium, Copleti & *Grimaldi* diſcipulum, eorumque ſcripta memorat. His eruditiſſimos quosdam Gallos, *Prignovium, Frenetum, Fourmontium, Renaudotium, Delislium, Soucietum, Maſſonum*, ac in fine ſui ipſius ſtudii Sinici hiſtoriam adjecit. In ipſo dein Muſeo hoc, ut inſcribere voluit, & primo quidem ejus Tomo, duo libri Grammaticæ Sinicæ, quam vulgo Mandarinicam vocant, & dein ſpeciatim popularis cujusdam, in provincia Chin Cheu uſitatæ, præcepta, continentur, quibus Epiſtola, a Miſſionariis Tranquebarenſibus ad Autorem de rebus Malabaricis data, propoſitio Clavis Sinicæ *Mülleri*, ejusque ad *Hevelium* Epiſtolæ exemplum acceſſit. In ſecundo Tomo duo Lexica Sinica evulgata ſunt, cum Diatribis quibusdam de originibus Sinicis, ubi *Abdallæ Beidavæi* Annales Sinicos egregie illuſtrat, ac hiſtoriam & Chronologiam Sinicam, ex libri Sinici verſione, notis ſtipata, tradit, & cum ſacra confert, de ponderibus & menſuris Sinicis, de Eclipſi ſolari A. 1669, de doctrina temporis, de Philoſophia *Confucii*, agit. Quæ ipſe in Præfatione *p. 90 ſeq.* fuſius perſequitur, & alias lucubrationes ſimiles promittit, quas ut aliquando emittat, omnes literarum orientalium incrementis cupientes exoptant.

LETTRES DE CICERON A M. J. BRUTUS.

h. e.

NOVA INTERPRETATIO LIBRI SINGULaris Epiſtolarum CICERONIS ad M. Junium Brutum, cum Obſervationibus Hiſtoricis & Criticis, dedicata Sereniſſimo Delphino, Autore DE LAVAL.

Tomi II.

Pariſiis, apud Jo. de Nully, 1731, 12.

T. I pl. 18 ½, T. II Alph. 1 pl. 9.

QUi primum ſe publico, quod ex Dedicatione apparet, committit Autor, non indignabitur, ſi dicamus, quod res

res est, non videri illum provinciæ, quam suscepit ornandam, parem fuisse. Fuisse, inquam. Nam credibile est, si relegit libellum festinatum, ipsum multa jam rectius videre. Nos, qui minime insectandi alios materiem quærimus, cum domi nostræ esse putemus, quod emendemus, faciendum tamen arbitramur, ut intelligant homines, non esse, quod ad interpretationes Gallicas confugiant in locis, non dico difficilioribus, sed valde etiam mediocribus, & ipsi potius per se intelligere bonos scriptores studeant. Si primum intuearis librum, familiaritatem intercedere dicas Autori cum antiquis libris, adeo ab initio præsertim accurate laudanti illorum loca, ut intra paucos versus bis nos doceat, se usum editione *Suetonii* apud *Franciscum Hakium* excusa A. 1647 &c. Sed rursus ea committit, que novum admodum hospitem in illo regno prodant. Et tamen audet severum judicium exercere in *Plutarchum*, qui, ubi de Porcia Bruti ejusque morte agit, (laudat Autor edit. *Wechelianam 1599 p. 1989 & 1009*, nobis ad manus erat *H. Steph. p. 1845,*) duplicem ejus, quantum ad tempus, famam commemorat. Ac primo quidem *Nicolao Philosopho* & *Maximo Valerio* autoribus refert, illam, (audita, ut fert series orationis, morte mariti) frustra mori prohibentibus amicis, per pruna ore hausta necem sibi conscivisse. Subjungit vero, circumferri epistolam Bruti ad amicos, qua illos accuset, qui ipsam mori non prohibuissent, cum morbo quodam animi decedere de vita decrevisset. Ἔοικεν ὖν, inquit, ὁ Νικόλαος ἠγνοηκέναι τὸν χρόνον. Non repetemus portentosa vitia, quibus scatent verba Græca *Plutarchi*, ut Autor illa laudavit, & quam absurde illorum filum abruptum sit. Sed quis quæso hinc exsculpat, accusari a *Plutarcho Nicolaum*, non bene illi cognitam fuisse *historiam temporis, quam scripserit.* Atqui hoc tribuitur *Plutarcho*, & gravibus verbis sententia in illum dicitur, qui sine causa alium reprehenderit, cum tamen modestissime *Plutarchus* dicat, si modo suppofititia non sit illa epistola, quod & ipsum dubitat prudenter, *Nicolaum videri*, quid? non historiam profecto illius temporis, sed *tempus*, quo necem sibi consci- p. 130.

 vit

Digitized by Google

vit Porcia, ignoraſſe. Quæ porro per hanc occaſionem in *Plutarchum* dicit, indigna ſunt relatu, nedum refutatione ſe-
p. 128. ria. Quæ paullo ante de vulnere, quod Porcia ſuo ipſa femori inflixit, commemorat, negligenter ibidem ex eodem *Plutarcho* excerpſit, ut vix, quorſum illud pertinere ipſa Porcia voluerit, appareat. Hoc eſt ſpecimen vitæ Bruti. Videamus interpretationem epiſtolæ primæ. *Clodius - - valde me amat, quod cum mihi ita perſuaſum ſit, non dubito, (bene enim me noſti,) quin illum quoque judices a me amari.* Poſteriora ita vertit; *vous me connoiſſez trop bien, pour que je faſſe difficulté de croire, qu'étant perſuadé, comme je le ſuis, de la ſincerité de ſes ſentimens a mon egard, vous ne penſiés auſſi que je le chéris pareillement.* Cui hæc legenti *Ciceronis* digna facilitate atque elegantia, in re ita facili, videbuntur? In his, quæ mox ſequuntur, *quo tuus animus a ſe eſſet alienior,* re ciproca *ſe* haud dubie ad Clodium pertinet; ſed pervertit ſententiam Interpres, referens illam ad ipſos delatores, de quibus ſermo eſt. *Ejus ipſius beneficii magna pars a te eſt.* Aliter locuturus erat *Cicero*, ſi voluiſſet *la meilleure partie. Eum* (Antonium) *ſalvis nobis vellet eſſe ſalvum* Clodius. *In eum autem locum rem adductam intelligit (eſt enim, ut ſcis, minime ſtultus,) ut utrique eſſe ſalvi non poſſint* : itaque *nos mavult. Il ſouhaiteroit, qu'il ne lui arrivat aucun mal,* lorsque nous ſerons *en ſureté;* parce qu'*étant homme de bon ſens, comme vous le ſavéz, il comprend bien, que la choſe en eſt au point, qu'il eſt neceſſaire, que l'un des deux parties ſuccombe. Cette conſideration lui fait prendre le nôtre.* Non mirum eſt, qui his interpretibus utuntur ſolis, illos putare, nihil eſſe *Cicerone* inſipidius. *Si quis ſecus ad te ſcripſit,* de ſuo addit *ſi quelque mal intentionné* : ille *neſcio quis* reddit *des inconnus,* quod plane aliam vim habet. In fine, *Clodium exiſtima talem, qualis & prudentiſſimus, & fortuna optima eſſe debet*, h. e. qui tanquam dives & bene de re familiari conſtitutus, rempublicam potius eſſe vult, quam tyrannidem. Sed quid Noſter? *qu'on doit trouver dans des circonſtances plus heureuſes.* Talis eſt interpretatio,

tio. Videamus Notas ad Epiſtolam. Hic grano ſalis opus eſt, cum dicit, Dolabellam per vim occupaſſe Conſulatum interfecto Cæſare *avoit été Conſul par invaſion aprés la mort de Céſar*. Conſul certe jam deſignatus erat ſufficiendus Cæſari, ipſo vivo. Acta autem Cæſaris ejus generis valuiſſe conſtat. Dicitur *Dolabella quinque cohortes miſiſſe in Cherſoneſum*, Thracicam haud dubie, in quam Dyrrhachio Apolloniaque exercitum duxerat Brutus, in quam ex Aſia trajectus erat Dolabellæ facilis, quæ vicinia prima & proprie *Europæ* nomen habuit, quam *appetere* hic dicitur Dolabella. Quid igitur in mentem venit Noſtro dicere *Cherſoneſum* hodie vocari *Cap Melaſſe* in ora ſeptentrionali Siciliæ? Cogitabamus, quid in hanc mirabilem ſententiam impellere illum potuerit. Neque vero quidquam aliud comminiſcimur, quam quod *Ortelius*, & ex illo haud dubie alii quoque id genus libri, obſervant, *Cherſoneſi* nomine, ut alia fere promontoria, ita & hoc Græcis nonnunquam venire. *Dyrrachii* nomen cur Gallice quater *Dyrrachie* intra paucos verſus ſcribatur, non divinamus, cum tamen etymologia ejus a δὺς & ῥαχία afferatur: qua quidem obſervatione facile cariturì erant lectores, ut pleriſque aliis: ſed illud, credimus, expectabant, ut nos doceret Interpres, qui ſint *Catonii;* quos ex corrupta lectione retinet, & vertit *les ſoldats de Caton*. Sed fraudi non hic tantum fuit Noſtro, quod non vidit *Manutii* Commentarium, contentus editione *Verburgiana*, ſeu, ut ipſe appellare mavult, *Wetſteniana*. Si volet in poſterum in *Cicerone* popularibus ſuis explanando operæ aliquid ſumere vel ipſe, vel ex hoc genere interpretum aliquis, is & lectoribus ſuis & ſuæ famæ longe melius conſulet, ſi *Manutianas* interpretationes, quam commodiſſime poſſit, reddat, quam ſi hiſtoricas & criticas nobis obſervationes magno hiatu promittat, & præſtet, quales ab aliquo inde tempore non ſine gemitu eorum, qui favent gentis illius & literarum adeo gloriæ, prodierunt. Parcimus dicere, quæ dictat indignatio, cum videas *Plutarchos Manutios*que vapulare his hominibus, qui, ut mitiſſime dicamus, paginam nullam alterutrius, quod res ipſa loquitur, intelligunt.

p. 22.
28.

 EX-

EXPOSITION ANATOMIQUE DE LA Structure du Corps humain &c.

h. e.

EXPOSITIO ANATOMICA STRUCTURÆ corporis humani, per JACOBUM BENIGNUM WINSLOVIUM, ex Academia Regia Scientiarum, Doctorem regentem Facultatis Medicæ in Academia Parisiensi, Seniorem Professorem Anatomiæ & Chirurgiæ ejusdem Facultatis, Interpretem Regis in lingua Teutonica, & Societatis Regiæ Berolinensis Socium.

Amstelodami, sumtibus Societátis, 1732, 12 chart. aug. T. I pl. 19, Tabb. æn. maj. 4, T. II pl. 19, T. III pl. 18, T. IV pl. 18.

SAtisfecit spei opinionique omnium Celeb. Autor, edito hoc, quod impatientius quodammodo expectatum fuit, præstantissimo Opere, quo omnem rem Anatomicam tam scite accurateque complexus est, ut non solum idem, cum a primo suo prelo Parisiensi adhuc sudaret, apud Batavos ad prelum revocaretur, præcipue, quod Parisiensis editio copiosioribus mendis mirum quantum fœdata esset, sed apud Germanos quoque & Britannos de eodem Germanice & Anglice vertendo confestim cogitaretur. Divisus est liber in quatuor Tomos, quorum primus doctrinam ossium, alter musculorum, tertius vasorum, & quorundam abdominis viscerum, quartus denique reliquorum abdominis viscerum, pariterque thoracis & capitis, & præcipuarum glandularum, persequitur. Cum eundem ordinem, quo *Vesalius* in magna sua Anatomia usus est, retinere constituerit, sine omnibus προλεγομένοις mox tractationem de ossibus primo siccis, atque deinde, *Riolani* exemplo, etiam de ossibus recentibus, aggreditur, qua posteriori, maximo inprimis rei chirurgicæ emolumento; quorumvis ossium cartilagines, ligamenta, membranas, periostium, glandulas mucilaginosas, medullam & vasa,

Digitized by Google

& vaſa, uno verbo, cujusvis oſſis in ſtatu naturali conditionem, nexumque diligenter enarrat. Neque minori cura de muſculis cum generatim, tum ſigillatim, agit, ut in hac doctrina accuratius conſtituenda præcipuum poſuiſſe laborem videatur; quanquam eos omnes, qui non unice oſſibus inſeruntur, ob rationem inferius commemorandam adhuc in hac tractatione prætermittat. Ut plurimum omnes corporis humani muſculos, ſecundum uſus, quos habent, particulares, diſtributos appellatosque eſſe conſtat. Hinc alios numeramus capitis muſculos, pectoris alios, alios abdominis, &c. Atque hi iterum pro ſingulari & determinato ſuo uſu nominibus diſtinguuntur, ut alii adductores, alii abductores, alii flexores, alii extenſores &c. vocentur. Quam quidem rationem inſervire memoriæ, tolerandamque in iis eſſe muſculis, qui vel plane non, vel una tantum parte, oſſibus inſeruntur, Cl. Autor putat. Verum, quod ad muſculos unice oſſibus inſertos attinet, ea facile efficit, ut tirones in vanos errores ſeducantur, ignorantia ſuſtentetur, ipſique idonei alias Phyſici, Medici, & Chirurgi, lapſibus inſignioribus obnoxii reddantur. Quam facile enim eſt, hoc modo e. g. ſibi perſuadere, quod partes, quibus certus numerus muſculorum determinatorum tribuitur, non per alios etiam moveri, & viciſſim, quod muſculi certis partibus adſcripti non alias etiam partes agitare, neque minus, quod muſculi, quorum uſus certis nominibus circumſcriptus eſt, non alios etiam præſtare, & demum, quod muſculi ita appellati omnes hos uſus, in diverſo partium, quibus inſeruntur, ſitu conditioneque, efficere queant. Interim tamen neceſſitas ad ſublevandam memoriam poſtulat, ut muſculi in certas claſſes redigantur, cum peculiari cujuslibet harum claſſium ſubdiviſione. Ad evitandam itaque hanc inconvenientiam, ratione muſculorum, unice oſſibus inſertorum, non retinet nomina, petita a partibus, quibus vulgo ii muſculi attribuuntur, uſibusque, qui iis adſcribuntur, ſed congrua magis ſubſtituit. Ita e. g. loco denominationis, *muſculi brachii*, nunc præfert, *muſculi, qui movent brachium ad ſcapulam, & ſcapulam ad brachium.* Deinceps, expoſitis iis, qui ordinarie ad hanc claſſem

refe-

referuntur, alios quoque associat brachio movendo idoneos. Demum vero indicat usus, qui a musculis illis ratione aliarum partium proficisci queunt. Et in singularibus musculis e. g. elevatorem scapulæ vocat angularem, erectores penis musculos ischio-cavernosos, & acceleratores musculos bulbo-cavernosos, atque ita in compluribus aliis. Antiquiora tamen & usitata nomina commemorat semper post ea, quæ convenientia magis & naturalia esse credidit. Ab iis vero nominibus huc usque receptis, quæ insertionem tantum musculorum, aut alias quasdam circumstantias, notant, quantum fieri potuit, sibi non recedendum esse existimavit, ne novitatis studiosior esset, aut esse saltim videretur. Atque hac quidem ratione necesse omnino fuit, ut prius suis sub classibus omnium, qui ossibus unice inseruntur, musculorum ortus, progressus & insertiones, & quæ alia eo pertinent, persequeretur, quam de usibus eorum ageret, de quibus in fine seorsim disputat, quoniam tantam inter se relationem habent, ut difficillime usus unius sine commemoratione alterius explicetur. Operæ inprimis quoque pretium sibi fecisse videtur duabus tabulis, ad faciliorem reddendam musculorum notitiam, magnosque in Medicina & Chirurgia practica usus præstandos comparatis, quarum altera summatim & uno velut conspectu sistit quosvis musculos, qui ossibus unice inseruntur, cum enumeratione, mox sub quovis musculo subnexa, ossium, quibus inseritur musculus, sive ea moveat, sive minus; altera autem eodem modo exhibet ossa, in tractatione musculorum commemorata, cum enumeratione singulari, quot & quos musculos recipiant. In vasorum doctrina, de arteria magna, vena cava, & portæ, nervorumque systemate, non solum generatim, quod ad eorum distributionem attinet, sed sigillatim etiam de singulis ramis & ramusculis tractat, vasa autem pulmonaria pulmonum explicationi reservat. His ad finem perductis, terminos, ut vocant, Anatomiæ communissimos explicat, summatim partes corporis humani, cum divisione generali, arteriasque, venas, & nervos cujusvis partis, eodem, quo in musculis, modo enumerat,

Digitized by Google

merat, (quorum omnium, quod hoc demum, quaſi alieno, loco enarrantur, rationem in Præfatione affert,) ad hiſtoriam integumentorum, pilorum & unguium, progreditur, & demum ſplanchnologiam exponit. Atque in hac, quanquam de omnium vaſorum diſtributionibus ſuperius copioſe admodum egit, ſingularum tamen partium ramos repetit ſuo loco, & quam accuratiſſime perſequitur. Muſculos etiam in ſecundo Tomo prætermiſſos & partibus inſertos, ſuo etiam loco e. g. muſculos oculorum in doctrina de oculis ſiſtit, intercalato etiam, poſt ſuam de cerebro tractationem, eleganti *Stenonis* de eodem argumento ſermone, quod is ipſi velut exemplum fuit, quod ſibi in omnibus ſuis conatibus & laboribus Anatomicis ad imitandum propoſuit, & rarior huc usque factus, multa egregia de cerebro refert. Placuit Celeb. Autori, ut hoc ratione externæ formæ moneamus, Opus non in libros & Capita dividere, ſed in Tractationes tantum particulares, quarum titulus denotat argumentum, de quo agit. Indicantur autem præterea per titulos ſubalternos, uncialibus pariter literis expreſſos, articuli diverſi cujusvis argumenti, qui deinceps, prout rei neceſſitas id exigit, in minutiora ſegmenta divelluntur, hæcque numeris, per quamlibet tamen Tractationem continuis, diſtinguuntur, ut in diverſis editionibus eadem conſervari queat allegandi ratio. Singulis autem Tomis ſecundum hanc ſeriem præmittitur indicis loco titulorum articulorumque conſpectus. Ceterum vero conſtitutum Autor habuit, Opus quoddam contexere ſimplex & dogmaticum, quod eas aperiret ratione corporis humani veritates, quas per copioſas ſectiones experientiamque complurium annorum confirmatas eſſe cognoviſſet. Quapropter abſtinuit etiam a multis hiſtoriis, circumſtantiis peregrinis, controverſiis, allegationibus & teſtimoniis. Quod tamen ipſi eo vertendum non eſt, ac ſi negligeret contemtiusque haberet magnorum virorum merita. Quin potius in Opere quodam latino Chronologiam aliquam Anatomicam ſe daturum eſſe pollicetur, ut ſuum cuique tribuatur, & pateat omnibus, multos eſſe deceptos, dum crediderunt, nova ſe & in-

cognita detexisse. Idem illud consilium, solam corporis humani structuram, quoad ea per sectiones cognoscitur, exponendi fuit etiam in causa, quo minus de usibus partium copiosius disputaret, sed interdum eos attingeret quidem, si cum mechanismo partis consentirent, in nonnullis vero partibus plane omitteret, atque in argumento difficili & perplexo suam quoque fateretur ignorantiam, excitaturus eo ipso alios, si forsan feliciori progressu rem expedire iis liceret. Quam vero suscepit exponendæ corporis humani structuræ provinciam, eam tanta dexteritate ornavit, ut neminem tam invidum fore suspicemur, qui ipsi diligentissimi, accuratissimique Anatomici laudem dubiam reddere non vereatur. Quicquid enim ab aliis vix tribus verbis descriptum fuit, id Noster adeo exacte, atque adeo copiose, exponit, ut omne, quod in humani corporis fabrica est, artificium, quoad illud humani ingenii vis assequi potest, hic velut evolvatur, oculisque omnium usurpetur. Quare, dum minutissima quævis persequitur, fieri non potuit, quin varios aliorum lapsus emendaverit, variisque rem Anatomicam accessionibus auxerit. Vix est in ossibus foraminulum vel eminentia, quanquam maxime exigua, vix cartilago & ligamentum, quæ non vidit, quæ non exacte notavit. Vix in musculis ullus fibrarum ordo, vix nexus cum vicinis partibus, duris mollioribusque, quem non perquisivit. Vix ullum arteriarum venarum, nervorumque, iter tam longum, tam perplexum, & anfractuosum, quod non magna diligentia, eo usque donec vasculum omni oculorum aciei se subduxerit, pervestigavit. Et in omni viscerum organorumque apparatu, quid est tam absconditum, quid adeo complicatum contortumque, quod Noster non produxit in lucem & velut eviisceravit. Ut taceamus, candide identidem ab ipso aperiri eas artes, quibus ipse in præparationibus demonstrationibusque Anatomicis uti consuevit. Quæ diligentiæ accuratissimæ laus eo erit confirmatior, si aliorum Anatomicorum experientia fidesque accesserit, viderintque plures, omnia, prout a Nostro exponuntur, naturæ rerum esse quam maxime consen-

taneæ.

ranea. In tanta rerum copia describenda, ne moles pretiumque libri augeretur, usus est stilo presso, conciso, & fere laconico, quo tamen clare & perspicue omnia traduntur; præterea & simplicitatem dictionis consectatus est, exterorum inprimis in gratiam, ne gallicismi & alia sermonis ornamenta ipsis impedimentum quoddam afferrent. Naturalem quoque & simplicem ordinem tironum præcipue causa per totum librum tenuit, nec unquam ad incognitas partes digressus est, dum insistit iis, quas data opera cognitas reddere conatur; nec quicquam in narratione occurrere passus est, cujus non ex antecedentibus idea generalis constaret. E.g. in tractatu de musculis eos tantum proponit, qui ossibus unice inseruntur, quoniam de iis jam ante dictum fuit. Reliquos autem, qui ad viscera vel organa certa pertinent, tunc plane prætermittit, e. g. musculos laryngis, quod sine prævia hujus notitia locum insertionis tiro non rite assequeretur. Nihil itaque in toto hoc Opere adeo desiderandum erit, quam figuræ accuratæ & nitidæ, quæ decus ipsius insigniter aucturæ fuissent. Addere easdem Cel. Autor constituerat, verum accuratas, & se inspectante incisas; quales tamen, cum complures maturationem Operis exposcerent, ob temporis angustiam perfici non potuerunt. Hinc singulare Opus pollicetur, Tabulis minimum viginti quatuor æri in forma maxima incisis constans, cum quibus in quovis latere explicationem Latinam & Gallicam conjunget. Quanquam enim suasores autoresque nonnulli fuerunt, ut indicaret figuras, in aliis Operibus Anatomicis obvias, quas accuratas esse crederet; fatetur tamen ingenue, exiguum se earum nosse numerum, quarum magna præterea pars in libris admodum imperfectis, & non adeo magnæ existimationis, & ad turbanda magis tironum ingenia comparatis, occurreret, ut probabit in singulari Commentario de Figuris Anatomicis generatim, sigillatimque *Casserii*, *Eustachii*, & *Vidi Vidii*. Cum tamen nonnulli id enixe contenderent, Tabulas *Eustachianas* XXV, XVIII, XLI & XLII cum explicatione *Lancisiana* Tomo primo præmisit. Omnia ea, quæ liber hic habet egregia, exhibituris, non

 breve

breve ejus elogium, ſed Volumen vaſtæ magnitudinis ſcribendum foret. Ipſe vero etiam ſelectus in tanta rerum ubertate difficilis eſt. Pauca igitur pro more noſtro quam breviſſime huc afferemus, ut hac velut promulſide ad ipſas dapes Lectores invitemus. In tractatione igitur de oſſibus ſiccis præclare diſputat *n.* 84 ſeq. de coalitu oſſium ex variis laminis filamentisque diverſæ magnitudinis, eorumque ſubſtantia vel compacta aut ſolida, vel cellulari aut ſpongioſa, vel reticulari; *n.* 101 de cavitatibus oſſium internis triplicis generis, cavitatibus nimirum magnis, cellulis, ductulis & poris in ipſa oſſium ſubſtantia ſolida, & aliis quidem tenuioribus, aliis grandioribus, quæ exemplo oſſis femoris illuſtrat, *n.* 518 de mechanica & uſibus ſpinæ dorſi. *N.* 134 ginglymum in angularem & lateralem diſtinguit. Poſterior idem eſſe videtur cum trochoide *Heiſteri*. Inter juncturas amphiarthroſi locum concedit. *N.* 152 diviſionem vulgarem in ſymphyſin ſine & cum medio rejicit, quoniam prior, cujus exemplum afferri ſolet maxilla inferior, non conſpicitur, niſi in formatione oſſium nondum perfectorum, neutiquam autem in connexione. Hinc priorem ſymphyſin oſſificationis, poſteriorem vero articulationis, vocat. Quamvis & illa retineri diviſio queat, ſed in alio ſenſu. Symphyſis ſine medio eſt, quando oſſa conjuncta ſe ſuſtinent eo in ſtatu, per ſe ipſa & per ſolam ſuam conformationem, ut v. g. oſſa parietalia ſe invicem ſuſtinent per denticulos ſuos tenues mutuo immiſſos. Symphyſis autem cum medio fit, ut ab omnibus traditur, vel per cartilaginem, vel carnem, vel ligamentum. *N.* 236 ſinum ſphenoideum ordinarie duplicem eſſe, *n.* 463 connexionem vertebrarum per apophyſes minores fieri per arthrodiam, & neutiquam per ginglymum, *n.* 506 præter apophyſes ordinarias quamvis lumborum vertebram duas alias exiguas, quæ velut acceſſoriæ duarum ſuperiorum eſſent, habere, obſervat. Diviſiones quoque variorum oſſium in ſuas partes, e. g. *n.* 243 oſſis ethmoidis *n.* 316 oſſium palati, *n.* 787 aſtragali, *n.* 791 calcanei &c. memoriam facilioremque oſſium cognitionem multum juvant. Ex tractatione de oſſibus recenti-

centibus ea hic tantum attingimus, quæ *n.* 35 ſeq. de ligamentis capſularibus, quæ liquorem quendam mucilaginoſum & glutinoſum continent, commemorat. In doctrina de muſculis generatim hinc inde egregia affert. Quorſum referimus, quæ de eo, quod omnes muſculi, qui movere valent, cooperentur, utut non eodem gradu actionis & niſus, ut pars quædam moveatur, ſeu certo in ſitu teneatur, hincque de muſculis cum motoribus principibus, tum moderatoribus, denique directoribus motus determinati, item *n.* 50 de eo, quod nonnunquam muſculi, qui utplurimum certos motus producere credantur, nihil plane eo contribuant, motusque debeantur unice relaxationi determinatæ lateris oppoſiti, h. e. antagoniſtarum, hincque actio muſculorum generatim conſiderata non minus realiter conſiſtat in relaxatione fibrarum motricium abbreviatarum, quam in abbreviatione determinata fibrarum motricium relaxatarum; *n.* 55 quod vis muſculorum debeatur multitudini aut pluralitati fibrarum carnearum, & magnitudo aut amplitudo motus eorum debeatur longitudini harum fibrarum, *n.* 58 de comparatione muſculorum oſſibus unice inſertorum cum potentiis vectium, diſſerit. In myologia ſpeciali exhibet *n.* 295 metacarpium parvum muſculum, admodum carnoſum, oblique poſitum inter magnum ligamentum transverſale, ſeu annulare internum carpi, & totam faciem internam quarti oſſis metacarpi, qui huc usque pro muſculi, minimo digito deſtinati, portione habitus fuit. *N.* 422 muſculum faſciæ latæ, quem non eſſe eundem cum faſcia lata, *n.* 359 eleganter deſcripta, ut creditum antea eſt, oſtendit, neque enim faſcia lata eſt expanſio tendinoſa muſculi hujus, ſed ligamentum muſculare diſtinctum. Muſculus autem faſciæ latæ parvus eſt, inſertusque ſpinæ anteriori ſuperiori oſſis ili, inter inſertiones glutæi medii, & ſartorii. Venter muſculi poſitus eſt inter duas laminas faſciæ latæ, inſeriturque per fibras tendinoſas admodum breves, quæ evaneſcunt in aponeuroſi verſus latus dextrum, ubi trochanteri majori & tendini glutæi majoris adhæret. *N.* 533 muſculum acceſſorium flexoris longi digitorum pedis, ſeu plan-

Digitized by Google

plantarem verum, qui inferitur per unam partem carneam posterius faciei inferiori calcanei, & elevationi anteriori ejusdem faciei; per alteram vero partem ligamento vicino, quod hoc os cum astragalo conjungit. Postea portiones hæ duæ progrediuntur ad mediam plantam pedis, & constringunt se in massam muscularem planam longam & inæqualiter quadratam, quæ inseritur extremitati tendinis, vel fasciæ tendinosæ flexoris longi communis. *N.* 540 transversalem digitorum pedis, qui inseritur per unum tendinem communem admodum brevem lateri externo baseos primæ phalangis pollicis, conjunctim cum eo, qui anthitenar vocatur, & per tres diversas partes tanquam per tot digitos aut tria ligamenta interossea, quæ efficiunt connexionem lateralem capitum quatuor ossium metatarsi post pollicem; *n.* 547 metatarsium, qui inseritur ex una parte parti anteriori grandis tuberculi ossis calcanei, post progreditur antrorsum, & terminatur per speciem tendinis brevis, qui inseritur tuberculo, & parti posteriori faciei inferioris quinque ossium metatarsi; *n.* 635 transversalem superiorem secundum, qui oritur ab apophysi transversa secundæ colli vertebræ, inseriturque in eandem apophysin vertebræ primæ; *n.* 621 complexum minorem, sive mastoideum lateralem, quem sæpe per errorem pro parte longissimi dorsi haberi putat; *n.* 636 musculos parvos accessorios, vel supernumerarios; inseruntur apophysi transversæ primæ colli vertebræ; post insertionem obliquam ejusdem lateris adscendunt oblique, & inseruntur post apophysin mastoideam; *n.* 667 transversalem colli magnum, musculum longum & tenuem, situm secundum longitudinem apophysium transversarum colli omnium, dorsi autem quatuor, quinque aut sex superiorum, inter complexum majorem & minorem; *n.* 669 transversalem gracilem, seu transversalem collateralem colli, musculum longum & tenuem, magno non dissimilem, excepta sola magnitudine. Habitus est ut plurimum pro parte sacrolumbaris. *Diemerbrock* appellavit cervicalem descendentem; *Steno* autem accessorium sacrolumbaris. *N.* 670 semispinosum sine transversalem spinosum colli,

Digitized by Google

colli, qui ſitus eſt inter apophyſes ſpinoſas & transverſas, a ſecunda colli vertebra ad medium dorſi, compoſitusque eſt ex pluribus muſculis minoribus, qui in externos & internos dividuntur; *n.* 707 ſpinoſos minores dorſi, quorum alii progrediuntur ab una extremitate ſpinoſa ad alteram, alii poſiti ſunt directe inter extremitates ſpinoſas duarum vertebrarum vicinarum, & ſeparati a ſe per ligamenta ſpinoſa; *n.* 709 transverſales dorſi minores, qui maximam partem ex continuatione partium transverſalium majorum oriuntur, ſiti inter apophyſes transverſas ſatis bene etiam intertransverſales appellantur. *N.* 710 ſemiſpinoſum aut transverſalem ſpinoſum dorſi, qui pariter ut ſimilis colli muſculus conſtat ex pluribus muſculis, qui commode in internos & externos dividuntus; *n.* 715 ſpinoſos lumborum majores, a ſpinis nothis ſuperioribus oſſis ſacri, ad apophyſes ſpinoſas vertebrarum lumbarium inferiorum; item ſpinoſos minores, ſitos inter ſpinas vertebrarum lumbarium; transverſales quoque minores, ſitos inter apophyſes transverſas. Animadvertit præterea *n.* 149, muſculum rhomboidem diviſum eſſe in duas portiones, ſuperiorem & inferiorem, *n.* 163, muſculum dentatum majorem ex duobus planis, majori minorique, compoſitum eſſe, majusque iterum ex duabus partibus diverſis, ſuperiori & inferiori, eſſe conflatum, *n.* 176, deltoideum conſtare 18 vel 20 muſculis ſimplicibus, ex oppoſito inter ſe diſpoſitis, & per tendines intermedios junctis, *n.* 181, eundem commode dividi in tres partes principes, quarum una inſeritur ſpinæ ſcapulæ, altera acromio, & tertia claviculæ; *n.* 185 pectoralem majorem, ex duabus partibus ſuperiori & parva, quæ & clavicularis dici poſſet, & inferiori ſeu magna, quam & thoracicam dixeris; *n.* 316 perforantem ex quatuor muſculis inter ſe fortiter per portiones carneas unitis; *n.* 322 profundum, & *n.* 327 extenſorem quatuor digitorum, *n.* 394 tricipitem muſculum femoris ex tribus conſtare, *n.* 575 ſcalenum in utroque latere duplicem, primum & ſecundum, eſſe, *n.* 598 triangularem ſterni ex pluribus conflari, quos Sterno-Coſtales Noſter appellat; *n.* 662 longiſſimum dorſi ex duabus partibus

tibus, ſuperiori & inferiori, *n.* 729 maſſeterem ex tribus, externa ſeu majori, media, & interna ſeu minori, *n.* 735 Crotaphiten ex duobus planis carneis, interno & externo; componi, *n.* 708 transverſalem dorſi conſiderari poſſe ut muſculum acceſſorium longiſſimi dorſi, *n.* 719 adeſſe interdum velut lumbarem externum particularem, qui faciei poſteriori majoris ſeu quadrati lumborum fortiter adhæret, *n.* 756 mylohyoideum eſſe muſculum imparem, ſecus ac alii tradunt, eumque repræſentare tantum muſculum digaſtricum, & conflatum eſſe ex duabus partibus æqualibus, per tendinem inter ſe junctis. *N.* 638 de muſculis vertebrarum generatim conſideratis egregia quædam monet, ad tollendas difficultates in earum doctrina huc usque obvias. Ubi de uſibus agere ingreditur, multa præclare diſputat, illis obſervanda, qui eos perveſtigare elaborant. Ipſe hos acriter perquirit & determinat, novos & a nemine adhuc obſervatos multos producit, pluresque aliorum errores emendat. Ut unicum exemplum afferamus, creditum huc usque eſt, os cubiti ad pronationem & ſupinationem nihil conferre, ſed ſolum radium. Sed oſtendit Noſter, quod in motibus liberis, & ſine coactione factis, velut circa axin communem duo oſſa cubiti eodem ſe tempore ſemper moveant. Ex vaſorum doctrina placent, quæ de arteria laryngea, maxillari externa, coronaria labiorum, maxillari interna, ejusque tribus ramis majoribus, ſphænomaxillari, ſphænoſpinoſa, thymica, pericardiaca & tracheali, cervicalibus, baſiliari, auditivis, meningeis, humerali, interoſſeis cubiti, pylorica, cyſticis & biliaria, colicis, lumbaribus, iliaca minori, podicæa, iſchiadica, obturatrice, plantaribus, itemque de venis, thymica, pericardiaca, tracheali, ſubhumerali vel articulari, venis ſatellitibus arteriæ brachialis, cubitali interna, obturatrice, tibialibus, & plantaribus, commemorat. *N.* 228 venam portæ reſpicit, tanquam ex duabus venis magnis compoſitam. Alter truncus magis ad hepar pertinet, alter magis ad ventriculum, inteſtina, pancreas, lienem, meſenterium, & omentum. Priorem dixeris venam portæ hepaticam, vel ſuperiorem, vel minorem, cujus truncus ordina-

dina-

Digitized by Google

dinarie ſinus venæ portæ appellatur; alterum vero ventralem inferiorem ſeu majorem, qui poſtea dividitur in tres ramos principes, venam meſeraicam, ſeu meſeraicam majorem, ſplenicam, & hæmorrhoidalem, ſeu meſeraicam minorem. Ex nervorum doctrina id tantum repetimus, a Noſtro *n.* 357 deſertam eſſe vulgarem de ortu nervi intercoſtalis opinionem, ac ſi a filamento paris ſexti & duobus paris quinti originem trahat, ex quibus enaſcatur nervus admodum gracilis, qui retrogrediatur, ut exitum ſibi per canalem oſſeum apophyſeos petroſæ oſſis temporum paret, atque incrementa pro menſura deſcenſus capiat. Inde enim a viginti annis obſervavit, filamenta ea potius a baſi cerebri adſcendere cum carotide interna, & progredi antrorſum verſus, ut ſe cum ſexto & quinto pari conjungant, angulumque ejus unionis cum duobus paribus inclinatum antrorſum, & perquam acutum eſſe, ut adeo haberi pro nervo recurrente neutiquam poſſit. Hinc opinatur, id quod pro prima radice & velut trunco deſcendente nervi intercoſtalis reputatum eſt, eſſe ramum adſcendentem, qui ingreſſu ſuo in cranium ſe diviſit in filamenta, & per hæc cum duobus dictis paribus arcte ſe conjunxit. In tractatione de integumentis & pilis *n.* 10, papillarum nervearum in cute figuram pyramidalem, quæ generatim iis tribuitur, non eſſe naturalem, *n.* 18, corpus reticulare *Malpighii* eſſe textum vaſculorum ſubtiliſſimorum, contendit, *n.* 59 inſenſibilem tranſpirationem experimento illuſtrat. In tractatione de abdomine *n.* 24 obſervat, peritonæum non ex duplici lamina proprie loquendo conflatum eſſe, ſed internam tantum mereri nomen laminæ membranoſæ, externam autem eſſe velut apophyſin fibroſam aut folliculoſam internæ, dicendamque potius eſſe textum cellularem internæ. *N.* 32 novos duos peritonæi proceſſus enumerat, alterum, qui ſe extendit ſuper collum veſicæ, alterum, qui perpetuo rectum comitatur; *n.* 47 ſitum ventriculi accurate determinat; *n.* 56 tunicam ventriculi, & *n.* 94 tunicam inteſtinorum muſculoſam in duas laminas dividit, in quibus ductus fibrarum accurate exponit. *N.* 179 ſphincteres ani tres numerat, muſculum inteſtina-

lem vel orbicularem, musculum cutaneum vel ovalem majorem, superiorem aut internum, & minorem inferiorem aut externum. *N.* 213 quatuor classes venarum lactearum constituit, & ad quartam classem inprimis refert vasa lactea intestinorum crassorum, sæpius a se observata & demonstrata. *N.* 324 pancreas minus describit, quod instar processus cujusdam ex majori pancreatis extremitate, ubi annexa est curvaturæ duodeni, egreditur, & inferius sub portione sequenti intestini combinatur. Habet etiam peculiarem suum ductum, qui in extremitatem ductus majoris, interdum etiam separatim in duodenum, aperitur. *N.* 337, lienis vascula minima tandem in cellulas textu lanuginoso præditas interjectis hinc inde acinis glandulosis abire, asserit. *N.* 356 epiploon minus a majori ratione voluminis, figuræ, situs & connexionis, discrepare, & esse saccum parvum, partim curvaturæ minori stomachi, partim concavæ parti hepatis post sinum venæ portæ annexum, tenuiorem præ majori, & magis transparentem, cujus capacitas minuatur gradatim a peripheria oræ usque ad fundum, fundumque hunc in quibusdam terminari per minores cavitates, vel fossulas, hinc inde pertusas, structuram vero alias cum majori convenire, contendit. *N.* 359 aperturam omenti indicat, *n.* 365 appendices adiposas coli & recti, strataque adiposa coli habet pro supplementis omenti, *n.* 570 musculos accessorios acceleratorum penis, vel acceleratores laterales, describit, *n.* 574 musculos prostaticos superiores & inferiores exponit, *n.* 636, præter erectores clitoridis, duos alios ejus musculos commemorat. In tractatione de pectore *n.* 16 foraminula areolarum communicare cum venis lacteis, & posse considerari ut exiguas papillas auxiliares, quæ aliquantum verarum vices sustineant, conjicit. *N.* 29 repetit, quæ jam in Hist. Reg. Acad. Scient. exposuit, mediastinum non adeo accurate sub medio sterni situm esse, sed sensim ad latus sinistrum descendere, atque hinc dextram thoracis partem ampliorem fieri sinistra. *N.* 60 valvularum minorum inter tricuspides sitarum sub nomine auricularium aut venosarum cordis mentionem facit. *N.* 74 situm cordis accurate deter-

Digitized by Google

determinat, *n.* 106 textum interlobularem ſeu cellulas membranoſas irregulares, interſtitia cellularum bronchialium in pulmonibus replentes, *n.* 116 varios ortus variasque anaſtomoſes arteriarum & venarum bronchialium per multas obſervationes ob uſum in Medicina practica explanat. In tractatione de capite *n.* 29 permultos ſinus cerebri recenſet, *n.* 52 laminam piæ matris quamlibet efficere duplicaturam quandam admodum ſubtilem, intra quæ pariter vaſa ſubtiliora contineantur, plexum choroideum magno numero glandularum minimarum conſitum eſſe, pronuntiat. *N.* 110 flexus cruciatim poſitos plurium funiculorum medullarium exiguorum in medulla oblongata commemorat. *N.* 185 a partibus *Malpighianis* ſtare videtur, dum tenuiſſima vaſcula ſanguinea in cerebri cortice in glandulas ſubtiliſſimas terminari putat. *N.* 216 obſervat, corneam pertuſam eſſe ingenti numero pororum nullis ſenſibus obviorum, per quos transſudet continuo liquor ſeu ſerum perquam tenue, quod inſenſibili modo etiam exhalet. Ex hoc ſero in rorem collecto oriri in oculis morientium nonnunquam pelliculam tenacem, quæ brevi poſt aliquando diſſipetur. *N.* 224, retinam non eſſe productionem ſubſtantiæ medullaris nervi optici, nec ſcleroticam duræ matris, nec choroideam piæ matris, ut vulgo tradunt, *n.* 234, colorem & conſiſtentiam humoris cryſtallini naturaliter variari pro varietate ætatum, *n.* 235, portionem anteriorem capſulæ cryſtallinæ rurſus eſſe compoſitam ex duabus pelliculis per texturam ſpongioſam, admodum tenuem, & ſatis tamen ſolidam, inter ſe junctis, *n.* 243, ſecundum verum oculi in orbita ſitum ex quatuor rectis non niſi internum eo nomine eſſe appellandum, reliquorum ſitum eſſe obliquum, *n.* 348, extremitatem ſuperiorem ſacci lachrymalis in partem anteriorem & poſteriorem velut per glandulam conniventem dividi, *n.* 448, muſculos erico-thyroideos diſpeſci poſſe in anteriorem vel internum, & lateralem vel externum, *n.* 479, hyo-pharyngeos in tres dividi poſſe, nempe baſio-pharyngeos, cerato-pharyngeos minores & cerato-pharyngeos majores, *n.* 499, muſculum ab ipſo ſpheno-ſalpingo-ſtaphilinum

 dictum

dictum duabus constare partibus, quæ pro singularibus musculis haberi, horumque alter pterygo-salpingeus, alter autem spheno-salpingo-staphylinus aut simpliciter salpingo-staphylinus, vocari queant, *n.* 529, membranam reticularem *Malpighii*, ut vulgo ea traditur, nunquam a se repertam fuisse, contendit. *N.* 271 ligamenta lata tarsorum in palpebris, *n.* 346 ampullam membranosam sacci lachrymalis foraminulo rotundo pertusam, eo loco, ubi pars nasalis venit ad basin ductus ossei, *n.* 398 ligamenta ossiculorum auditus, *n.* 478 musculos peristaphylo-pharyngeos, *n.* 484 musculum thyroadenoideum exponit, labiorum autem *n.* 551 hos refert: communes, semiorbiculares, supersemiorbiculares, buccinatores, zygomaticos majores, proprios labii superioris, zygomaticos minores, caninos, incisorios laterales, incisorios medios, proprios labii inferioris, triangulares, collaterales triangularium, quadratum, incisorios inferiores, cutaneum. Sed quis omnia enumeret? Hæc tandem sufficiant.

OBSERVATIO SINGULARIS CUJUSDAM Phænomeni in cœlo conspicui die 3 Martii hujus Anni, instituta a JOANNE HENRICO VAN LOM Math. & Astron. Prof. Ord. in Illustri Gymnasio Bremensi.

NEminem, in plaga cœli boreali varia diversaque Phænomena distinctis temporibus esse observata, in dies plura conspici, latere, probe novimus; quorum plurima viri docti descripta typis imprimi curarunt; verum, Phænomenon, a nobis in sequentibus describendum, si cum illis omnibus comparemus, immane quantum discrimen quilibet facile perspiciet. Peculiaris igitur rei observatæ dignitas me, qui haud ignarus, quanti omnium intersit, ad promovendam veram rerum naturalium scientiam accuratas ubique collectas Observationes possidere, eo perduxit, ut Observationem sedulo factam scriptis communicem: quibus accessit, quod me totum ad nutum atque voluntatem eorum, qui omni studio veram Physicæ

notitiam

Digitized by Google

notitiam observatis vel experimentis suffulcire, atque ipsius limites ulterius extendere satagunt, convertere volui. Brevibus rem, uti vere accidit, pro viribus enarrabo, atque, Figura adjecta, qua mentem nostram felicius exponemus, illustrabo. Nolo interim, ut a nobis longam argumentorum seriem, ad eruendam hujus Phænomeni causam, exspectetis. Opinamur, sufficientia principia nos deficere, quo minus veras causas tradere queamus; existimamus, potius esse, silentio ea præterire, quorum nihil certi demonstrari queat. Imminebat jam crepusculi finis die 3 Martii, eratque cœlum serenissimum, uti fuerat die præcedenti, triduoque post etiam permansit. Etenim primo Martii cœlum erat valde nebulosum, immo adeo, ut Solis adspectum toto die nobis eriperet, Favonio jam placide spirante, Mercurio in Baroscopio suspenso ad altitudinem 28 pollicum cum quarta parte; verum, appropinquante vespere, ventus per meridiem versus Orientem incidens, in Euro-notum se vertit; aeris motu jam fere ad silentium redacto; quo facto, nebulæ a se invicem separari incipientes, die sequente cœlum a nubibus purgatum nobis reliquerunt. Ventus ex eadem spirabat plaga, licet increbuisset. Mercurius quarta pollicis parte erat elevatior, suspensus hærens ad altitudinem 28 pollicum cum dimidio. Fixum hunc locum tenuit toto isto die, uti & sequenti tertio; aer, eodem modo agitatus, eandem plagam servavit. Duabus noctibus præcedentibus frigore parum erant constrictæ aquæ, uti etiam nocte hac, sicuti quatuor sequentibus, Mercurius in Thermoscopio *Fahrenheitiano* gradum vigesimum octavum die tertio sub vesperem notabat. Cum vero Sol ad horizontem occiduum cursum suum dirigeret, ventus magis magisque Orientalem plagam petens, ex Euro-noto factus est Subsolanus; post Solis occasum Eurus fere silebat. Instante jam hora sexta pomeridiana, visa est subnasci quædam Auroræ species, ad Boream, silente aliunde Luna, quæ sensim sensimque adeo increvit, ut brevi post flammæ vividæ, nonnullis incendiorum metum in viciniis incutientes, quasi erumpere cœperint. Hæc fulgentissima lux, vehementi atque inci-

citatiſſima fluctuatione gaudens, in Orientem promovebatur, donec fixa ſede in plaga Euro-boreali, imminuta, elapſis aliquot minutis, deſierit; hora jam erat quadrans ante ſeptimam; momentum poſt, in eadem hac plaga novum ſpectaculum pulcherrimum, inſtar igneæ columnæ, in formam arcus flexæ, ab horizonte ad zenith fere usque extenſæ, erat conſpicuum, quod pedetentim declinabat ad Orientem, ſitumque ſuum conſtanter ſervans inter Euro-boream & Orientem, minutis duobus vel tribus elapſis, in ſemicirculum lucidum ſplendidiſſimum ACEL ſe convertit. Hora jam erat ſeptima; lux hujus ſemicirculi in initio erat latiſſime extenſa, vivida, colorem facis ardentis imitans, diverſa a lumine fixarum proprio, licet pallidam Lunæ faciem ſuperaret. Hujus Phænomeni latitudo brevi parum arctabatur; nihilominus in hac mutatione de vigore ſuo nihil amiſit lumen. Margines ex utraque parte appoſita ACEL & BDFI debiliori luce gaudebant, quamvis diſcrimen haud ita ſenſibile. Semicirculus noſter lucidus in plaga media inter Ortum & Euro-boream ſupra Horizontem adſcendens, per zenith noſtrum tranſiens, infra horizontis plagam inter Auſtro-occidentem & occaſum mediam ſeſe extendebat, neque in utraque Horizontis plaga finis ſive terminus extenſi luminis obſervari potuit, ſed continuatum infra Horizontem tum ad AB tum ad IL oculos noſtros fugiebat. Jucundum atque mirabile hoc Phænomenon lucem nullibi interruptam, ſed continuam & æquabilem, poſſidebat, excepto, quod brachium ABDC lumen omnium ſplendidiſſimum atque vividiſſimum, conſtantiſſimum tamen, habuit; in parte CDFE parumper dilutius atque albicantius. In crure reliquo toto EFIL parum diſcriminis obſervabatur, at in parte ABDC lux adeo conſtans atque immobilis apparebat, ut neque flammis enaſcentibus, vel fluctuatione incitatis, vel alio quocunque motu affecta, agitaretur; ſed quaſi mere quieſcens absque ulla mutatione videbatur; non tamen ita intra CDFE: in hac parte motum vibratorium inſtar chordarum plurimarum ad CD & EF, immo toto ſpatio intermedio fixarum ſecundum directiones CE & DF tenſarum reciproce motarum

Tab. III Fig. 1.

Digitized by Google

TAB. III ad A. 1733 M. Maji pag. 230 et 232.



Fig. I.



Fig. II

motarum jucundo admodum viſu ſumus contemplati: hinc in zenith intra G & H oſcillationes ſucceſſive factæ erant maximæ, quæ decreſcebant, quo magis a zenith verſus CD & EF receſſeris; idcirco intra CD & EF tota vibratio ad ſilentium erat redacta. In reliqua parte EFIL neque motus, neque flammarum evibationes, obſervare potui, ſed conſtans ac æquabilis erat flamma, in modum fornicis curvata. Quod tamen valde mirum; adeo exilem, immo fere nullam, differentiam inter lucem in utraque plaga poſitam interceſſiſſe; licet oculos ad horizontem ambarum partium ſtudio dirigeres. Quamdiu elegantem ſane hanc apparitionem, forte nunquam obſervatam, in cœlo non ſine ſumma admiratione contemplati ſumus; ſtellas cujuſcunque magnitudinis in cœli parte a ſemicirculo lucido tecta fruſtra quærebamus, etſi in reliquis cœli partibus & ad utraque latera noſtri Phænomeni, fixæ de ſplendore inter ſe certare viderentur; quod tamen inprimis intelligendum eſt de iſta cœli parte a crure ABDC occultata. Nam in toto hoc tractu ſtellæ nullæ oculis erant viſibiles: in zenith nonnullæ quandoque transparebant, ſed ſubobſcuræ, veluti nebulæ denſæ luminis radiis, e fixis ad oculos noſtros miſſis, tranſitum propemodum omnem denegarent. Per reliquam partem EFIL adeo ſubobſcure una alterave ſtella erat tranſpicua, magis ſuperiori parti EF, quam inferiori IL, propinqua, ut, niſi certo ſciviſſes, ſtellas quasdam determinatas per diurnas revolutiones eo jam perveniſſe, jure merito mente ſuſpenſa hæſiſſes, an ulla conſtellatio in tota iſta zona eo tempore degeret. Sonum, ſive ſtrepitum, vel aliquid huic ſimile, obſervare non potui, quemadmodum etiam nullam coloris permutationem, multo minus ejusmodi colores, qui conſtanter in arcu cœleſti conſpiciuntur. Latitudo zonæ hujus lucidæ omnium maxima erat in plaga inter Euro-borealem & Orientem media, veluti in crure ABDC, quæ hinc ſenſim minuebatur, ad Horizontem IL usque; nam latitudo apparens ad AB quatuor fere erat pedum, in GH trium cum dimidio, prope IL trium. Conſtans hæc latitudo fuit a ſeptima ad quadrantem ante octavam, toto hoc tempore nullum latitu-

latitudinis neque ſplendoris diſcrimen obſervavi, niſi forte adeo inſenſibile fuiſſet, ut viſum noſtrum eluderet. Vix elapſo ſcrupulo primo, ex quo in parte MN luminis vigor atque ſplendor imminui cœperit, ſplendoris decrementum, momentum poſt, hinc per totum tractum lucidum diſperſum usque ad Z clare ſatis animadverti potuit; jam magis albeſcens lux Phænomeni, quum ante nonnihil rubicundior cerneretur. Facta hac ſubitanea mutatione ſtellæ, in zenith magis magisque viſibiles per arcum RQZ translucere inchoabant, dum interea vix ac ne vix quidem per partem MNOP erant transſpicuæ. Ad hæc omnia ſedulo intenti, elapſis fere duobus minutis, en ſemicirculum in zenith intra QRV dehiſcentem vidimus, cujus lucidæ partes lateraliter cedentes fluxere; quo facto per ſpatium QRV ſtellas coruſcantes atque ſcintillantes conſpeximus. Diviſus erat ſemicirculus noſter in duos arcus lucidos, veluti QRNM & URZ; paulo poſt lux ex zenith verſus VW recedens brevi evanuit, ſicuti intra ST usque ad OP lateraliter cedens omnis periit, eodem tempore a Z verſus YX lumen adeo evanuit, ut neque veſtigium ullum eſſet ſuperſtes. His omnibus peractis, obſcuram luminis columnam OPNM atque partem lucidam VWYX diſtincte obſervavimus. Sed poſt duo fere minuta lux ſuperſtes in parte VWYX ſubito decreſcens evanuit; interea columna reliqua OPNM ſenſim ſenſimque omni deſtituta luce tota periit; atque totum finitum eſt Phænomenon, cum hora jam eſſet octava.

Tab. III Fig. 2.

VETERIS TESTAMENTI LIBRI HAGIOgraphi, Jobus, Davidis Pſalmi, Salomonis Proverbia, Concionatrix, & Canticum Canticorum, ex translatione JOANNIS CLERICI, cum ejusdem Commentario philologico.

Amſtelodami, apud Wetſtenios, 1731, fol. Alph. 8 pl. 7.

VETE-

VETERIS TESTAMENTI PROPHETÆ, ex translatione JOANNIS CLERICI, cum ejuſdem Commentario philologico, & Paraphraſi in Eſaiam, Jeremiam, & Abdiam.

Ibidem, apud eosdem, 1731, fol.
Alph. 7 pl. 16.

EN duo Volumina Viri eximii, *Joannis Clerici*, diu deſiderata! Ejus enim *in Geneſin* Commentarium jam *A. 1694 p. 9 ſqq.* & *p. 97 ſqq.* recenſuimus, & alterum in ceteros quatuor Moſis libros *A. 1696 p. 113 ſqq.* Hinc *A. 1709 p. 481 ſqq.* laudavimus ejus in reliquos Veteris Teſtamenti hiſtoricos libros Commentarium. Nunc demum prodeunt Viri celeberrimi labores in *Hagiographa*, quæ vocant, atque in *Prophetas*. Non autem ipſe præmiſit hic Præfationem, ſed amicus quidam ejus, qui docet, *Clericum* quidem vivere adhuc, ſed deſiiſſe eſſe *Phereponum*, (quod nomen aliquando ab ipſo adſcitum fuiſſe, conſtat,) hoc eſt, viribus & corporis & animi defectum eſſe. Et hæc cauſa, cur non ſolum paraphraſi plurium librorum ſacrorum careamus, ſed etiam aliquot Diſſertationibus, quas concinnaturus erat in ſingulos hos libros, quasque jam in ſuis annotationibus (adeo fallaces ſunt ſpes hominum!) conſulere lectores juſſit. Deſideratur enim Diſſertatio *de Libro Jobi*, *de Pſalmis*, *de Cantico Canticorum*, *de Prophetis*, aliæ, itemque *Chronologia Prophetica*.

Noſtrum eſt, ex utroque Volumine aliquot ſingulares clariſſimi hujus interpretis ſententias promulſidis inſtar exhibere noſtris Lectoribus. De libro igitur Jobi in annotationibus ad *Cap. I* ita judicat, deſcribi in eo velut in dramate quodam virum ab inimicis & amicis peſſime habitum, & quidem in gratiam Hebræorum, in captivitatem abductorum. Refert etiam illud ad morem dramaticum, quod in *Cap. I* narratur, angelos ipſumque Satanam veniſſe ad Deum, nuntiaſſeque, quæ in orbe terrarum viderint. Etiam ad *Cap. XXXVIII, 3*, & *XXXIX, 31* ac *32*, ex eo colligit, hunc librum eſſe piam parabolam, quod ibi Deus narratur e nube allocutus eſſe Jobum,

eumque ad disputationem provocasse. Quanquam ad *Cap. XLII, 7* & *14*, scribit, *se eam rem in medio relinquere.* Illustrissimum illum locum, qui est *Cap. XIX, 25, 26, 27*, aggressus, hic significari Messiam negat, prætereaque contendit, de hac nostra, non de futura, vita loqui Jobum. Addit, ex multis hujus libri locis (vid. ejus annotationes ad *Cap. I, 9, II, 3, III, 3* & *11, VII, 6* & *9, X, 19, XIII, 15, XIV, 12, XV, 4, XVI, 22,*) apparere, vitam futuram tempore Jobi adhuc ignotam viris piis fuisse. Totam istam interpretationem ita concludit: *Scio, hic me dissentire a plerisque: sed nunquam putavi, in inquisitione sententiæ vocum Scripturæ numeranda esse suffragia hominum, qui alii alios exscribunt, sed tantum rationum rationem habendam. Capitis XXIV versum 18* & tres sequentes non illustravit paraphrasi, causatus loci obscuritatem, *quæ* (inquit,) *major esse non posset.* In pluribus ad *Cap. XXXI* annotationibus ostendit, *Marcum Meibomium* ineptum planeque delirum fuisse tum Criticum, tum sacrorum librorum interpretem. Ad *Cap. XXXV, 15, Ludovicum de Dieu* vocat *minus felicem interpretem Scripturæ*, & ad *Cap. XXXVII, 7, Philippum Codurcum* appellat *durum & violentum Jobi interpretem.* Veniamus ad *Psalmos.* Hic, *Psalmi secundi*, quippe Davidis in honorem scripti, non ipsum Davidem autorem fuisse, putat, sed Prophetarum illius ævi aliquem, magnifico stilo primum describentem Davidis inaugurationem, deinde adhortantem gentes finitimas, ut Davidis imperium subeant. Concedit tamen, quæ hic de Davide dicantur, ea recte jam a priscis Judæis excellentiore sensu relata ad Christum fuisse. *Psalmum XXII* existimat quadrare quidem in Davidem, sed tamen pleraque ibi verius & aptius de Christo dici, quam de Davide. Ad *Psalmum XLV* delatus, præfatur, hic exhiberi epithalamium, in quo multa Salomoni conveniant, quædam in eum non satis apte quadrent, sed sensu magis proprio & excellentiore dici queant de Messia. Addit, ea de causa se hunc Psalmum & de Salomone & de Christo interpretatum esse, eaque distinxisse, quæ de alterutro dici possint aptius. In *Psalmo LXVIII* putat celebrari

brari aliquot insigniores eventus regni Davidis, & primo quidem loco factam ab eo illationem sacræ arcæ in montem Sionem. Notissima illa verba *v. 19: Adscendisti in altiora, abduxisti captivos*, ita interpretatur: tu, Deus, adscendisti in tribunal tuum, & ex eo damnasti Syros, eosque Hebræis cædendos dedisti, postea que captivos in servitutem redegisti per Davidem. Ad interpretationem hujus loci Paulinam *Eph. IV, 8*, sic respondet: *Paulus ex consuetudine Judæorum, qui loca illa Messiæ aptabant, quæ ei melius sensu proprio conveniebant, quam iis, de quibus agitur, Psaltæ verba jure suo interpretatus est. Psalmum CX* judicat Davidem autorem habere, in eoque de solo Christo agi, nec hic aptari Christo verba, quæ aliis proprio sensu conveniant, uti quidem plurimis in Psalmis fiat. Ad *Proverbia Salomonis* permultas exhibet & perdoctas annotationes. In annotatione ad *Cap. XVI, 4*, ægerrime fert, esse, qui hic describi credant absolutum Dei decretum damnationis. *Miror*, inquit, *etiamnum esse homines, qui timeant, ne quid res Christiana detrimenti capiat, nisi Deo sanctitas & justitia detrahantur: cum res sit toti Scripturæ sacræ & rectæ rationi prorsus contraria. Cap. XXX, 2, 3*, verba hæc Aguris: *Profecto quovis stolidior sum, nec est mihi prudentia hominis. Non didici sapientiam, neque novi scientiam sanctorum*; ipsum permovent, ut putet, Agurem illum non fuisse Hebræum, sed proselytum ex aliqua finitimarum gentium, adeoque hic loqui de præteritis mentis suæ idololatria corruptæ tenebris. *Coheleth* vertit *concionatricem*, subaudiens *sapientiam*. Ex hoc libro unam exhibebimus Cl. *Clerici* annotationem ad hæc verba *Cap. XII, 12: In conficiendis multis libris nullus est finis, & lectio multa est fatigatio carnis.* Putat scilicet, suadere his verbis Salomonem juvenibus, ut paucis libris contenti sint, ex iisque hauriant, quod satis sit ad bene beateque vivendum. Nec tamen simpliciter reprehendi vult librorum novum subinde proventum, cum haud raro in lucem prodeant libri optimi ac superiorum ætatum libris multo meliores. Per *carnem* ait intelligi hominem, *qui profecto* (inquit,) *scriptio-*

ſcriptione, lectione & meditatione, fatigatur: quod nemo, puto, magis ſenſit, quam ego. Cur vero id facis? inquies. Quia adſueto minus fatigatur animus, quam alitur: quippe cujus paſtus ſunt ſcriptio, meditatio & lectio. Adde, quod ſtudio fallente laborem ſcribimus. Recordamur hic illud *Cornelii Celſi: Literarum diſciplina ut animo præcipue omnium neceſſaria, ſic corpori inimica eſt.* In *Cantico Canticorum* perſpicuitatis cauſa præfixit ſingulis orationis membris nomina perſonarum, quæ loquentes inducuntur, *ſponſi* ſcilicet, *ſponſæ*, vel potius novæ nuptæ, & *chori puellarum.* Statuit enim, hoc eſſe epithalamium Salomoni dicatum: quanquam addit, eorum ſe ſtudium non vituperare, qui ſpiritualem ſenſum hic quærant. Ad *Cap. II, 3*, injuſte facere cenſet illos, qui *Grotio* ſuccenſeant, quod e Poetis ethnicis ad Canticum hoc plura congeſſerit. In limine *Commentarii in Prophetas* exhibetur *Joannis Smith Diſſertatio de Prophetia & Prophetis.* Ignotum adhuc hoc nomen fuit: ſed Autor Præfationis *Commentario in Hagiographa* præmiſſæ doctus ab Anglo quodam nos docet, *Smithum* iſtum A. 1652 admodum juvenem mortuum eſſe Cantabrigiæ in Collegio Reginæ, cum A. 1644 factus fuiſſet Magiſter artium; nihil ipſum edidiſſe, ſed A. 1660 *ſelectas* ipſius *Diſſertationes*, quarum hæc una, Londini ſermone patrio emiſſas eſſe in publicum a *Worthingtono.* Apparet ex hac Diſſertatione, Autorem ejus in Rabbinorum lectione fuiſſe verſatiſſimum, ſed & iisdem juſto majorem tribuere autoritatem, atque eos *Pythagoreo* quodam obſequio colere. Nam *Cap. V* §. 2 cum Rabbinis docet, viſa Prophetis oblata fuiſſe non ab ipſo Deo, ſed ab angelo quopiam: & *Cap. XIII* §. 3, nullum Prophetarum loqui de vita æterna, ipſiusque Joannis, Novi Teſtamenti Prophetæ, *novam terram* & *novam Hieroſolymam* ſignificare ſtatum beatiorem mundi præſentis. Per *Bathkol* intelligit *Cap. X* vocem e cœlo emiſſam, quæ ſucceſſerit in locum prophetiæ: & huc refert tres illas divinas voces *Joan. XII, 28, Matth. III, 17,* & *XVII, 5.* Redeamus nunc ad *Clericum* noſtrum, qui toto *Eſaiæ* Capite ſecundo prædici cenſet

incre-

incrementa Christianæ ecclesiæ: quanquam acriter refellit *Hieronymum*, *versum 22* de Christo interpretatum. Verba illa *Cap. VII, 14: Ecce, virgo concipiet, & pariet filium, & vocabis eum Immanuelem*, recte quidem intelligi contendit de puero illa tempestate nascituro: idque luce meridiana clarius esse, arbitratur; sed tamen etiam concedit, de matre Christi hic sermonem esse. Duplicem igitur sensum his verbis inesse, statuit. *Sunt*, inquit, *in vaticiniis ejusmodi de Christo intelligenda, quæ ad eum pertinere possunt: reliqua sunt de iis, de quibus ex orationis serie sermo est, capienda.* Addit, *Deum curasse Prophetas, etiam aliud agentes, ea proloqui, quæ melius de Christo intelligantur, quam de iis, de quibus solis loqui se putabant.* Ad *Caput IX, 6*, refutat *Grotium*, per *natum puerum* significari docentem Ezekiam Regem. Ipse censet, sermonem hic esse de filio Esaiæ Immanuele, *Cap. VII, 14*, prædicto, ita tamen, ut sub hujus pueri persona describatur Messias diu post venturus. Per *surculum e stirpe Isai Cap. XI, 1*, sine dubitatione Christum intelligit. In *Capite LIII* describi judicat Messiam una cum muneribus, quibus functus est in terris, sed non sine involucris propheticis, ita, ut ea dicat Propheta, quæ possint aliquatenus convenire piis Judæis, qui una cum malis in exilium sunt abducti, non tam suorum peccatorum causa, quam propter aliena peccata; longe tamen aptius ac plenius in Messiam quadrent. Ad *Jeremiæ Cap. XXXI, 10*, docet, hic prædici vocationem ethnicorum ad cognitionem veri Dei. Progressus ad *v. 22*, scribit, locum hunc sibi videri palpanda librariorum corruptione laborare. Ibidem hæc verba: *Deus creabit rem novam in terra, mulier ambiet virum*, sic interpretatur: Deus patietur a mulieribus id fieri, quod nunquam factum erat aut fieri debuerat, ut scilicet uxores novam religionem docerent maritos suos, nimirum ethnicas superstitiones cum Judaica religione esse miscendas, eo quod tempore captivitatis eas ab ethnicis didicissent. Denique ad *v. 26* docet, *Grotium* in suis Jeremiæ interpretationibus non admodum felicem fuisse. Ad *Cap. XXXVI, 3*, digressionem

 facit

facit philosophicam de Dei præscientia rerum futurarum contingentium. Ait, de re ipsa satis nobis constare, quamvis, quomodo id fiat, nesciamus. Pluribus id exemplis postquam comprobavit, ita sapienter concludit: *Ergo non est hominis sapientis, negare aliquid, quod constat, tantum ideo, quia nescit, quomodo fiat.* Reliquorum Prophetarum, *Obadia* excepto, sola sequitur translatio *Clerici*. Quare convertimus nos ad ejus Dissertationem, prius Gallice in *Bibliotheca universali A. 1688* editam, *de Poesi Hebræorum*. Docet hic, non metricam esse Hebræorum poesin, ut Græcorum Latinorumque, sed rhythmicam, eamque valde irregularem, adeoque non admodum elegantem. Id ut satis reddat perspicuum, primo ostendit, linguam Hebræorum non admittere versus metricos; deinde, omnes Orientis populos usos esse poesi rhythmica. Hinc naturam Hebraicæ poeseos aliquot observationibus generalibus complectitur. Tum speciales affert rationes, quibus probet, Hebræorum poesin poesi veterum Arabum (de qua *Sam. Clerici* liber exstat Oxonii A. 1661 editus,) esse simillimam. Postea respondet ad objectiones, quæ suæ sententiæ videntur opponi posse, simul causas producens, ob quas difficilioris sint indagationis rhythmi carminum Hebraicorum in sacro Codice obviorum. Ultimo loco pro specimine Hebraicæ poeseos exhibet *Psalmum CL*, eumque versibus constare similiter desinentibus demonstrat, ac simul totum illum Psalmum illustrat doctis annotationibus: quæ quidem diversæ sunt ab iis, quas Psalmo illi subjecit in suo *in Psalmos Commentario.* Illud fortasse dolori erit nonnullis, quod non editum sit totum illud Opus, quod se jam confecisse scribit in hujus Dissertationis §. *IV n. 1 Clericus*, in quo Psalmos ad unum omnes in versus similiter desinentes disposuit, itemque hymnos in aliis sacris libris occurrentes. Recordamur postremo loco, *Blasii Garofali de Poesi Hebræorum* librum, Romæ A. 1707 editum, in quo eandem, quam *Clericus*, tuetur sententiam, iisdemque utitur argumentis, in his *Actis* recensitum fuisse *A. 1708 p. 397 sqq.*

LES

LES ELEMENS OU PREMIERES Instructions de la Jeunesse.

h. e.

ELEMENTA SEU PRIMA PUERITIÆ institutio; Autore STEPHANO DE BLEGNY, Scriba jurato manibus litigiosis comparandis & cognoscendis.

Parisiis, apud Guil. Cavelier, 1732, 8 maj.
Pl. 22, Tabb. æn. integr. pl. 5.

PArum videtur ad rem nostram facere libellus pueritiæ destinatus Gallicæ, ad mercaturam & fori ministeria formandæ, qui prima parte scribendi & calligraphiæ principia, altera orthographiæ rationem, cum epistolarum familiarium & negotialium contractuumque minorum formulis, tertia vero Arithmetica præcepta, continet. Sed, prætterquam quod humanissimæ cujusdam voluptatis est videre manum elegantem, quæ res quantopere viros etiam eruditos deceat, pulchre est ab eruditissimo *Theoph. Sigfr. Bayero* nostro declaratum, illud unum de hoc libello monemus, disci inde posse scripturæ seu *characterum* genus *Francicum*, quo a pluribus inde seculis usi sunt Galli pariter atque Belgæ, utunturque etiamnum in literis & actis publicis; qui ut cognitione doctorum virorum dignus videatur, monumenta plura & libri efficiunt, illo conscripti, quæ sane difficultatis non parum objiciunt his, qui nosse illum non curarunt: sed de quibus frustra fere disputatur, nisi in rem præsentem venias, quod quidem nunc non agimus.

NOVA LITERARIA.

ARgentorati *Joannes Reinoldus Dulsseckerus* in eo est, ut prelo subjiciat Opus & forma magnum, & usu eximium, inventurum certissime emtores suos, nobisque, quibus de ejus pretio satis est persuasum, hic commendandum publice. Rubrum ei doctissimus Autor, *Augustinus Calmet*, jam

jam inde ab aliquo tempore scriptorum fama nobilissimus, hoc dedit: *Histoire universelle, sacrée & profane, depuis le commencement du monde jusqu' à nos jours; par le R. P. Dom* Augustin Calmet, *Abbé de Senones*. Constabit liber egregius sex Voluminibus in forma, quam vocant quartam, resque complectetur ab initio mundi ad hoc usque tempus tam in Ecclesia, quam extra eam, gestas, sed eas non nisi maxime memorabiles, & præ ceteris notatu dignissimas. Singulis Tomis accedent Tabulæ Chronologicæ, Indicesque diligenter confecti, nec non Dissertationes, Præfationum locum occupantes, in quibus suam Autor de argumentis cujusque Tomi historicis libere dicet sententiam, Criticumque aget, forsan & Philosophum, acutum. In Historia sacra illustranda singularem cumprimis posuit industriam, ut nemini esse dubium possit, majori, quam in similis generis libris quibuscunque, cura atque ἀκριβείᾳ enarratas hic expositasque origines mundi & vetustissimæ ætatis gentium, mores ritusque populorum antiquos, denique Christianæ Ecclesiæ primævam conditionem & incrementa felicissima. Operam dabit Typographus, ut in lucem prodire possit Opus hoc quam elegantissimum, nec in chartæ nitore aut literarum typis quidquam desiderari jure possit. Addet etiam hinc atque illinc, maxime in fronte librorum, figuras æneas, easque minutiores, quales Galli vocare *Vignettes* solent. Diversis hæc Volumina temporibus aspicient lucem; primum Mense Septembri anni præsentis, alterum mense Martio A. 1734, tertium mense Septembri ejusdem anni, quartum M. Martio A. 1735, quintum M. Septembri ejusdem anni, sextum aliquot mensibus post. Pretium libri ita definivit Typographus, ut, quibus animus sit, *subscriptionis* via uti, hi Opus universum comparaturi sibi sint florenis Germ. 18, qui postea id expetierint, his ipse non nisi florenis 27 sit venditurus. Singula Volumina redimentur florenis tribus, quos ut in tempore solvant, quippe *Subscriptionis* tempore jam pæne elapso, Lectores nostros amice monemus.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Junii Anno MDCCXXXIII.

HORTUS ELTHAMENSIS, SEU PLANTARUM rariorum, quas in Horto suo Elthami in Cantio coluit JACOBUS SHERARD, Delineationes & Descriptiones; Autore JO. JAC. DILLENIO, M. D.

Londini, sumtibus Autoris, 1732, fol. maj. Alph. 4 pl. 20, Tabb. æn. 324.

Inter splendida Botanicorum Opera, quæ horti Malabarici, Eystettensis, Pisani, Amstelodamensis, Lugduno-Batavi, similiumque nomine dudum prostant, hæc quoque horti Elthamensis accuratior descriptio, multis nominibus harum deliciarum amatoribus grata futura, locum jure suo meretur. Neque enim plantarum rariorum copia plerisque cedit, quæ a *Jacobo Sherardo*, Med. D. eiusque fratre, *Gulielmo*, utrisque magni inter Botanicos nominis, intento undique studio, non sine gravioribus impensis, in unum conctæ hortum, ita subinde multitudine florentium Autorem obruerunt, ut singulis accuratius lustrandis vix sufficeret. Neque minus vero huic Operi pretium conciliat navata in evulgandis his atque cum orbe erudito communicandis thesauris Clar. *Dillenii*, aliis jam laboribus botanicis non incelebris, industria. Ille enim per octo annorum spatium in instructissimo hoc viridario versatus, occasioni, qua flores fructusque rariores observare liceret, inhians, non solum propria manu singulas delinea-

lineavit, ſed, ut eo accuratius omnia ſiſterentur, moleſtum quoque Chalcographiae laborem in ſe ſuſcepit. Cum enim in plurimis egregiis cetera Operibus figuras, deſcriptionibus minus convenientes, artificum errore depravatas, animadverteret; huic quoque defectui mederi ſtuduit, atque ſingulas nativa magnitudine expreſſit, flores etiam, fructus, aut folia, ſi quid in his notandum ſpecialius occurreret, ſeorſim in margine efficta dedit, inſignemque hoc ipſo Operi ſplendorem conciliavit. Non levioris momenti operam ipſi earum deſcriptioni, copioſae admodum atque luculentae, impendit. In qua earum naſcendi modum totumque externum plantae habitum accurate deſignat, flores fructusque iis ſuccedentes ſtudioſe explicat, nomina ab aliis Autoribus impoſita allegat, cur ab eorum denominandi ratione diſceſſerit, indicat, nominumque a ſe impoſitorum rationes reddit, nonnunquam etiam errores in vulgarium plantarum deſcriptionibus commiſſos notat, atque emendat, quod non minoris eſſe momenti putat, quam incognitas novasque producere plantas. Ita de abſinthii, abrotani & artemiſiæ, charactere, quo a ſe invicem optime diſcerni queant, *p. 37* agit. Variarum geranii ſpecierum differentias *p. 149 ſeqq.* indagat. Plurimum tamen laboris in rarioribus accuratius exponendis conſumſit, quarum ſpecimina rectius in ipſo quærent Opere harum cupidi Lectores, quam a nobis brevitatis ſtudioſis expectabunt. Nobis unico exemplo, qua ratione in nominibus imponendis, digerendisque ſpeciebus verſatus ſit, oſtendere licebit. Ita enim novum genus meſembryanthemorum cum ſuis ſpeciebus, quarum ultra quinquaginta in horto Elthamenſi colantur, a *p. 225* ad *p. 294* recenſet. Ficoidis nomen ab *Hermanno* in Horti Lugduno-Batavi Catalogo huic plantæ erat impoſitum, ob aliqualem cum ficus Indicæ fructu aliquot hujus ſpecierum in ferendo fructu analogiam, quod vero Noſtro minus arridet, cum & ficus, Indica male dicatur ficus, neque illa inter fructus convenientia ſatis videatur adæquata. *Breynius* Meſembryanthemum nuncupavit, quod pleræque ſpecies medio die flores explicent, at, cum aliquæ noctu etiam

am flores expandant, nec hoc satis adæquatum censuit, levi tamen immutatione Mesembryanthemum (per *y* scribendo) nuncupavit, ut vi vocis florem, cui fructus sit in medio, denotet, quod etsi genus remotissimum videri queat, huic tamen in specie competere credit. Non enim, ut in reliquis, summo inhæret fructui, sed potius ab ipsius capite, seu parte superiore, arcte perforatur, & tam tenaciter medio embryoni circumnascitur, ut absque laceratione avelli in plerisque speciebus nequeat. Constituto hac ratione genere, species ejus ad ductum diversitatis foliorum & nascendi modi ordinat, Tabulaque speciali exponit, singularum deinde diffusiorem expositionem subjungens, quam huc transscribere instituti ratio vetat. Plura qui desiderant, hi in ipsius Operis evolutione abunde, quo oculos animumque pascant, habebunt.

LES MONUMENS DE LA MONARCHIE Françoise, qui comprennent l'Histoire de France, &c.

h. e.

MONUMENTA FRANCICÆ MONARCHIÆ, quæ Franciæ historiam complectuntur, cum iis cujusque regni Figuris, quibus injuria temporum pepercit; Autore BERNARDO DE MONTFAUCON, Ord. Bened. e Congr. S. Mauri.

Tomus IV.

Lutetiæ, apud J. M. Gandovin & P. F. Giffart, 1732, fol. Alph. 4 pl. 12, Tabb. æn. 60.

Hoc ipso, quem prae manibus habemus, quarto Monumentorum Monarchiæ Francicæ Tomo Celeberr. *Montfauconius* &, quæ de *Carolo VIII, Ludovico XII* & *Francisco I* notatu digna sunt memoriæ prodita, ex instituto recensuit, & monumenta illorum temporum, quæ in æs incidi curavit, additis explicavit observationibus. Cum ætate *Caroli VIII*, *Ludovici XII*, & *Francisci I*, monumenta magno numero depicta reperiantur, ex iis ea tantum se delegisse profitetur,

quæ ipſi ſinceriora & utilitate quadam ſe commendare viſa ſunt. Ex plerisque tamen monumentis hic prolatis illi tantum aliquem referent uſum, qui voluptati ſibi ducunt illarum rerum imagines in ære inciſas videre, quarum in ſcriptis hiſtoricis ſæpenumero fit mentio. Ita v. g. tribus Tabulis acceſſum *Henrici VIII*, Regis Angliæ, & *Franciſci I*, Regis Galliæ, ad *campum*, qui vocatur, *panni aurei*, ſive ad ludicras pugnas & equeſtres exercitationes in loco Ardra & Guina æqualiter diſtante ex anaglypho quodam repræſentat. E quibus tamen Tabulis, quod ad rem geſtam ipſam attinet, nihil diſcas, niſi quod a multis Hiſtoricis jam literis eſt conſignatum. Niſi forſan notatu dignum exiſtimes, maximam
p. 205. partem eorum, qui Reges tum comitati ſunt, nullam habere barbam. Sic *Franciſcum I*, Regem Galliæ, & ut juvenem decem annorum & ut virum quinque & triginta vel quadraginta annorum, repræſentat. Ejus etiam protomen cum pileo vel galero pluma ornato exhibet. In alio ſchemate eques, in alio totus & ſtans, conſpicitur. Nonnullæ tamen imagines ita ſunt comparatæ, ut utique ad annotationes quasdam aperiant anſam, licet & illæ ad veſtium modos declarandos unice faciant. Ita v. g. Tabula 39 *Claudiam*, priorem *Franciſci I*, conjugem, ſiſtit, & judicat illam primam videri cum crocota inferne latiſſima ampliſſimaque, quam illo ævo *vertugadin*, hodie *panier* vocant, quod genus crocotæ ſub *Franciſco I* in uſu eſſe cœperit. Tabula 52 Schem. 3 aliquem ordinis regii equitem, qui tempori *Franciſci I* vixit, illo modo converſum exhibet, ut poſterioris veſtitus forma poſſit conſpici. Ex qua imagine concludi poſſe putat, *Franciſci I* tempore in uſu fuiſſe veſtes inducere a ſummo ad imum plicis multis plicatas. Plura exempla non addimus, cum ex jam prolatis de reliquis fieri queat judicium. *Montfauconio* non exprobramus, quod monumenta collegerit, quæ magis faciunt ad delectandos lectores, quam ad hiſtoriam explicandam & firmandam. Forſitan enim iis tantum a *Montfauconio* dicatum eſt hoc Opus, qui in libros figuris & imaginibus refertos

nume-

Digitized by Google

numero multos possunt impendere nummos. Neque dubium est, quin his ipsis *Montfauconiana* monumenta adjumento esse queant, quo majori cum voluptate Historiam discant Francicam. Illud autem non possumus non Celeb. *Montfauconio* vitio vertere, quod huic Tomo quædam de Protestantibus doctoribus inseruerit, quæ in tanta, qualis nunc est, historiæ luce ne quidem in infimæ sortis erudito ferri possunt. Videlicet p. 160, *Hoc tempore*, inquit, *Martinus Lutherus ex Germania Augustinianus in iram concitatus, quod Leo Papa, imo potius Archi-Episcopus Moguntinus, Leonis, Summi Pontificis, nomine Dominicanis officium dedissent prædicandi & indulgentias distribuendi iis, qui ad bellum Turcis inferendum aliquid ex facultatibus suis offerrent, quod officium ille ex usu jam recepto ad Augustinianorum ordinem pertinere contendebat, contra illos indulgentiarum concionatores multa protulit, &c.* Sane, qui vel obiter aliquot scripta *Lutheri* legit, nullo intelliget negotio, quam parum illi, de vindicanda cœlesti veritate unice solicito, ejus generis controversiæ, quales inter *Dominicanos* & *Augustinianos* de distributione indulgentiarum intercedebant, curæ fuerint cordique. P. 256, *Eodem*, inquit, *tempore Zwingliani Germani, qui bona omnia communia esse volebant, cum putarent, nobiles omnes Francos in pugna Papiensi periisse, quindecim mille numero una coacti sunt, ut in Lotharingiam indeque in Franciam se conferrent, qui omnes vel rustici vel ex infima plebe erant.* Licet calculo nostro non omnia probemus a *Zwinglianis* peracta, existimamus tamen, manifestum esse, hoc loco a *Montfauconio Zwinglianis* tribui non illis, sed Fanaticis quibusdam, tribuenda. Sed forsan *Montfauconius*, cum in aliis hujus Tomi locis id egerit, ut se virum eruditum esse demonstraret, his locis, se & monachum esse, declarare studuit.

HISTOIRE DE L'ISLE ESPAGNOLE, OU de S. Domingue, &c.

h. e.

HISTORIA INSULÆ HISPANIOLÆ VEL S. Dominici, scripta a P. PETRO FRANCISCO XAVERIO DE CHARLEVOIX, Soc. Jesu.

Tomi II.

Parisiis, apud Franc. Didot, 1730, 4 maj.
Tom. I 3 Alph. 2 plag. Tom. II 3 Alph. 4 plag.
Tabb. æn. 8¼.

Autor elegantissimi libri ipse in Insula, cujus historiam nobis exhibet, per aliquod tempus degit. Sed, cum animum ad scribendum rogatus appulisset, contulit Memorias & Commentarios MStos *P. J. Bapt. le Pers, S. J.* & Acta publica, quæ in scriniis tribunalis marini asservantur, quo omnia majori cum fide exponere valeret. Historiam vero plane politicam hujus Insulæ cum dare instituisset, quæ ad naturalem spectant, brevissimis attigit, ea insuper de causa, quod propediem accuratum & completum Opus, naturalem hanc historiam explicaturum, cum erudito orbe communicatum iri nosset. Hoc singulare tamen inter alia observat, pluvias in Insula hac aliisque vicinis Zonæ torridæ locis abundantiores esse, cum in septentrionalibus regionibus hyems sit asperior. Originem vocis *Tabac* ex confusione ductam notat, cum instrumentum, quo in fumo ducendo utebantur Indi, hoc nomine apud Insulanos Hispaniolæ incolas veniret, herba ipsa vocaretur *Cobiba*, quemadmodum eadem Brasilianis *Petun*, item *Nicotiana* vel *herba Reginæ* nostris dicta, quia Legatus Gallicus *Nicot*, Ulyssippone rediens, eam primus Reginæ Galliæ *Catharinæ*, e Medicæa gente, obtulisset. De moribus vero incolarum veterum cum agendi proximus esset locus, observat, eosdem summe depravatos descriptos fuisse ab Hispanis, iis saltem, quorum intererat crudelitatem in eosdem exercitam palliare, & incolas hosce fere rationis usu destitutos tutoribusque egentes pertendere. Etsi eosdem excusaverint ex Hispanis ipsis

Digitized by Google

ipſis non pauciores, qui religioſiores & humaniores fuerant, quales in ſucceſſu Operis Autor memorat. Veterum temporum apud hoſce Inſulanos hiſtoriam propterea fuiſſe nullam, quia Principum recenter defunctorum facta quidem cantionibus celebraverint, ſed novæ quæque ſuccedentes aliæ veterum oblivionem inducere conſueviſſent. Inſulæ nomen vetus eſt *Haïti*. Cum Hiſpani, *Chriſtophoro Columbo* duce, in eam veniſſent, 5 Reges vel Principes, quos *Caciques* vel *Seniores* vocabant, invenerunt, quorum provinciæ fuere *Magua*, *Marieu*, *Maguana*, *Xaragua* & *Higuey*, quarum priores incolas habebant plane bellorum omnium rudes, poſtrema paulo bellicoſiores, quoniam in eam frequentiores exſcenſiones Canibalium anthropophagorum ex variis Antillarum minorum inſulis fiebant, contra quos ſe utcunque hi defendebant. Unde patet, nullo plane negotio ab Hiſpanis in poteſtatem eos redigi potuiſſe, adeo inſuper ſimplices, ut aliquis Principum ſibi perſuaderi paſſus ſit, vincula ferrea ab Europæis ornatus cauſa geſtari, quibus cum ipſe ſe induiſſet, ab Hiſpano prætore equo impoſitus & per vim facile abductus eſt. Recentior hiſtoria Inſulæ hujus, quia ex primis fuit, quæ detectæ a *Chriſtophoro Columbo* fuerant, & familiæ ejusdem res ex maxima parte cum eadem connexæ exiſtunt, totum novi orbis ab eodem detecti negotium, ab ovo, ut dicitur, deductum exponit: quæ cum aliunde nota ſint, delibanda nobis erunt ſaltem quædam minus communia. *Columbus* adeo, antequam primam expeditionem ſuſciperet, cum *Iſabella* & *Ferdinando*, Regibus, conventionem inierat, ut omnium ab ipſo detectarum regionum & inſularum præfecturam haberet, & *Admiralii Indiarum* vel ſummi claſſium præfecti charactere gauderet, eaque ſingula hæreditario jure ad poſteros transferret. Invidorum vero calumniis, criminantium, Indos ab eo crudeliter opprimi, factum, ut ipſi ſucceſſor *Bovadilla* in Hiſpaniolam mitteretur, qui *Columbum* cum fratre vinculis conſtrictum mortisque damnatum in Hiſpaniam remiſit. Etſi adeo *Columbus* ab *Iſabella* & *Ferdinando* ſtatim in libertatem reſtitueretur, tamen eam injuriam tam afflicto animo tulit,

Digitized by Google

tulit, ut illas compedes, ſpecimen gratitudinis, quam a mundo ſperare liceat, ſecum ſepulchro inſerri juſſerit. Remiſſus in Indiam a ſucceſſore *Bovadillæ* in *portum S. Dominici*, quam eſſe primariam Inſulæ urbem ſcimus, non admiſſus eſt. Contra ejus vero monitum cum claſſis opulentiſſima in ſalum deducta fuiſſet, inſecuta maxima tempeſtas totam fere eam merſit, & urbem ipſam fere diruit, ita, ut in alteram partem fluvii eandem transferendi conſilium ceperint, loco non adeo commodo, ac priori, quia nunc aqua ſalſa utuntur, etſi meliorem habere poſſint incolæ, ope aquæductus non admodum difficilis. Unde lepra infeſtantur maxime. Alias tunc primis illis temporibus urbs magnificentiſſima, & celeberrimas multas Europæ civitates vincens. Indi ab aliis prætoribus regiis majori crudelitate tractari, duriorique ſervitute opprimi ſoliti, contra expreſſam voluntatem & ſeveriſſimum mandatum *Iſabellæ*, ad quod eludendum prætextibus variis Hiſpani, ab aula adeo remoti, uſi, Indique in *departementa* (claſſes vel familias mancipiorum diceres,) diviſi; ſpecioſo quidem titulo *conceſſionum* ipſarum, Hiſpano factarum, exiſtente, hujus tenoris: *Commendo huic Sempronio tot vel tot Indos, quo curam gerat eorundem in fide Chriſtianorum inſtruendorum.* Sed nullius rei minus, quam hujus, curam geſſiſſe tyranni horum miſerorum memorantur, ſed eosdem ad metalla aurumque colligendum adhibuiſſe & duriſſimis verberibus adegiſſe. Qua ratione hoc palliaverint Hiſpani, dictum. Et re vera, cum Indi a Rege liberi pronunciati, &, ut, *Departementis* abolitis, Indi non niſi mercede numerata ad hos labores adhiberentur, lege ſancitum fuiſſet, nemo eorum mercede etiam magna invitari potuiſſe dicitur ad illos ſubeundos, utpote & pauciſſimo & ſponte nato victu vitam tolerare, & auro nullum pretium ſtatuere ſolitos. Deteſtatur quidem Autor immanitatem illam Hiſpanorum plerorumque, interim tamen, quæ ad defenſionem totius gentis afferri poterant, moderate ſuggerere non omittit, memorans, quales inter ipſos Hiſpanos patronos nacti fuerint Indi. Quorum præcipui fuere *Dominicani*, publice *Departemen-*

Digitized by Google

tementa damnantes, *Franciscanis* ad eadem conniventibus. Nemo vero magis intrepide & ſolicite cauſam Indorum, ſuſcepto nomine *Patroni* eorum, defendit, quam *de las Caſas*, coram ipſo Senatu Miniſtrorum Caroli V, quorum qui ex Flandris fuerant, Indis propenſi memorantur, Hiſpanis durioribus & inflexibilioribus exiſtentibus. Quin hic etiam octo ex primariis Theologis Hiſpanis permovit, ut in Senatu illo, ſponte ſua adito, publice declararent, ſalva conſcientia ad crudelitatem, contra Indos exercitam, ſe connivere non poſſe, &, cum Miniſtris regiis indigna res videretur horum conatus, quod non vocati ad conſilium ſuggerendum ſe offerrent ipſi, regererent, poteſtatem ſibi eſſe in Concilio generali ſententiam dicendi, quanto magis in conſeſſu Senatorum unius regni. Quamvis vero cauſa hæc, *Carolo V* ipſo Indis admodum favente & propenſo, multum agitata & ventilata fuiſſet, propter eos tamen, quorum intererat, in tantum temporis ſpatium diſceptatio deducta, ut prius Indi ſub laboribus conſumti deficerent, quam deciſio parum etiam iis profutura prodiret. Adeo, ut, cum ſub adventum Hiſpanorum numerus Indorum ad 3 milliones æſtimatus fuiſſet, A. 1514 non plures quam 14000 cenſerentur. Quo cum acceſſiſſet morbus variolarum, circa idem tempus recens in India tum cognitus, & epidemici mali inſtar graſſans, factum, ut fere omnes exſtincti ſint; ex quo adeo Hiſpani ipſi mancipia primum ex inſulis *Lucayanis*, dein ex ipſa *Æthiopia*, pro colendis agris aliisque ſervitiis præſtandis arceſſere coacti. Jam *Columbo* vindicatur etiam gloria inventæ continentis *America*, quæ vulgo *Veſputio* tribuitur. Et ſane, terram *Honduras* cum acceſſiſſet, ſecundum littora progreſſus, *Portum bellum*, & inde regionem, quam nunc *terram firmam* ſpecialiori ſignificatu vocamus, detexit. Mox in *Jamaicam* tempeſtatis vi rejectus eſt. Etſi vero contra pacta cum Regibus inita in haſce regiones, ab ipſo inventas, alii mitterentur præfecti, atque adeo in ipſam *Jamaicam*, tamen filius *Diego* vel *Jacobus*, qui ei mortuo ſucceſſit, & in præfecturam Hiſpaniolæ & reliqua jura reſtitutus fuerat, cum

aliqua restrictione tamen jurisdictionis, ob affinitatem Ducis *Albæ de Toledo*, ex cujus familia uxorem duxerat, hanc saltem insulam sibi vindicavit. Qui etiam cum in *Cubam*, quæ a patre inter primas detecta fuerat, Locumtenentis vice *Velasquezium* misisset, hic, paulatim ejus autoritati se subducens, præfecturam ipsam opulentissimam suam fecit, pari perfidia dein a *Cortesio*, quem pro augendis præfecturæ suæ terminis in continentem Americæ & regnum ipsum *Mexicanum* miserat, tractandus. Hanc insulam, ab incolis vocatam *Cubam*, *Columbus Ivanam*, *Ferdinandus* Rex ex suo nomine *Ferdinandinam* dixisse memoratur, sed nomen pristinum mansisse. Memorabile vero est, quod ipse *Columbus* has regiones a se inventas semper pro parte *Indiæ*, quam huc usque extendi rebatur, habuerit, quæ causa est ex primariis, cur iisdem nomen *Indiæ Occidentalis* hodienum hæserit; cumque adeo etiam continentem Americæ attigisset, Insulam *Cipango*, quam ex *M. Paulo Veneto Catayæ* vel *Sinæ* vicinam norat,(nullaque alia est, quam Japonia,) se invenisse aut proxime inventurum crediderat. Ceterum *Balboa*, qui in Sinu *Darien* in urbem *S. Mariæ*, quæ nunc deserta, coloniam duxerat, refertur primus *mare*, quod vocamus *pacificum*, per *Isthmum Panamensem* progressus, detexisse aut prospexisse. *Pontius de Leon*, dum fabulæ fidem habet, quod in insularum *Lucayanarum* una *Bimini* fons scaturiat, qui senibus juventutem restituere possit, eumque quærit, quo dein terris a se, ut sperabat, inveniendis diutius frui posset, incidit in *Floridam*, eamque primus detexit. Ceterum *Jacobus Columbus* trium filiorum & filiarum duarum ex *Maria de Toledo* pater decesserat. *Ludovicus*, natu maximus, sex tamen annos nondum supergressus, eidem succedere debuerat, quod etiam ex parte factum, sed autoritate magis imminuta, etsi reditibus auctis. Tandem, processu diu contra fiscum regium continuato, per transactionem demum cessit *Præfectura* vel *Vice-Regiatu novi mondi perpetuo*, & reliquis juribus, contentus titulo *Ducis Veraguæ* & *Marchionis de la Vega* vel & *Jamaicæ*, quia burgus ille in dicta Insu-

Insula primarius fuerat. Brevi tamen tota progenies, saltem mascula, *Columbi* defecit. Soror tamen *Ludovici*, *Isabella*, nupta *Georgio de Portugallia*, *Comiti de Gelves*, eidem titulos hosce dotales quasi attulit. Unde domus regiæ Portugallicæ Bragantinæ ille ramus, qui in Hispania sedem fixit, charactere utitur: *N. de Portugal Colomb*, *Ducum Veraguæ*, *Marchionum Jamaicæ*, *Indiarum Admiraliorum*. Cum *Columborum* familia deficiente res Insulæ, quatenus Hispanis paret, in deterius etiam labi coepere. Jurisdictio restricta, ita, ut, exemta Audientia Mexicana, *Hispaniolæ præfectura* jam restringatur ad Insulas Antillanas & continentis eam partem, quæ est intra *Orenoque* & *S. Magdalenæ magnum fluvium*. Episcopatus bini, qui vix se sustentabant, in unum oppidi *S. Dominici* contracti. Maxime exhausisse eam dicuntur coloniæ frequentissimæ, in continentem Americæ emissæ. Unde incolis ejusdem opulentissimis emigrantibus a *Carolo V* provisum, ut tantundem semper hominum, ex Europa in hanc insulam transportandorum, suppleretur, quantum emissum fuisset, in eumque finem aliis promiscue nationibus, quæ ipsi paruerant, facultas in hancce Indiam trajiciendi data. Qua occasione etiam *Welserorum* familia coloniam in provinciam, quæ ab Indis *Coriana*, ab Hispanis *Venezuela*, dicta, & in qua brevi antea *Joannes Ampuez* urbem *Coro* condiderat, duxisse refertur. Assignata ipsi sub certis conditionibus ab Imperatore tota provincia, quæ est inter *Promontorium la Vela* & fluvium *Marecapana*, (cujus ostia paulo orientaliora urbe *Cumanagoto*,) & omnis regio interior intra hos terminos, exceptis Insulis *Curasao Bonayre* & *Araba*, quæ *Ampuezio* relinquendæ erant. Crudelius vero se gessisse missos ab iis, &, dum domum, quam ibi locorum esse incautius sibi persuaderi passi erant, ex solido auro, frustra quærunt, in itinere consumtos, adeoque per provisionem saltem ex Insula Hispaniola alium præfectum missum *Corvajalem*, qui, cum crudelitate longe alios vicisset, revocatus, capite pœnas dedit, Autoris fide cognoscimus. Ceterum, quod Insulares Hispaniolæ attinet, ii ad tantam paucitatem redacti fuere, ut, cum qui-

dam eorum, qui post Baptismum *Henricus* dictus fuerat, & ab hero fugiens, diu contra Hispanos difficultate potissimum locorum se defenderat, tandem pacem obtinuisset, conditione, ut omnes Indi liberi censerentur, ipsique principatus eorum concederetur, collegisse dicatur eorum, qui ex Insulanis veteribus residui erant, quatuor ad summum millia. Qui ipse numerus adeo tandem his temporibus decrevit, ut, non plus quam 30 masculorum & 50 vel 60 feminarum fuisse, certo quidam asseverare voluerint. Hæc contenta sunt *primi Tomi, sex Libros* comprehendentis. In *altero*, æque *sex Libris* constante, copiose narrantur gesta circa colonias, quas *Galli* in Insulam, jam fere ab hominibus vacuam, deducere cœperunt. Scilicet *Hispani minores Antillas* plane neglexerant. Cum vero *Galli* & *Angli* miro quodam casu & conspiratione eodem plane tempore Insulam *S. Christophori* occupassent, eosdem Hispani eadem ejecerunt. Gallorum profugorum quidam in Septentrionalem partem Insulæ Hispaniolæ, tunc plane desertam, cum pervenissent, primo venatione boum vixere, dicti *Boucanierii*, dein eorum pars una cum Anglis quibusdam piraticam potius exercere cœpit, dicti *Flibustierii*. Nominum origo hæc memoratur: *Boucan* significat modum coquendi vel in sole torrendi carnes boum captorum: ex Anglica demum voce *Freebooters*, quæ *piratas* notat, facta est *Flibousters*, *Friboutiers*. Et hi quidem cum arcem suæ sedis constituissent Insulam *Tortuga*, a testudinibus dictam, ab Hispanis vero inde ejecti mox eam recuperassent, Præfectus Gallicus *S. Christophori* (in quam pariter redierant) primum misit Subpræfectum vel gubernatorem. Atque hic quidem æque ac successores ejus autoritate Regis Galliæ ipsi colluviei illi piratarum colonorumque præerat, sed ad omnes eorum actus conatusque connivendo non solum, sed eosdem etiam partim clam, partim aperte, promovendo, effectum, ut maximo terrori nomen *Flibustiariorum* in tota America esset. Interim, cum successive missi alii partim Præfecti, partim Commissarii ex aula Gallica, Rempublicam hanc novam rectius ordinare, & ad pa-

cem

cem cum gentibus, cum quibus fœdera Galliæ erant, colendam adigere conarentur, ægre hoc ab ipsis impetrare potuerunt. Præcipue animos exulcerabat prohibitio commerciorum cum exteris, dum *Societas Indiæ Occidentalis Gallica*, privilegio regio instructa, alias gentes arceret, & *Tabaci*, unde alias omnes opes Coloniæ, & *nigrorum mancipiorum monopolium* introductum, ejusdem statum plane everteret. Dum vero severioribus mediis ad pacem in Europa initam servandam constringendi essent piratæ hi vel *Flibustierii*, maximam partem dispersi, eorum vero multo plurimi, desperatione adacti, in *mare pacificum* per *Isthmum Panamicum* terrestri itinere transeuntes, Hispanorum littora miris deprædationibus vexare, alii vero etiam littora maris borealioris percursare cœperunt. Ex eorum factis, in quibus stupenda audacia cernitur, fusius & uberiori modio ab Autore admensis narratisque commemoranda videntur potissimum direptio opulentissimæ urbis *veræ Crucis* in Mexicano regno, expeditio in *Sinum Campechanum*, inprimis reditus ille quorundam ex *mari pacifico* in *mare del Nord*, quem non proxima via per *Isthmum Panamicum*, sed longiori itinere, instituerunt. Via facta per *Novam Segoviam*, & inde per alveum fluminis, *Yaré* dicti, interjectis maximis montium jugis, quæ ab Hispanis septa & munita fuerant, exercitu eorum eos usque comitante & carpere conante, donec flumen attigissent, in quo & ipso, circa fontes crebris præcipitiis periculoso, ratibus descendere coacti; exemplum adeo præbentes facti similis illorum decem millium Græcorum, de quibus tam magnifica commemorat antiquitas. Ex sociis horum quidam gentis Anglicæ in *Californiam*, saltem per aliquod tempus, se abdiderunt. Ceterum & ipsi præfecti Galli piraticis hisce militibus injustis bellis contra *Anglos* in Jamaica, *Hispanos*, *Batavos*, usi memorantur. Harum expeditionum celeberrima est, quæ contra *Carthagenam* sub *Pointii* ductu suscepta. In qua cum *Flibustiarii* maximum momentum ad felicem successum expugnationemque illius urbis attulissent, in prædæ partitione vero non secundum conditiones initas haberentur,

irati iidem, classe reliqua Gallica abeunte, in urbem rediere, & immensam pecuniæ summam extorserunt. Quæ tamen præda ipsis nullo emolumento fuit, cum in reditu in classem Batavicam incidissent, dispersique omnes in diversa abirent. Causa tamen eorum in aula agitata, quamvis ipsis centuplo fere major portio prædæ, quam primo, assignata adjudicataque fuisset, omnis tamen pecunia vel fraude vel casu interversa periisse dicitur. Ipsi quidem Galli vicissim ab Anglis & Hispanis in Insula Hispaniola bello vexati, sed parvo admodum cum successu, ob æmulationem harum fœderatarum gentium. Contra, omnia molitus *Ducassius*, Gallicus præfectus, ut *Scotorum* conatus, in *Sinu Dariensi* coloniam constituendi, irritos faceret, eumque in finem Indos liberos, qui in vicinia degunt, & *Sambres* dicuntur, (quia Insulas *S. Blasii*, *S. Blas*, corrupte *Sambras*, habitant,) contra eos concitasse dicitur, auxiliis promissis. Quibus cum se contra Hispanos quoque tutari cogitassent, iisdem postea, cum *Philippus V* ope Gallorum Hispaniæ thronum conscendisset, negatis, inde occasio extitit Hispanis eos Indos durius premendi, in quorum odium hi Anglis aurifodinas *Darienenses* ostendisse dicuntur. Tandem, numero piratarum dictorum sensim imminuto, tantum non omnes ad agriculturam se contulisse dicuntur, spiritus tamen atque animos majores diu servasse, unde propter ejusdem *Societatis Indicæ Gallicæ* oppressiones sæpius tumultus iidem concitarunt, & recentissime etiam sub ipsum tempus minorennitatis Regis Franciæ, qui hodie tenet imperium; ad quos sedandos, quam primum regnum majorennis ipse administrare cœpit, Commissarios ablegare coactus est, lenibus tamen potius, quam acribus, remediis usos. Status adeo Insulæ jam pacatus quidem, dimidiam fere, eamque *septentrionalem* & *occidentalem*, partem obtinentibus Gallis, reliquam Hispanis. *Gallorum* primaria fere *Leogane*, in qua summum tribunal juridicum, cujus tamen situs non admodum laudatur. *Portus pacis* commodiori loco situs, & satis magnæ amplitudinis formæque admodum regularis, plateis ad rectam lineam ductis, & normaliter se decussantibus.

Quales

Quales urbes esse etiam fere Hispanorum reliquas in America conditas constat; ut regularium adeo urbium formæ in America potius & China, quam in Europa, in qua negligentissime constructa pleraque, quærendæ sint. Insula *Tortuga* jam plane deserta. *Hispanorum* primariæ urbis, a *S. Dominico* dictæ, gloria fere tota extincta, incolis ad mendicitatem propemodum redactis. Itaque thesauros Insula habet insignes, quibus Hispani non fruuntur, sed custodiunt eos saltem, ne alii iis potiantur. Undecim in universum parochias habet hæc portio Hispanorum. Singulare est, quod de arboribus *Cacaoferis*, sive quæ *Cacao* ferunt, narratur; quæ, cum in Insulam a Gallis allatæ, miro proventu auctæ fuissent, uno anno 1715 omnes interierunt. Ex quo, non mirum est, factum, ut hoc sortilegio alicui adscriberent incolæ, tribuentes hoc *Martiniquensibus*, quorum reditus ne minuantur, maximopere interest, alibi locorum, Gallis equidem parentium, nullum hujus fructus proventum existere. Major est ubertas coloris cærulei, quem *Indigo* dicunt. Præter Gallos Hispanosque nigrorum *mancipiorum ex Æthiopia* maximus esse numerus memoratur, utpote per quæ sola cultura agrorum exercetur, quippe præ reliquis huic fini aptissima. Horum varia genera ab Autore enumerantur, præcipuis existentibus, qui vocantur *Congo*, *Arades* & *Senegalenses*. Omnes vero generatim *Dandas* vocari notat. Horum tamen exigua pars libera existit & per se degit, ea occasione libertatem nacta, cum eorum plurimi a Gallis ad Hispanos transfugissent, hi vero jussu Regis Hispaniæ Gallis essent restituendi, plebs autem urbis *S. Dominici*, cum jamjam essent tradendi, concurrens, eos, Commissariis Gallicis ereptos, in libertatem assereret. Ceterum & hoc commendationem insignem libro huic facere, sciendum, quod instruatur non solum figuris æneis elegantissimis, *Veræ Crucis*, *S. Dominici*, *Carthagenæ*, *Portus pacis*, &c. Ichnographias exhibentibus, verum & mappis, diversum statum insulæ variis temporibus repræsentantibus, aliisque, ab *Anvillio*, Geographo regio, designatis, quas factas notat juxta projectionem maxime commendabilem aut favorabilem, qua tamen

tamen ab Autore non intelligi *Opticam Stereographicam*, ex Schematibus ipsis intelligimus, cujus rei rationem afferri, æquum fuisset.

CODEX ITALIÆ DIPLOMATICUS, quo non solum multifariæ Investiturarum literæ, ab Imperatoribus Italiæ Principibus & Proceribus concessæ atque traditæ, verum etiam alia varii generis insignia notatuque digna Diplomata, continentur. Collegit JOANNES CHRISTIANUS LUNIG.

Tomus III.

Frf. & Lipsiæ, impensis hæredum Lanckisianorum, 1732, fol. Alph. 11 plag. 6.

Indefessi ac pæne incredibilis studii, quo Celeb. Autor rem diplomaticam hactenus ornavit, novum specimen Tomus hic Codicis Italiæ Diplomatici tertius prodit, cujus præcedentes Tomos in his *Actis A. 1726 pag. 99 & 441* recensuimus. Illo quidem tempore, prout in Præfatione fatetur, minime eum induerat animum, ut aliqua ipsum continuandi Operis cura teneret; sed, cum infinitus labor sit, omnis ætatis monumenta sive documenta conquirere, denuo expertus est, non deesse ad condenda integra Volumina materiam, si eo, quem per tot annos insigni Reipublicæ literariæ commodo testatus erat, inexpugnabili fervore colligendis iis incumbere, nullisque sumtibus parcere voluerit. Non autem se intra Germaniæ fines continuit, data orbi literato amplissima titulo *Archivi Imperii* Collectione, cujus vestigia jam premit *Codex Germaniæ Diplomaticus*; sed ad Italiam progressus, jamjam tria Volumina, præstantissimis documentis referta, in publicum emisit, spem quarti proxime exhibendi Voluminis faciens. Neque dubitandum, quin promissa sit exsoluturus, cum ne quidem jam ultra septua-

ptuagesimum annum provecta ætas ab iis literis divellere Virum optimum potuerit, in quibus consenuit, quibusve promovendis quasi natus videtur. Jam de tertio Codicis Italiæ Diplomatici Tomo dicendum. Sequitur ille ordinem, quem præcedentes observaverant. In duas abit Partes, quarum prima hac vice tantum lucem vidit. Dividitur rursus in duas *Sectiones*, quarum prima circa generalia versatur, & XLVII documenta refert, quæ vel universæ Italiæ statum, vel ejus cum S. R. Imperio nexum, spectant. Altera *Sectio* se ad singulos Italiæ Proceres convertit, quorum duas Classes præsens Tomus constituit. *Cap. I* exhibentur CXXXIV literæ, quæ intra A. 1186 & A. 1726 confectæ fuerunt, & ad *Ducatum Mediolanensem* pertinent. *Caput secundum* ad *Sabaudiæ Ducatum* respicit, & numeris CXLVII absolvitur, sub quibus præstantissima Serenissimæ Domus historiam & jura attingentia Diplomata ab A. 963 usque ad A. 1719 producuntur. Sequuntur *Capite tertio* LXVII documenta, quæ de magno *Etruriæ Ducatu* vel illi cohærentibus ditionibus agunt. Lectu dignissima est consignatio fœderum, induciarum atque pacis tabularum, a Republica pag. 1762. Florentina cum aliis civitatibus & Principibus Europæ factarum, ex originalibus, quæ adhuc in Archivis Palatii Florentini supersunt, conscripta. *Caput IV* ad *Mantuæ & Montisferrati Ducatus*, *Caput V* ad *Mutinensem & Rhegiensem Ducatus* dirigitur. Altera Classis ultra Capita quatuor haud extenditur, &, quæ in illis occurrunt, documenta ad Duces & Principes Picos Mirandulanos, Duces & Principes e familia Gonzagena oriundos, Sablonettanos & Bozalanos, Marchiones Savonæ, e familia Carrettana oriundos, ad Barones de Castro Barco, Marchiones Pallavicinos, & Dominos de Romano, referenda sunt. Ad specialiora descendere varietas & multitudo Diplomatum haud permittit, cum quodvis diversam & peculiarem differendi suppeditet materiam.

OSII AURELII DISPUNCTOR AD MErillium, seu de Variantibus Cujacii interpretationi-

tionibus in Libris Digestorum, Dispunctiones LIII. Cui adjecta sunt EDMUNDI MERILLII *Opuscula.*

Neapoli, typis Felicis Musca, 1731, 4.
Alph. 2.

Qui superiore ætate omnes Galliæ scholas pervagatus est, felix & salutaris Jurisprudentiæ error, ultra *Cujacium* neminem sapere, nec a quoquam quidquam, nisi quod ille occupaverit, dici aut excogitari posse, is summa, quæ illa regio semper aluit, ingenia excitavit, ut ea, quæ is tradiderat diligentia multo exactissima, expenderent, &, si fieri possit, falsi convincerent. Inde tam frequens *Cujacii*, & superstitis, & fato functi, Adversariorum proventus, quorum alii cum ab iis, quibus debebant, literis parum instructi fuerint, satis habuerunt æternæ ipsius laudi assiduis obtrectationibus, fœdis mordacibusque conviciis, antevertere. Nescimus tamen, & subdubitamus, an ad horum classem referri debeat *Edmundus Merillius*, celebris sua ætate Bituricensium Antecessor, quamvis negari non possit, invidia exstimulatum professa opera adversus eum disputasse, & disputanti acerbiora quædam & aculeata excidisse. Cum enim, sibi ipsi non semper constitisse τὸν πάνυ, observasse sibi visus sit, editis, quos vocat, *variantium ex Cujacio Libris III*, inconstantiæ & assiduæ variationis ipsum redarguit. Non tulit inustam præceptori notam (ut erat *Cujaciana* schola ad Antecessoris vindicias proclivis,) *Franciscus Orius*, sive, quod antiquitatem & ipsius *Appii Claudii*, caninæ literæ inventoris, ævum magis redolere visum est nomen, *Osius Aurelius*, Aurelianensium Antecessor, & data opera adversus *Merillii* Libros ex *Cujacio* evulgavit *Dispunctorem ad Merillium*. Qui liber, cum antea admodum raro obvius, & ea de re *Thesauro juris*, Cl. *Ottonis* auspiciis edito, non adeo pridem insertus sit, operæ pretium esse credidit Neapolitanus typographus, qui ante hos decem annos *Merilliana* Opera recudit, hunc etiam *Merillii* Dispunctorem publicæ luci iterum exponere. Si rem ipsam pute-

Digitized by Google

putemus, negari quidem non potest, *Cujacium* nonnunquam ab ea, quam initio probaverat, sententia postea recessisse; sed, cum illud pluribus & veteris & recentioris scholae Jureconsultis familiare nec, viro sapienti opprobrio, quin ingenui pudoris plenum, ea, in quibus humani quid passus sis, corrigere & emendare, tum, *Merillium* variationes crebras affectasse, &, ubi non sunt, deprehendisse, palam est. Contra ea, *Aurelius Cujacium* suum nunquam errasse, nunquam sua retractasse, &, quas ille prodit, variationes pene multas ipsius ingenio effictas esse omnes, cui facile persuadebit? Recte tamen & praeclare monuit, frustra esse, qui *Cujacii* prioribus, superstite se & autore editis, posthuma & recitationes, ab auditoribus negligentibus passim & oscitantibus calamo exceptas, & ipso nescio publicatas, committunt. Nos quaedam, ex quibus de ipso Dispunctore judicari possit, delibabimus. *Dispunctio I. L. pen. D. de Legibus* expendit, in qua pag. 12.
jus, quod necessitas constituit, alio loco Jus gentium, alio SCta, interpretatum esse *Cujacium*, ait *Merillius*, negat *Osius*, qui, utraque interpretatione exposita, lectori optionem eum reliquisse, autumat. Notat praeterea, falso a *Merillio* assertum 14.
esse, quod *Menander* longo tempore SCta Romanorum antecesserit, quem putat non potuisse nescire SCta, quibus bella indicta, imperium prorogatum, provinciae decretae, &c. Sed tamen an scivit & sua habuit aetate SCta, quae Jus faciunt? *Dispunctio XVII L. 22 vinum D. de rebus creditis* perse- 72.
quitur, ad quam legem temulentos pleraque interpretes scripsisse, *Cujacius* dixit. *Osius* noster, dum *Cujacii* sententiam coram *Merillii* amico (quem *Aime Monnet* fuisse, aliunde accepimus,) fortiter defendit, ab eo vapulavit, & (ipsius verba sunt,) quasi temulentus ob impactum sibi non perfunctorie colaphum, videre sibi visus est micantes igniculos stellulasque media luce discurrentes. Loco *vigesimo*, an pupil- 83.
lus absque tutoris autoritate, ne naturaliter quidem, obligetur, disquirit; qua in re *Cujacium* non variasse, vel ex eo intelligi, tradit, quod, quoties fere de impuberis obligatione neque naturali neque civili loquitur, toties aut expresse addat, nisi ex eo fa-

 ctus

Digitized by Google

ctus sit locupletior, vel certe, si is non addit, id subintelligi debere, facile ex iis, quæ loco conjuncta sunt, appareat. Capite
pag. 175. *XLV L. 30 D. de liberali causa* dispungit, & verba, *commodius est*, ex *Marcelli* nota, non ex *Triboniani* Emblemate, esse, docet, nec aliud *Cujacium* docuisse, quanquam is, *Tribonianum Marcelli* verba *Juliano*, dicta *L. 30* adjecisse, docuerit. His *Osii Aurelii* dispunctionibus addidit quædam minora *Merillii* Opuscula typographus, & ea quidem, quæ in nuperrima editione desiderantur. Sumsit ea, quod vel ipse profitetur, ex eodem *Ottoniano Thesauro*, & primum exhibet *Libros duo, ad Quæstiones Calistrati*, quibus singulas ex his Quæstionibus desumtas leges brevi Commentariolo il-
1. lustrat. *L. 38 d Legibus* cum *L. 13 C. desentent* & *interlocut* ita in concordiam redigit, ut in illa res judicatas
4. Legibus conformes, in hac iis adversas, intelligat. Ad *L. 64 pro Socio* latius tradit, contractum societatis utriusque partis voluntate, etiam tacita, vel ideo dissolvi, quod & tacita volun-
29. tate contrahi possit. Sequuntur ejusdem ad Titulum *de Ser-*
64. *vitutibus* & *rebus creditis*, & *de condictione*, Commentarii, quibus singulas Titulorum leges succincte explicat, sed quas nos fusius non persequemur, propterea quod ea tantum propinent, quæ in exponendis Pandectis inculcari debent, quamvis omnino non proletaria. Ultimum locum occupat
121. *Obscurorum* Liber singularis, seu *de Jure accrescendi & conjunctionis*, argumento fere obscuro, sed quod *Edmundus* noster, qua fieri potuit, luce collustravit.

CODEX MEDICAMENTARIUS, SEU Pharmacopæa Parisiensis, ex mandato Facultatis Medicæ Parisiensis in lucem edita, M. HYACINTHO THEODORO BARON, Decano.

Parisiis, apud Guil. Cavelier, 1732, 4 maj.

Alph. 2 pl. 8.

Ex

Digitized by Google

EX quo ordo Medicorum Pariſienſium jam olim animadvertit, medicamenta, ad cujusque pharmacopœi arbitrium conflata, ſpuriæ fieri virtutis, incertæ potentiæ, plenaque periculorum, in id omni cura conjunctisque viribus incubuit, ut codex quidam medicamentarius, ipſius cura recognitus, publicis typis exſcriberetur, ad cujus normam medicamenta in poſterum conficienda eſſent, ne ab ipſismet morborum præſidiis diſcrimina morborum ſuſcitarentur. Quoniam vero temporis progreſſu rarior, auctoque medicamentorum numero brevior codex ille, revocandus ad prelum, novisque acceſſionibus amplificandus erat, hunc quidem laborem præſentes ejus collegii doctores non detrectarunt, ſed librum poſterioribus ſuis curis renovatum prætterito anno in publicam lucem ediderunt. Animus vero iis neutiquam fuit, quemadmodum ipſimet inſtituti ſui rationem profitentur, omne medicamentorum genus uno hoc libro complecti, ſed præſtantiora tantum & Pariſienſibus uſitatiora enucleare. Delectu igitur habito ex præſtantiſſimis *Galenicorum* pariter atque Chemicorum remediorum ſcriptoribus optima quævis excerpere, atque in ſuos uſus convertere, ſtuduerunt. Et in admittendis quidem *Galenicis* fuerunt faciliores, in Chemicis autem cautiores & circumſpectiores, ſatisque patet ex ipſo Opere, antiquum illum a Chemicis remediis metum nondum plane exſpiraſſe. Penſa vero laborum cum ita inter Collegas diſtributa eſſent, ut mutuis inter ſe ſtudiis conjunctisque operis rem tractarent, quod cuivis in hoc aliove medicamenti genere viſum fuit, ad concilium retulit, in cujus deinceps frequentiori conſeſſu ſingulorum animadverſiones, lituras, mutationes, additamenta, examini ſubjecerunt, probeque inter ſe expenderunt. Supererat vero, ut, qui animo concepti probatique communibus ſuffragiis erant, parandorum medicamentorum modi, ad ſolertem artificis manum revocarentur, & ſucceſſuum eventus ipſo opere tentarentur. Quo conſilio ad hoc opus peritiſſimos & experientia claros pharmacopœos ordo Medicorum invitavit, qui demum omnes experimentis accurate inſtitutis diligen-

terque repetitis, illos feliciter ſuccedere, cognoverunt. Vidimus huc usque Medicos Pariſienſes tantæ molis Opus tanto nixu tantoque apparatu parturientes. Videamus nunc fœtum, tot laboribus natum. Præmittitur index medicamentorum ſimplicium ex vegetabilium, mineralium animaliumque familia, quæ frequentius cum in compoſitionibus, ut vocantur, tum uſu familiari, adhiberi ſolent, eo potiſſimum fine, ut omnis in deligendis iis rebus vitaretur error, neve fucum facerent variæ ſimplicium ſpecies, quæ, cum ejusdem ſint generis atque nominis, diverſas tamen tenent proprietates. Indicantur autem ordine literarum nomen cujusvis maxime pervulgatum, deinceps ſynonyma ex quibusdam Botanicis, medicamenta ex iis parata, demum compoſita, in quibus locum habent. Porro variæ illæ enarrantur enchiriſes, quibus præparari debent nonnulla medicamenta, ut præſtantiora, vel ad utendum, vel ad componendum, evadant. Ventum denique eſt ad remedia ipſa, ex quibus primo loco diverſis Capitibus, e.g. Syrupi, Trochiſci, Electuaria, & id genus alia, ſecundo autem itidem ſeparatis Capitibus Chemica, e.g. Eſſentiæ, Tincturæ, Salia, & reliqua, traduntur, ut cum formula remedii, tum modus parandi, isque brevis & ſtrictiſſime deſcriptus, (cum tamen monita quædam & cautiones copioſius omnino explicari debuiſſent,) proponantur, doſis autem cujusvis, modus aſſumendi, uſusque in humano corpore, cum ad rem præſentem non pertineant, ſilentio plane prætermittantur. Acceſſit index rerum, itemque omnium Facultatis Medicæ Pariſienſis Sociorum, atque urbis Pharmacopœorum. Ita comparatus eſt hic liber, ut ſtatus rei pharmacevticæ in Gallia abunde ex eo perſpici queat. Cum eo animo editum eſſe illum conſtet, ut ad ejus formulas Pharmacopœi Pariſienſes ſua pararent medicamenta, plura quidem nemo hic requiret. Certe, ſi quis inſignes ad rem pharmacevticam acceſſiones hoc libro factas eſſe exiſtimat, eum quidem magnopere falli dolemus. Trita hic lippisque & tonſoribus dudum cognita reperiet medicamenta, eademque identidem haud dubie accuratius emendanda, ut, qui ex noſtratibus diſpen-

penſatorium Brandenburgicum, vel Argentinenſe, ſimileque, poſſidet, eum Opere hoc Pariſienſi æquo animo eſſe carituerum, nobis facile perſuadeamus. Multo magis fruſtra erunt, qui ſecretis remediorum formulis inhiant, atque ex arcanis hic forte revelatis lucellum ſibi jamjam pollicentur. Priſca enim remediorum exempla hinc inde mutata tantum repetuntur. Ad extremum non eſt, quod reticeamus, librum hunc adeo quidem pharmacopolium olere, ut, quanquam in eo poliendo tot egregii Medici laborarunt, copioſiores tamen ſolœciſmi & barbariſmi Latinæ linguæ, Pharmacopœis familiares, hinc inde eniteſcant.

OBSERVATIONES ANATOMICAS EX Muſculorum doctrina, poſtquam nuperrime comparavit cum Cadavere expoſitionem CL. WINSLOW, tradit AUGUSTINUS FRIDERICUS WALTHERUS, Archiater Regius, & Profeſſor Publicus Lipſienſis.

Si muſculorum anatome diligenter exquirere, perinde, ac meditari, decet, quæcunque tam ad inſtruendam juventutem, quam ad perficiendam doctrinam pertinent; tum crebrius ac vehementer dolemus, inter præſtantiſſimos ſcriptores vix ſingulum haberi, qui in tanta rerum varietate ac copia, vel etiam ob diverſa muſculorum nomina, quorum plura hoc maxime ſeculo tributa ſingulis fuerunt, omnino ſufficeret, ut neque plures comparare libros neceſſum eſſet, quoties omnes cadaveris humani carnes ex inſtituto perveſtigantur. Sed de alio magis diſcipuli, quam quidem doctores, conqueruntur; ſcilicet, quod in tenerioribus ſingulis, aut minus ita obviis, deſcribendisque carnibus, rarius propinquas carnes, quam oſſa, illi ſcriptores perhibeant, inde vero plurium dubias ſedes ſæpiſſime relinquant. Noſtræ & aliorum de ſe ſpei Cl. *Winslow Expoſitione Anatomica*, quam nuper edidit, admodum ſatisfecit; &, quam vehementer Opera reliqua, quæ ipſe pollicetur, iconesque nos deſiderabimus, tam ſoli-

ſolicite rogandus erit, ut, poſt magnos laudatiſſimosque labores, quos ſuperavit, etiam conciliandis reſtringendisque copioſis in Anatome obviis ſynonymis, ſed neque exiguam ob rationem, mutandis dudum uſu receptis nominibus, majorem adhibere operam velit. Inter ſcriptores, quos noviſſima muſculorum anatome conſuluimus, ipſe Vir Clariſſimus fuit; & modo paucas obſervationes ordine quocunque repetimus. Quo loco muſculi oblique adſcendentis tendo ab decimæ coſtæ extremitate ſub ſpecie ligamenti tranſit nonæ & octavæ cartilaginem, ac porro jam ad rectum ipſe progreditur muſculum, ibidem præ ceteris locis clariſſime cognoſcitur, & inde porro perveſtigatur, ejus recti tendinoſa vagina, quam ampliſſimus ille adſcendentis tendo bipartitus ſtruit, & quam egregie deſcribit Cl. *Winslow*. Nam ſub hujus tegmine inferioris tendinis laudati laminæ, caro transverſalis muſculi aliquousque pergere viſitur; quæ cum inde in tendinem deſinit, tum juxta rectum hicce tendo cum lamina, quam diximus, manifeſto coit, ac ſub recto continuatur; dum interim ſuperior adſcendentis muſculi tendinis lamina ad mediam fere recti ſuperficiem ſeorſim profertur, & demum cum oblique deſcendentis tendine hoc loco jungitur, ac fibris miſcetur. Inter hæc exercitia, &, cum carnem adſcendentis ab nexu ſuo cum ileo oſſe & vertebra lumborum ultima ſeparaſſemus, tum, hoc muſculo ſublato, tendinem ſuum, jam propter ligamentum *Fallopii* factum, ad hocce mox adhærere intelleximus, ut & ipſe hic tendo ab nexu cum ſubjecta carne transverſalis non ſolum commode ſeparetur, ſed etiam ut aliquousque & ultra tendinem transverſalis, jam quidem factum, ita vero ultra illum locum, ſine vi, aut carni, aut tendini alterutrius muſculi illata, reclinari poſſet, quo quidem in præſenti exemplo luculentiſſime pateret, transverſalis tendinem muſculi ſeorſim permiſiſſe peritonæi proceſſum, deinde vero cremaſterem muſculum ab transverſali deflectente vere continuari atque demitti. Quare conferantur de hoc muſculo, quæ Cl. *Heiſterus* & *Santorinus* habent, cum deſcriptione, quam Cl. *Winslow* & *Douglass* dederunt. Viſus ſub rhomboidæo muſculo ſerrati

ſupe-

Digitized by Google

ſuperioris tenuior tendo, ſimilem alium, ſed ſingularis muſculi & anguſtioris tendinem, ab ſecundæ & tertiæ dorſi vertebræ ſpinoſo proceſſu natum, denique ſibi ſuperincumbentem, ille videndum exhibuit. Nam inde factus ipſe muſculus, ſub faſciæ carnoſæ ſpecie, quæ indicis latitudinem habebat, oblique ſplenium conſcendit, & ab altera parte vicinum ſcapulæ levatorem eſt conſecutus; cujus juxta ſuperiorem terminum, ſed ita ſupra inferiorem ſplenii dupliceinque tendinem, in transverſa apophyſi atlantis, hic ſplenii adjutor habuit finem. Sacrolumbalis tendo muſculi, in exemplo, tam ex parte cervicali *Diemerbrockii* miſcetur, quam porro in cervice pergit; nihilo minus ad eundem cervicalem pariter pars carnis longiſſimi dorſi accedit; cujus etiam tendo, juxta tertiæ colli vertebræ proceſſum transverſum, cum altero tendine coaleſcit; unde quædam carnis productio nata obſervatur, qualem fortaſſis *Douglaſſus* muſculum caput concutientem vocavit. Præter illam longiſſimi dorſi partem, quam ſurgere cum cervicali modo diximus, etiam altera, cum medio inter utramque trachelo-maſtoidæo adſcendit, & congreditur; atque hæc ita poſteriorem ipſius carnis tendinisque partem fundat, ut vel inde hic capitis muſculus roboris ſui notabile augmentum accipere videatur. Neque vero prætereundum jam ſilentio erit, ob eundem nexum varium, in diverſis ſubjectis, modo cervicalem illum collateralis transverſalis magis ſimilem, qualem *Cl. Winslow* deſcripſit, cognoſci, modo autem aliter diſtinctum, longioremque eum, & quidem crebrius obſervari, ſicut fere ab *Douglaſſo* ipſe deſcriptus habetur; ſed & eadem varietas in trachelo-maſtoidæo animadvertitur; quem ille complexum minorem, aut maſtoidæum lateralem vocat. Interim conferantur, quæ *Anatome noſtra teneriorum muſculorum repetita* de utroque diximus. Sed jam porro, & in dorſo, tegat longiſſimi pars major ſubjectum omnem transverſum, tam dicendum dorſi, quam lumborum, muſculum; ut etiam ſub hoc nomine illa pars comprehendatur, quæ inter lumborum vertebrarum proceſſus obliquos, & tres deinde transverſos eſt, ac ſacer

ceteroquin musculu[illegible]it; imo vero, etiam superiori dorsi loco, pars illa longissimi, ad spinas propinqua, attingere semispinatum, ab *Cowpero* ita dictum, cogitetur; atque tum facile erit conciliare divisiones hujus generis musculorum, quales *Cowperus*, *Douglassus*, & *Winslow*, suppeditarunt, præsertim si conferantur, quæ nos *l. c.* adjecimus. De ani sphinctere externo, qui anterius, ultra finem bulbi cavernosi corporis procedit, & acutus posteriori loco in ligamentum, quod ab coccygis osse fertur, desinit, perinde ac de interno sphinctere nos l. c. egimus. Sed iterum de transverso penis & urethræ musculo nos aliter sentimus, quam Cl. *Santorinus* & *Winslow*, ac plures alii fecerunt. Portionem, quam illi pro transverso tantum habent, ille *Littrii* musculus, post bulbum, quem diximus, tegit; & ipsa utrinque duabus circiter partibus suæ transversæ longitudinis, nec vero porro, ab adnata juxta os accessione nova, qualis ab osse pubis, pollicis longitudine mittitur, ac mox urethram attingit, sine laceratione carnis separari potest. Quæ igitur pars prior est, & productæ flexum urethræ sequitur, & ejus lateri utrinque inseritur. Ejusdem accessionis etiam fibras non secundum longitudinem ferri, sed transversas esse, id nos experimento luculenter cognovimus; sed hoc loco quædam vasa sanguifera pellicula irretiuntur, & eo in qualicunque intervallo transeunt, quod inter aliorum transversum posterioremque musculum, & novam accessionem nos modo observavimus. Quæ caute separari & discerni anatome deberi, monemus: sed vasa vide *Cowper. Myotom. Tab. XVII.* Eadem musculi accessio transversi, etiam ab parte pelvis, ac tertiæ circiter pollicis partis intervallo ab interiore & sublimiore levatore magno distincta, & huic prætensa, nasci ex flexuoso pubis osse visitur; scilicet, sub synchondrosi, cum reclinatur vesica, & denudatur priori loco magnus levator musculus. Quantum vero in vivis hæc pars prior transversi dilatandæ urethræ inserviat, sed, posterior intenta, bulbum occasione data convellat, id facile dijudicari potest. Supra hanc partem posteriorem internus, & in exemplo minor visus, ani sphincter fertur;

tur, qui, & bulbo, & acceleratoris postremo tendini, jungitur, ac magni levatoris fibras, plus, minusve obliquas, sed capientes intestinum, accipit, & cum iisdem confunditur. Quemadmodum vero prior pars magni levatoris musculi prostatam utrinque fundat, ita nihilo minus porro ad ambitum vesicularum seminalium ea promittere fasciculos fibrarum carnearum haud solet, sicut *Santorinus* docuit; nam, & humiliori loco, quam quidem ubi vesicula seminalis est, hæc descendere pars levatoris observatur, & præter ea crassa inter utraque loca, mediaque tunica est; quæ quidem pelvem investiens, in situ vesicæ naturali, alterum ab altero sejungit; etiamsi in vivis, sicut illa transversi accessio utrinque dilatandis suo tempore emissariis vesicularum seminalium, ita pars magni levatoris succutiendis, premendisque his ipsis, tum destinata inter alia videatur. Atque, cum Cl. *Winslow Tract. de capite n. 470* utrumque supremi pharyngis lateralem angulum annotaret, & alio loco musculi capitis antici terminum hac regione satis luculenter describeret, tum *n. 475* & *476* ab una anguli parte ampliorem cephalo-pharyngæum, & paulo angustiorem petro-salpingo-pharyngæum, ab altera anguli parte accommodare, & originem utriusque ita clarius describere potuisset. Nam inde, in luculentiore experimento, adjacens tuba cartilaginosa discernitur, qualis maxime struitur ab fibrosa cartilagine, quæ ab principio interno corniculi alæ internæ, & porro ab eadem ala provenit. Talis enim vero, post membranosam tubæ patentis oram reliquam, & ab opposita parte tumidam intra fauces visam, vere efficit ambitum viæ, quoad hæc cartilaginosa tuba audit. Sed hæc via, ferendo aeri e faucibus ad tympanum patens, jam, ubi in osseam desinit partem, tum ab ora carotici canalis productio, sed priori loco, & juxta hunc canalem, ab accedente sphænoidæo osse, notus hujus ossis, sub capite processus styloides eminet, atque dependet. Inter utrumque illum locum, sed ab carotidis via, nascitur, deinde ad tubæ fundum adhæret, atque porro cum hac ita descendit petro-salpingo-staphylinus, sive salpingo-staphylinus musculus *Valsalvæ*; & hic, tum ad uvulam divertit,

Digitized by Google

tit, tum viæ socium fasciculum fibrarum carnosarum petro-staphylinum accipit, qualem sub tuba, & pollicis circiter sub capite intervallo petro-salpingo-pharyngæus, tanquam sui partem, singulari modo, & a latere promittit. Utraque hæc pars, minus disjectis fibris ad uvulæ velum concedit; verum huc delatus petro-salpingo-staphylinus uterque jam diffunditur fibris, & post tenuem membranam veli uvularis posteriorem, ob redeuntes in arcum fibras, singulum, latum, arcuatumque musculum struit; quantus ad usque narium sepimentum quoque accessit. Ab sphænoidæa autem apophysi, ejusque sede, deinde vero ab ossis parte, quæ post foramen est, quod egresso inde tertio paris quinti ramo destinatur, postea vero ab internæ alæ superiore sede, imo ad medium fere alæ lateris ejusdem externi, oritur musculus tubæ *Valsalvæ*. Qui depressæ formæ musculus ab Cl. *Winslow* sphæno-salpingo-staphylinus dicitur, & hujus carnem externe communit tenax vinculum cum interveniente pauca pinguedine, quale vinculum dimensionem ortæ istius carnis fere habet, presseque ad musculum adjacet, ac similia principia legit. Id vinculum *Cowperus l. c. Tab. XXVIII Fig. 4* delineavit, locumque habet, qualem Cl. *Winslow l. c. n. 498 & 500* pterygo-staphylino superiori a se dicto assignavit. Quam ob rem musculus, inter hoc vinculum, & inter cartilaginosam tubam, arctius detinetur; sed ipse pariter potiori parte carnis & tendinis jam facti extra sinum utriusque alæ eminet, atque ita, ab externo latere alæ internæ, porro deducitur. Eo autem in tractu jam musculi caro, quæ ab loco alæ superiori pronascitur, sensim in tendinem laxum, & fibrosum, obscurioreque sede retegendum, ac tubæ ex parte adhærescentem, atque prælongum facit; dum interim longior ipsius caro, quæ ex sedibus sublimioribus deducitur, tendinem inferius, & juxta corniculi alæ internæ principium demum struit. Is tendo crassus & teres primo quidem adspectu visitur, ac circum corniculum, una cum laxiore illa, quam diximus, parte fertur. Sed hæc laxior tendinis pars in plures denuo fibras fascesque, intra uvulæ velum glandulosum divi-

dividitur, & porro in paulo firmiorem aliam tendinoſamque expanſionem, qualis oſſis palati extremo margini præfigitur, manifeſto deſinit; ſicut hæc cum *Douglaſſo* autore, & *Santorino*, imo noſtra cum *Anatome repetita muſculorum* rectius, quam illis conciliantur, quæ *n. 498, 499, 500*, Cl. *Winslow l. c.* docuit. Verum compactior altera tendinis pars, jam, in clariore experimento, tanquam digaſtrici ſingularis ſalpingo-pharyngæi pars media muſculi viſitur; quandoquidem manifeſto in aponevroſin, quæ obducit carnem latam novamque, proxime ab corniculo, abit. Qua quidem obſervatione, cum nos ab *Winslovii* & aliorum ſententia, imo ab illa, quam ipſi olim defendimus, jam recedamus, igitur poſtulamus, ut ab hoc notabiliore organo, poſterius ad pharyngem viſo, multo anguſtior & tenuior, vulgoque hodie notus, & paullo oblique magis procedens, ſeparetur pterygo-pharyngæus muſculus; & ita, quod preſſe ad iſtud externe hic accumbat, ut oculis, manuque cautis utraque diſtinguantur. Nam hic muſculus ab corniculi parte, quæ fauces reſpicit, ſeorſim educitur, & ſuper ſublimibus atque ab capite deductis muſculis fertur: licet ipſe alio ex principio natus, fere ſimilem, atque amplior multo pars nova tubæ muſculi, viam proſequatur. Quam ob rem haud nobis licebit hunc totum tubæ, palati, atque pharyngis muſculum aliter in duas partes dividere, quam quidem natura tendinem medium diſtinxit; ſi quidem digaſtricam quaſi carnem ab reliqua, & minus digaſtrica, non porro aliter, quam tendinis laxitate diverſa, diſtingui obſervavimus. Addimus encheireſin adhibendam, qua hæc omnia luculentiſſime in anatome patent. Quare ab colli nexu caput, deinde vero ab oſſe petroſo, & omni ab laterali nexu, inferior maxilla ſeparetur, imo pharynx cum connexis propemodum ad usque corniculum interioris alæ præcidatur, & aperiatur; ſcilicet, ut conſpici tubæ oſtium, & angulus pharyngis, & omnia libere utrinque tractari, retegique clarius poſſint. Quo facto, ſub capite diſcernantur arte illi quatuor, quos ante diximus, ſupremi muſculi, & ſigillatim ultimus, ſeu tubæ, pharyngis, & palati muſculus, ad usque corniculum recte cognoſcatur; mox

pterygo-pharyngæus, angustior musculus, aut ab interna facie corniculi, tanquam origine sui, aut ab pharynge, & juxta subliniores musculos, super quibus obliquus ipse pergit, separetur: ita tandem, post petro-salpingo-staphylinum musculum, & ante quam hic ad uvulam procedit, deinde etiam post tonsillæ superiorem partem, & quodammodo sub musculo mylo-pharyngæo, ita vero ab latere, ac porro, pharyngæa pars posterior musculi tubæ, quem *Valsalva* ita dixit, non solum perfecte distinguitur, sed & ab pharyngis parte, si eadem levetur, tum circum alæ corniculum tendinem compactum ante, sed modo planiorem visum, inde separare, & penitus discernere, simul, sine opera, alteram fibrosam, laxamque, & dispergendam tendinis partem inde retegere, & postea persequi, licebit. Valentem hanc valdeque conspicuam musculi partem, perinde pharyngem, atque tubam, præ aliis musculis stringere, & tonsillam, inter deglutiendum tollere sic ex positu nexuque musculi, & ex pulchriore ejus licet quadam adstrictione moderato circum corniculum, quasi trochlea esset, ductu, deinde ex magnitudine colligitur; qua multo quidem ipse posterioribus locis amplior est, quam ille pterygo-pharyngæus. Atque hunc musculum Anatomici ab subjecta ista digastrici parte, quantum nos scimus, minus distinxerunt, & cognoverunt. Tandem, hoc omni tubæ, palati, & pharyngis musculo ita rectius cognito, patet, quare inter deglutiendum, & aliter, quidam in tuba motus, seu in tympano, veluti ab aeris accedentis unda sonitus sentiatur; etiam inter alias rationes intelligitur, quare in oscitationis actu deglutiri nihil possit; sed & in faucium morbis inde plura deducere licebit. Neque vero de mylo-pharyngæo, & ceteris, hac faucium aversa facie visis musculis, ad aliorum Anatomicorum descriptiones modo addenda quædam habemus. Tantum sub thyreo-pharyngæo, & mylo-pharyngæo, atque sub nostri digastrici posteriore parte, surgere thyreo-staphylinum monemus. Qui admodum ab pharynge opposito confluentibus fibris augetur, quo ita auctior inde pharyngo-staphylinus *Valsalvæ* esset. De hujus ambitu musculi egregie sentit *Santorinus*, & ipse iconem, quam *Valsalva* dedit,

jure

jure perstringit: nihilo minus juxta uvulam, utrinque in arcum quodammodo tam duo organa in exemplo procedunt, quæ uvulam tollunt, qualia supra diximus, quam duo inferiora, quæ ipsam deprimunt, ita feruntur: qualia sunt pharyngo-thyreo-staphylinus & glosso-staphylinus musculus; si modo pharyngo-staphylinam istius partem potius ab latere uvulvam regere existimaverimus. De singulo thyreo-arytænoidæo musculo cum Cl. *Winslow* facile convenimus: nihilo minus partes diversas hoc loco consitas lustramus oculis, & obvias in exemplo omnium conditiones percensemus. Quanquam enim hic musculus, ope tunicæ cellulosæ, ad scutiformis cartilaginis adhæret latus: tamen anatome hæc ita cautius invicem separantur, donec sine ulla sectione quarumcunque carnosarum fibrarum, ad mediam fere scutiformem cartilaginem, sedemque musculi, perventum lanceola utrinque fuerit. Quo facto, crico-arytænoidæus musculus lateralis, & quidem inferiore loco, scilicet, qui crico-thyroidæi extremitati internæ opponitur, tum seorsim, ad basin arytænoidææ cartilaginis, & quidem via ferri breviore, visitur. Est deinde ad hunc propinqua ipsius thyreo-arytænoidæi pars, quæ inferius ab media fere scutiformis linea cartilaginis, versus capitulum, & faciem arytænoidææ internam, ubi inseritur, procedit. Ea enim vero pars ita sub glottidis loco fertur, & per bifidum, juxta capitulum, lateralem fibrarum fasciculum aryo-epiglottidæum, fibras quasdam in exemplo mittit, quem appellare thyreo-epiglottidæum musculum *Santorino* placuit. Proinde hic notabilis fibrarum fasciculus, præ posteriore aryo-epiglottidæo major est, & ab latere cartilaginis arytænoidææ, ac supra basin ejus, pronascitur; deinde, & postquam bifidus ipse permisit fibras prioris thyreo-arytænoidæi partis, tum integer, longiore flexu, supra reliquam thyreo-arytænoidæi musculi partem pergit, & tendine suo, partim infra glandulam arytænoidæam, & in ejus involucrum, partim in basin epiglottidis fere mediam, desinit. Tandem reliqua thyreo-arytænoidæi musculi pars, suæ insitionis diversæ jure ab inferiori illa, quam ante diximus, tantum distin-

diſtinguitur. Nam ab media fere ſcutiformi hæc quoque naſcitur, ventriculumque obducit, quem Cl. *Morgagnus* hoc loco deſcripſit; ſed ita fibrarum pariter ſuarum carnoſarum lata ſerie, ſub faſciculo laterali aryo-epiglottidæo, atque cum obliquitate quadam, fertur; ut ipſa non adeo arytænoidæam movere cartilaginem, ſed in faucibus extantem limbum vinculi membranoſi arytænoidææ capituli & baſeos epiglottidis attingere, ac in vivis ſtringere; ſed de reliquo in eadem baſi, ab latere, & quidem ſub faſciculo ary-epiglottidæo poſteriore, illa pars terminari; denique ita deprimere in vivis epiglottidem inter alia videatur. De hoc vero ary-epiglottidæo poſteriore muſculo noſtra obſervatio iterum cum illis convenit, quæ *Santorinus Obſerv. Anatom. Tab. III Fig. 1* videnda dedit; etiamſi aliis exemplis decuſſantem utrumque faſciculum, partim in arytænoidææ capitulum deſinere, partim ad epiglottidem, ſed nova fibrarum acceſſione, quæ ab ſummo capitulo illius cartilaginis proveniebat, auctum, utrinque pergere, viſum ſubinde eſſet. Atque decuſſantem illum faſciculum, ſicuti recte Cl. *Winslow* ab cricoidæa cartilagine deduxit; ita in iſtis exemplis creberrimis crico-arytænoidæi muſculi ſuperioris nomen nihilo minus aut locum non habebit, aut minus adæquatum erit: ſed ab decuſſantibus illis ſemper fibras motrices ad epiglottidem pergere, non tam aſſeveramus, quam merito ſuſpicamur. Rectangulum ſolito longius occipitalis muſculus in exemplo repræſentavit; cum pollicis diſtantia ab media occipitis linea is inciperet, & in aurem externam ita quidem deſineret, ut productio, quæ huc deferebatur, muſculi vices, aurem cum exigua declivitate retrahentis, præſtitiſſe videretur. Supra eum teretior alius ex oſſe ſeorſim proveniebat, qui recta via ad vicinum in aure locum progrediebatur. De faciei muſculis modo dicamus. Major zygomaticus muſculus, ante, quam ad oris angulum pervenit, fibras quasdam cum canino confundit; idem vero cum ordine laterali, medioque labii ſuperioris fibrarum, etiam zygomaticus minor & inciſorius ita præſtant; denique

pars

pars incisorii, & ad pyramidalem propior, pariter cum hocce delato; sed cum ordine illo fibrarum uterque musculus miscetur. Quæ irretitarum decussantiumque fibrarum compages, qualis fere occasione alius musculi arciformis ab *Santorino* dicitur, superiorem labii fibrarum ordinem tegit, neque arctius cum eo cohæret Sub illis, juxta nasum, rinæus musculus visitur; cujus altera pars nasum, sub specie transversi musculi, utrinque scandit, altera vero ad pinnas accedit uti *anatome* nostra *repetita* hæc ita notavimus. Verum novus fasciculus, qualem *Santorinus Tab. I lit. f* in facie notaverat, illum, in præsenti sectionis exemplo, ab latere transversi mitti, ac surgere, demum vero, sub corrugatore, eundem ab pyramidali, & ante, quam hujus tendo fieret, recipi; sed ita rem secus, atque in illo *Anatomes repetitæ* exemplo se habuisse, nos observavimus. Contra animadvertimus, musculosum fasciculum hocce in subjecto deficere, qualem nostra Tabula *lit. α* tum significavimus. Tandem pyramidalem majorem & minorem natura in hocce exemplo minimum distinxerat. Quinque lumbricales musculi, in hoc cadavere, & rariore ita exemplo dinumerati fuerunt. Ex his *primus*, ab latere indicis externo, quod pollicem respicit, tendinem suum, versus longam ac tendinosam aponeurosin, in dorso digiti visam, oblique profert; *alter*, ab latere medii digiti, quod pollicem spectat, sicut de primo diximus, promittere tendinem observatur; *tertius*, ut ut primo adspectu singulus visus esset musculus, nihilo minus, attente magis cum exquireretur, in duas tum ipse distinctas carnes, tendinesque, manifesto dividi potuit; &, ex tendinibus, alter ad medii digiti latus, ab pollice aversum, alter ad annularis digiti latus, quod pollicem respicit, concessit; atque tandem lumbricalis quintus denuo ad latus oppositum annularis: ita vero nullus ad minimum digitum divertit. In manu abductorem pollicis musculum *Douglassi* laudatus sæpe *Winslow* ad musculum thenar, tanquam partem accenset; & porro, præter metacarpi motorem, ad hunc ita consitum, seu hypothenar dictum, qui primi internodii flexor

Douglaſſi eſt, iſte etiam adductorem indicis ad pollicem *Heiſteri*, potius muſculum antithenar, aut imperfectum pollicis interoſſeum, vocavit; præſertim, quod proxime ad oppoſitum metacarpi os attenſus alter, & imperfectus indicis interoſſeus ab ſe dictus proferatur; quem *Douglaſſus* abductorem indicis appellavit. Tandem, qui muſculus *Heiſtero* antithenar audit, hunc meſothenar *Winslow* nuncupavit. Quod ſi diſplicent Cl. *Winslovio* adductoris indicis ad pollicem, vel pollicis ad indicem, nomina, tum majori jure ex anatome vocabulum thenar cum ab ſe derivatis expungitur; nihilo minus index, inter digitorum actiones hominis vivi, non raro liberior præ pollice fixo viſus, ita ſuo jure per muſculum ad pollicem, ex mente Cl. *Heiſteri* adducitur; ſed altero in caſu, & indice potius fixo, tunc mobiliorem pollicem idem muſculus manifeſto ad ſe ducet. Tum vero hic ad muſculi meſothenar officium plus minusve accedit; neque vero, utcunque res conſideretur, ſic magis adæquatum aliud ab *Winslovio* illius ſubſtituitur nomen. Sed, ne de pluribus nominibus diſputemus, univerſe, & ubicunque agitur de genere primo muſculorum, qui oſſibus tantum terminantur, tum vix in eorum anatome uſu receptas eſſe denominationes patet, quæ cum utroque motu, tam directo, quam reciproco, qualem fere omnes ſuo tempore præſtant, conveniant, & applauſum ideo mereantur. Igitur, ſi quid ſentire liberius in re liceat, tum fere muſculus coraco-brachialis in primo genere, ſed longe plures in altero genere, e. g. ipſi *Winslovio* dicti muſculi iſchio-cavernoſi, & aliorum muſculorum pharyngis exempla, normam præbent, ſecundum quam multa primi generis muſculorum nomina emendanda eſſent; ſcilicet, ſi utriusque inſertionis oppoſitæ potior ratio in denominatione habeatur. Ita adductor ille indicis ad pollicem eſſet pollicis & metacarpi oſſis oppoſiti communis; ſi brevitatis cauſa interdum hanc illamque conditionem ſpecialem negligere permittatur. Verum in majorum numero muſculorum vocabula inepta gracilis, ſartorii, & longe plura, commode e ſcholis exularent: fortaſſis tantum ampliorum

rum musculorum compositorumque nomina antiqua, & pauca alia, manerent. Atque, eodem generali magis instituto, plures, quod si subinde convenerint oppositæ utriusque insertionis communes dicendi musculi, tum, addita interdum voce externi, vel interni, superioris, vel inferioris, recti, vel obliqui, vel transversi, anterioris, vel posterioris, sicut porro tales discernerentur, id facile anatome & meditatio supplerent. De numero musculorum minuendo non æque ac de synonymis, in pauca referendis, cultores anatomes bene sperare poterunt. Interim nos hac quoque tractatione docuimus, qua ratione ad transversum utrinque accensere deceat ejaculatorem urethræ *Santorini*, seu prostatæ minoris *Winslovii* musculum. Etiam productionem ani sphincteris, priori loco visam, seorsim appellare *Littrii* musculum, superfluum est. Neque merito cui vertitur vitio, sin in collo cervicalem *Diemerbrockii* ad sacro-lumbalem, & trachelo mastoidæum *Douglassi*, seu complexum minorem *Winslovii*, ad dorsi longissimum pertinere, ipse defenderit; quin potius, his spinæ dorsi locis, plura contrahi in pauca posse, neque diffitemur. De aure, quicunque pro bicipite singulo, cum *Vieussseno*, aut cum *Casserio*, *Tab. IX Fig. 11 Eustachii*, *Foliique*, utrumque musculum valde connexum venditaverit, is ita ab vero vix aberrabit; si modo ille de externo *Casserii*, & in homine quidem viso mallei musculo, multo tenuius, quam hic scriptor senserit. Digniores nihilo minus esse teneriorum plurium in pharynge, & larynge, facieque obviorum musculorum actiones, quæ distinguantur, & ita postulare eas, ut organa omnia, quam quidem fieri potest, discernantur, sic opinamur.

CHRISTIANI LUDOVICI GERSTEN Tentamina Systematis novi, ad mutationes Barometri ex natura elateris aerei demonstrandas; cui adjecta sub finem Dissertatio, roris decidui errorem antiquum & vulgarem per experimenta nova excutiens.

Francofurti ad Mœnum, 1733, 8.

Plag. 15, cum Tabb. 6 æri incisis.

Clarissimus Autor, rationes mutationum, quæ in barometris observantur, nondum satis explicatas esse censens, eas nunc accuratius ex ipsa natura elateris aerei deducere conatus est. Itaque, postquam Capite primo de natura elateris in genere, ac potissimum de propagatione vibrationum tremularum per corpora plura elastica, contigua & in æquilibrio violento constituta, hoc est, vi quadam inter se compressa, & ad figuram atque extensionem minus naturalem redacta, propositiones varias consideratu dignas exhibuit ac demonstravit; mox altero Capite de ipso barometro, ejusque constructione & mutationibus, tractat, ita, ut harum genuinam causam non alibi quærendam esse doceat, quam in motu confuso, & vibrationibus tremulis in aere excitatis, quippe cum ex his rebus majorem aeris dilatationem & minorem gravitatem existere necesse sit. Denique Capite tertio meteora præcipua persequitur, quæ mutationes berometri ut plurimum comitantur. Tota Cl. Autoris theoria, si in compendio proponenda est, huc redit. Quo majores in aere elastico partium collisiones & motus confusi excitantur, ut fieri potissimum propter ventos contrarios solet, hoc fortiores in eodem vibrationes oriri convenit. Sed crebræ hujusmodi vibrationes aeri proximo majorem extensionem conciliant, ob eamque rem eum reddunt leviorem. Ergo hydrargyrum in barometro ab aere minus gravi ad minorem altitudinem sustineri par est. Non igitur sine ratione præcipuum Systematis sui fundamentum in hac positum propositione Autor judicat, quod in serie corporum elasticorum, in æquilibrio violento constitutorum, quo sæpius & celerius corpus primum, & ea, quæ primo proxima, vibrationes suas repetunt, hoc magis eorum extensiones augeantur; si scilicet series vel infinita vel certe tam longa fuerit, ut primum corpus iterum comprimi ac vibrare possit, priusquam vibratio ejus antecedens ad finem seriei propagata sit. Ceterum

Digitized by Google

terum, cum ex doctrina Autoris & multis obſervationibus ſequatur, aerem expanſum vaporibus deſcendendi facultatem concedere, mirari ipſum ſubiit, quomodo ros ſuperne delabi queat, eo tempore, quo aer evidentiſſime magis condenſatus vel compreſſus exiſtat. Quod dubium ut rite ſolveret, varia & complura facere experimenta inſtituit, ex quibus tandem in Diſſertatione, huic Tractatui adjecta, concluſit: rorem haudquaquam ſuperne decidere, ſed vel ex ipſis plantis transſudare, vel ex vaporibus terra exhalatis concreſcere. Præcipuæ ejus obſervationes hæ ſunt. Urticam (quam præ ceteris plantis facillime rorare intellexit,) vaſe fictili ſub veſperum operuit, & mane reverſus, eum ſub vaſe, pariter ac reliquas non tectas, rore aſperſum deprehendit. Exploraturus, an iſte liquor per ipſam plantam transſudaret, terram prope caulem diligenter texit, applicatoque vaſe, & omnibus commiſſuris probe oblinitis, ut ne aeri quidem ingreſſus in ollam pateret, nihilo tamen ſecius rorem in planta generari didicit. Idem in aliis plantis obſervatum eſt, in quarum etiam plerisque ſatis regularem guttularum diſpoſitionem, circa margines potiſſimum foliorum, Autor invenit. Cum forfice abſcidiſſet graminis apices, vel margines braſſicæ, partes vulneratas citius lacrhymantes vidit, quam illæſas. Hoc porro conſtantiſſima obſervavit experientia, laminas metallicas, & corpora quævis plana (dummodo ex materia ſolida & continua conſtarent, quæ vaporibus tranſitum non concederet,) ſitu horizontali non longe a terra repoſita, nunquam in ſuperiori ſuperficie, ſed tantum in inferiori, roreſcere. Ceterum, cum bracteas metallicas ad 3, 4 vel 5 pedum a terra diſtantiam filis ſuſpendit, tunc ros æquali fere copia in ſuperiori & inferiori ſuperficie adhæſit. Corpora cava & cœlum verſus patula nihil roris intra ſe receperunt. Convexa vero cujusque generis in ſola ſuperiori ſuperficie rorem excepiſſe deprehenſa ſunt. Neque hoc ſuæ obeſſe ſententiæ putat doctiſſimus Autor. Nam, cum vapores leni & (pro ratione agitationis maſſæ aereæ, in qua natant,) obliquo motu adſcendere concipiendi ſint, per inflexionem veſicularum in di-

rectione, non difficulter explicari posse censet istud studium superiores partes corporum convexorum humectandi. Id quod alio tempore se fusius explicaturum pollicetur. Omittimus cetera: nec rem indignam judicamus, quam porro eruditi sibi expediendam sumant.

ECLIPSIS LUNÆ TOTALIS ET CUM mora observata Viennæ Austriæ A. 1732 Calendis Decembr. p.m. a Celeb. MARINANIO, *Mathem. Cæsareo.*

Ex Tabulis quidem Astronomicis Celeb. *de la Hire* Eclipsis Lunæ d. 1 Decembr. anni 1732 sub Meridiano Viennensi ab hora 9 min. 5 p.m. usque ad hor. 12 min. 45 videnda prænoscebatur; ejus autem diei, ut & præcedentium, adversa tempestas nullam præmitti dispositionem ferebat huic spectaculo, cui quippe intuendo videbatur penitus obstitura. Vespere tamen flante Borea, inexpectato favore cœlum patuit, nec amplius, nisi sub finem Eclipsis, nubibus obductum fuit. Die quoqne secunda & quarta ex appulsu speciei solaris ad meridianam lineam indices horologii oscillatorii ad meridiem referri, & tempora observationis habitæ, utpote media, reduci potuerunt ad vera. Porro umbræ progressus in disco Lunæ determinabatur telescopio 17 pedum; a culminationibus vero Eclipsi contemporaneis erat arcus muralis (cujus radius 9 pedum) tubo longiore suoque micrometro instructus.

Temp. ver.			
H.	′	″	
9	4	0	Lunæ limbus orientalis pallidior.
	8	47	Culm. lucid. Ariet. in alt. 63° 58′ 30″.
	9	10	Appulsus umbræ ad Grimald.
	12	40	Ad mare hum.
	16	0	Med. maris hum.
	16	39	Kepl.

Ari-

Temp. ver. H.	′	″	
	17	0	Ariſtarch.
	18	0	Med. Ariſtarch.
	19	10	Fin. Ariſtarch.
	23	50	Copern.
	24	0	Med Copern.
	26	40	Fin. Copern.
	28	0	Tych.
	28	50	Med. Tych.
	29	40	Fin. Tych.
	39	0	Plat.
	39	50	Med. Plat.
	40	44	Fin. Plat.
	45	20	Plin.
	50	42	Fin. maris Nect.
	56	0	Endym.
	57	31	Mare Criſ.
10	0	0	Med. maris Criſ.
	2	24	Fin. maris Criſ.
	5	0	Immerſio totalis Lunæ, cujus limbus tempore totius obſcurationis ſubruber, diſcus vero in medio nigreſcebat.
10	14	44	Culm. Ceti Mandib. in alt. 44° 50′.
	58	2	Culm. lucid. Plejad. in alt. 65° 4′.
11	29	0	Limbus Lunæ orientalis albeſcebat.
	46	0	Emergebat Grimaldus.
	46	46	Culm. Aldeb. in alt. 57° 44′ 45″.
	51	14	Detegebatur Ariſtarch.
	51	34	Mare hum.
	52	10	Med. Ariſtarch.
	52	50	Fin. Ariſtarch.

Med.

Temp. ver. H.	′	″	
	54	0	Med. maris hum.
	54	30	Kepl.
12	1	0	Copern. emergere incipiebat.
	1	27	Limb. occidentalis Lunæ ad Meridianum.
	2	55	Sectio umbræ & limbi Lunæ super. ad Merid.
	3	15	Sectio umbræ & limbi Lunæ infer. ad Merid.
	4	0	Limb. orientalis Lunæ ad Merid.
			Altitudo { Limbi super. / Limbi infer. } Lunæ culminantis: 63° 42′ 30″ / 63° 10′ 0″
	4	0	Prodibat Tych.
	4	32	Med. Tych.
	5	29	Fin. Tych.
	7	15	Plat.
			Post hæc nubes Lunam obtegebant, quibus tamen attenuatis
	38	30	Apparebat med. maris Crif.
	39	58	Finis maris Crif.
	41	30	Finis dubius Eclip.
	42	10	Finis verior Eclipsis.

JO. HENR. A SEELEN, SS. THEOL. LIC. & Gymn. Lubec. Rectoris, Meditationes Exegeticæ.

Pars II.

Lubecæ, sumtu Jonæ Schmidi, 1732, 8.
Alph. 2 pl. 10.

Primæ Dissertationum Exegeticarum *Seelenianarum* Parti, quam *A. 1730 p. 486 seq.* recensuimus, succedit nunc secunda, itidem complexa Dissertationes jam antea separatim editas: quibus tamen sex nunc primum emissæ adjunguntur. *Prima* est Disputatio inauguralis *de Jona Ænigmatico:* in qua doctissimus Autor notam Cl. *Hardtii* de Jonæ Prophetæ historia hypothesin dilucide docteque refellit. In *secun-*

secunda duabusque sequentibus ejusdem *Hardtii* sententia refutatur *de Diluvio ænigmatico*, statuentis, per historiam Mosaicam de diluvio significari bellum aliquod Scythicum. In *quinta debellatur*, ut ipsius Cl. Autoris verbis utamur, aliud *Hardtii monstrum exegeticum*, quo is statuit, *Canticum Canticorum* esse drama, historiam exhibens Joannis Hyrcani, Principis & Pontificis Judæorum. Quales sententiæ etsi hoc ipso, quod recitantur, satis jam refutatæ videri possint, non tamen omnem operam perdere censendi sunt, qui curatius eas confutant, earumque falsitatem in apricum producunt. In *sexta* Max. Reverendus Autor rursus congreditur cum Cl. *Hardtio*, virum illum, quocum Jacobus *Genes. XXXII, 25*, colluctatus esse legitur, fuisse contendenti hominem ab Esavo ablegatum ad pugnam cum Jacobo ineundam. Misso nunc *Hardtio*, *Differt. VII* agit de Poetarum dictis in N. T. occurrentibus *Actor. XVII, 28*, *1 Corinth. XV, 33*, & *Tit. I, 12*, eaque doctissimis perfundit illustrationibus. In *octava* contra *Tolandum* disputat, in sanctissimo nomine *Jehova* præsidia quærentem sui pantheismi. In *nona* eos refutat, qui per *linguam draconis Apoc. XIII, 11*, capiunt linguam Latinam. In *decima* recenset viros eodem nomine, quo Salvator, hoc est, nomine *Jesu*, insignitos. Hic non solum multa docta affert de illo Salvatoris nomine, sed etiam de Josua, Jesu Siracidæ filio, Bar-Jesu, aliisque homonymis, agit. In *undecima* illustrantur verba Pauli *1 Thess. V, 15*: τὸ ἀγαθὸν διώκετε. Quæ cum *Lutherus* ita reddiderit: *Jaget dem guten nach*, hanc versionem ita defendit, ut e priscis monumentis ostendat, sæpe id verbi sumi sensu venatorio, & hinc pluribus persequatur sacram hanc & Christianam venerationem. In *Diss. XII* duce Salomone *Prov. XVIII, 22*, ostendit, quantum bonum viri sit bona uxor. In *XIII* recenset MS. *Psalterium* Latinum, cui adjuncta Germanica versio, Saxoniæ Inferioris idiomate consignata: eamque versionem, diu ante *Lutherum* factam, magna industria comparat cum versione *Lutheri*, ac hanc illi præferendam esse luculenter ostendit, simul gratum faciens iis, qui linguæ illius sunt curiosiores. In *XIV* ex *Prov. XIX, 14*, osten-

N n

ſtendit, prudentis conjugis originem eſſe a Deo. In *XV* defendit, *Tyrannum Actor. XIX, 9*, eſſe nomen proprium, refutatque *Petrum Rabbum*, arbitratum, innui virum quendam, qui honoris cauſa vocatus fuerit *tyrannus*, ſive rex ſcientiarum. In *XVI* monumentum illud intuetur doctis oculis, quod Raheli defunctæ maritus ſtatuiſſe legitur *Gen. XXXV, 20*. Varias hic profert de illius monumenti forma ſententias, ſed nihil definiri poſſe decernit. In *XVII* interpretatur verba Simeonis *Lucæ II, 29: Nunc dimittis ſervum tuum*, cetera, & pie & docte. In *XVIII* breviter conſiderat laudatam a Paulo *2 Tim. IV, 8*, coronam juſtitiæ. In *XIX* hæc verba Apoſtoli *2 Tim. IV, 18: Eripiet me Dominus ab omni opere malo, & ſalvum faciet in regnum ſuum cæleſte*, contemplatur, ac docet, per *opera mala* Paulum ſignificare peccata & reliqua mala ſpiritualia, verboque *σώζειν* reſpicere *Jeſum τὸν σωτῆρα*. In *XX* refellit Cl. *Hardtium*, ratum, per *nuptias agni Apoc. XIX, 7*, deſcribi Eccleſiam militantem, facta ſui liberatione a perſecutionibus Judæorum impenſiſſime lætantem. Ipſe docet, verba [illegible]a eſſe triumphantis in cœlo Eccleſiæ. In *XXI* per *viam Caini* in *Epiſt. Judæ v. 11* ſignificari putat vitia illa Caini, incredulitatem, hypocriſin, excandeſcentiam, neglectum ſalutaris Dei conſilii, invidiam, homicidium, mendacium, deſperationem: &, hanc ſententiam ſibi communem eſſe cum *Flacio*, addit. In *XXII*, eademque ultima, agitur *de Medicorum in S. Scripturam meritis*. Feſtivum hic produci videas agmen Medicorum illorum, qui ſacras varie illuſtrare conati ſunt literas, eorumque huc pertinentia ſcripta commemorari, *Aderi, Almeloveenii, Baieri, Bartholinorum, Connori, Conringii, Dickinſoni, Lemnii, Libavii, Paracelſi, Paulini, Reineſii, Rudbeckii, Scheuchzeri, Sennerti, Valleſii, Wedelii*, aliorumque.

ELOGIUM LUDOVICI FERDINANDI, Comitis DE MARSIGLI.

Eminuit ætate noſtra omnium conſenſu inter milites doctrina ac ſcriptis claros *Ludovicus Ferdinandus, Comes Marſilius*, & hanc nominis famam inter mortales, poſtquam

quam ipse ante biennium fere mortalis esse desierat, reliquit, non temere profecto occisuram. Negligentius abs nobis tractata videri poterat eximia hominis virtus & amplissima in eruditam civitatem merita, si quidem inter tot alios ipsorum apud posteritatem industrios præcones, nos uni plane de illis conticuissemus. Absit, absit omnino vel levissima similis maculæ suspicio; quam, ut eluamus removeamusque, brevi jam quodam *Marsilianarum* laudum ac factorum compendio cavere studebimus. Prodiit Noster illustri inter suos stirpe Bononiæ, anno seculi præteriti sexagesimo, patre *Carolo Francisco.* Cum armis juvenem destinaret nascendi fortuna, ingenii vero inclinatio ad studiorum cultum vehementius ferret, ubi adolevisset, hæc ita temperavit, ut discrepantes alioquin Deas, Minervam atque Bellonam, eodem pectore conjungeret, cujus & insequenti tempestate connubii nullum fructum non tulit. Refert ipsemet alicubi de se, valde adhuc puerum mirifice delectatum fuisse legendis variis variorum de *Imperii Turcici historia* Commentariis, &, cum maximam inde opinionem status bellici apud istam gentem animo concepisset, singulari cupidine incensum coram atque propriis oculis contuendi, quæ magnifice satis hanc in rem dicta ac scriptorum calamis celebrata deprehendisset. Explendi illius commode copiam nactus juvenis adhuc vix viginti annorum, in comitatu *Ciurani*, Senatoris Veneti, qui Reipublicæ causa Consul Constantinopolin ablegabatur, hanc Ottomannorum Metropolin ac sedem & ipse jucunde adiit, ibique undecim integros menses exegit. Nullis hic curis nullisque sumtibus pepercit, ut animos Turcorum quorundam muneribus sibi devinciret, & interiorem status bellici notitiam his interpretibus expiscaretur. Arduum hoc & plenum aleæ negotium ita etiam prudenter, ita feliciter expedivit, ut non tantum pericula, cum similis generis institutis ex nationis moribus ac diffidentia plerumque conjuncta, evaderet, sed & Italicam versionem adipisceretur libri vernaculo Turcorum sermone *Canon Name* dicti, quo recondita maxime militiæ Musulmannicæ mysteria continentur, ex cujus lectione insignem quoque fructum re-

Digitized by Google

reportavit. Insederat *Marsilii* animo non minor isto, quem modo diximus, ardor scrutandi perquisitius naturæ secreta; unde & bonam otii sui Constantinopolitani partem illis consectandis investigandisque impendit. Exstant in Itinerario *Tournefortii* Observationes naturales variæ, quas tum instituit Noster, mentemque sic quasi ad majora ejusdem commatis molimina in posterum suscipienda præparavit. In eo tum versabatur Magnus Turcorum Vesirius, *Cara Mustapha*, ut, *Tekelio*, Hungarorum rebellium antesignano, instigante, bellum inferret Imperatori Romanorum. Noster itaque, vix dum Constantinopoli redux, haud difficulter stipendia Cæsaris *Leopoldi* impetravit, & per aliquod tempus Javarini, Hungariæ urbe, meruit. Mox autem a Tatarorum quadam caterva captus, & Achmeto, Temeswariæ Bassæ, quem dicunt, venditus, ab hoc Viennam urbem obsessuro illinc abductus, calamitatis Christianæ tristis in inimicorum castris spectator interfuit. Vienna non multo post ab obsidione liberata, & Achmeto veneno exstincto, iterum militibus quibusdam Bosniæ venditus, in Dalmatiam delatus est. Quod hic vicinus degeret Venetis, literas scripsit ad *Ciuranum*, quem supra diximus, pro se ex servitute redimendo deprecatorias; quod & non multo post amici hujus beneficio ex voto obtinuit. Utrumque demum & captivitatis & recuperatæ libertatis diem, Festum nempe Annunciationis & Visitationis Mariæ Virginis, apud *Institutum Bononiense*, de quo post referemus, quotannis celebrari peculiari ritu jussit. Ita salvus denuo militiam fecit sub Imperatore *Leopoldo*, sub variis titulis ac gradibus, usque ad pacem Carolovicensem, conclusam A. 1699, ad quam ipsam tractandam componendamque cum oratore Anglico sub Secretarii schemate Constantinopolim ablegatus est Noster; quemadmodum & eodem adhuc & sequentibus duobus annis in regendis Hungariæ finibus suam industriam ac consilia mirifice approbavit Cæsari. Hoc temporis intervallum occasionem ipsi primam dedit moliendi adornandique magnificum illud *Opus Danubiale*, cujus rationes copiose luculenterque commentati sumus in his *Actis A.* 1727 *p.* 289 -- 308. Unum jam addimus, Imperatorem *Leopol-*

poldum, præterquam quod summa gratia *Marsilium* complecteretur, isti præsertim Operi adeo favisse, ut impensas suppeditaret necessarias elaborandæ cæloque effingendæ maximæ tabularum ænearum parti, quibus illud splendidissime conspicitur exornatum. Succedens patri Augusto *Josephus* Imperator, & gratiam & militaria munia Nostro aliquandiu integra servavit. Excidit vero utrisque, cum culpa in immeritum, uti aliqui ajunt, deditæ cujusdam Gallorum militi nimis tempestive urbis referretur, quam complex, Comes *d'Arco*, ipsomet suo capite luerat. Æquo hæc interim animo ferens, in Galliam se recepit, ubi Rex *Ludovicus* clementissime habitum, & modeste fortunæ casus suæ exponentem, proprio gladio, quem tum forte gestabat, donavit. Jam ab anno inde 1703 membrum honorarium Academiæ Scientiarum Parisiensi adscriptus fuerat *Marsilius*; quæ proinde omnem, quam poterat, operam interposuit, quo jam præsenti apud se persuaderet, ut Parisios Musarum futuram suarum sedem eligeret. Sed renuit is, tum ob nimium urbis tumultum inimicum studiis, tum ob aeris incommoditatem; quem quod Montis Pessuli salubriorem sibi putaret, illuc domicilium transtulit, & Academiæ, quæ ibidem similiter floret, Regiæ Scientiarum nomen dedit. Honestissimo hic otio usus, tempus variis naturalium rerum inquisitionibus & experimentis utilissime trivit, talibus præcipue, quæ ad *Historiam physicam Maris* aliquid conferrent, quam vasto quondam Opere describere apud animum destinaverat. Hunc in finem mare ipse frequenter tentavit, detecta solerter literis consignavit, disposuit, & sub titulo *Speciminis Physici Historiæ Naturalis Maris* ad Academiam Parisiensem dijudicanda transmisit. Ortis postea inter *Josephum* Imp. & Clementem XI, Pontificem Max. in causa *Clomaclii* dissidiis, in bellum facile, uti videbatur, erupturis, vocatus est ab hoc *Marsilius*, uti exercitui supremi ducis axiomate præesset. Paruit ille mandatis, & in Italiam abiit; quamvis, re iterum quomodocunque tandem composita, officia sua ita commodare Pontifici non potuerit. Præstitit hæc interim Clementi non multo post in alio, eodemque fortassis illustriori, argumento. Ecquid hoc nomine innuamus, perspicient facile, qui reminiscentur,

 con-

conditum a *Marsilio* in patria urbe, *Bononia*, illustre Collegium, *Instituti Scientiarum* titulo cohonestatum inauguratumque feliciter anno hujus seculi decimo quarto, quod in tutelam Pontificis ac patrocinium commisit pietas fundatoris. Scripsit pridem illius *historiam* dedita opera vir quondam doctissimus, *de Limiers*, plurium eruditorum manibus tritissimam, & in his quoque *Actis A. 1724 p. 24 seq.* compendio recensitam; qua adeo otium nobis plura hanc in rem referendi plenissime factum est. Superfluum quoque fuerit monere Lectores, optime adhuc post Autoris etiam fata florere nobilissimum *Institutum*, & superiori demum anno publice scriptorum quorundam suorum Σύστημα proxime divulgandum liberaliter promisisse. Sub ipsum Pacificationis Ultrajecti celebratæ tempus in Angliam abiit Noster, labores suos literarios strenue continuaturus, ibique typis edidit librum suum *de Fungis*, Opus hercle curiosum & doctum, cujus prima quasi Rudimenta pridem communicaverat cum Academia Scientiarum Parisiensi. Neque suffragia ipsum Societatis Regiæ Londinensis destituebant, quæ ex contemplatione ingentis in *Marsilio* virtutis ultro illum sui corporis membrum adscripsit. Novum hunc honorem tanquam novum incitamentum adhibebat perficiendi amplius magnum, quod supra diximus, *Danubiale Opus*, quod ἐργοδιώκτῃ fere præcipuo, Cel. *Boerhaavio*, prelis Belgicis commissum, anno tandem 1726 in lucem datum est, postquam annum ante *Historia Physica Maris*, a Cl. *Clerico* in Gallicum sermonem conversa, quasi Prodromus illius in manus hominum exiisset. (vid. hæc *Acta A. 1726 p. 241 seq.*) Hoc facto, in Italiam redux, postremam manum *Descriptioni Status Militaris apud Turcas* imposuit; quæ & ipsa nuper demum apud Batavos idiomate Italico emissa est, hoc titulo insignita: *Stato militare dell' imperio Ottomanno.* De ea dictum a nobis superiori *Mense Majo hujus Anni p. 193 seq.* Non licuit tamen Comiti illustrissimo, quod tam serio optaverat, viventi spirantique & hujus libri editioni superesse; mors enim optimum senem, Bononiæ tum hærentem, ad diem 2 Nov. A. 1730 præoccupavit, mortaliumque numero, ingenti sui desiderio relicto, eripuit.

NOVA LITERARIA.

Cum Bibliothecæ Patrum maximæ, quæ Lugduni A. 1677 prodiit, & *Tomis XXVII* constat, tantus sit in Historia Eccle-

siæ,

siæ, dogmatum maxime, usus, tanta quoque sit raritas, ut pretium illius plurimum creverit, tam tumultuaria quoque judicio doctissimorum hominum in illa observetur librorum collectio, ut sine ulla crisi adhibita & ordo temporis, quo ponuntur, sæpissime conspiciatur neglectus, & textus quoque emendate exhibendi nulla fere habita fuerit cura, aliqua etiam bis inveniantur, multa vero Patrum Opuscula, maxime rariora, prorsus hic non occurrant, dentur & subinde ea Patrum Opera, quæ propter tot recusas editiones in omnium versantur manibus, magnumque implent spatium, oneri emtoribus futura, si repetantur; animo constituit suo Bibliopola Tubingensis, *Jo. Georg. Cotta*, novam Bibliothecæ Patrum maximæ editionem dare, nitidam, selectam, emendatam, & accurata, quantum id quidem fieri potest, crisi limatam. Adiit itaque Viros, eruditionis fama præstantes, tum Catholicos, tum Protestantes, qui editionis hujus curam facile sibi imponi passi sunt, operamque dabunt omnem, ut editio hæc ceteras omnes Bibliothecas Patrum præstantia sua plurimum superet. Prodibit autem inscripta hunc in modum: ***Maxima Bibliotheca veterum Patrum & antiquorum Scriptorum Ecclesiasticorum, postrema Lugdunensi Editione multo emendatior, selectior & auctior, novis quippe monumentis Ecclesiasticis, quæ digna videbantur, ex recentioribus Patrum Collectionibus, Spicilegiis, Thesauris, rarioribus maxime illis, superbiens, sine ullo partium sectæve studio collecta, copiosissimisque instructa Indicibus.*** Apparebunt hic 1) Patrum & Scriptorum Ecclesiasticorum, quæ in Bibliotheca maxima Lugdunensi exstant, Opera omnia, secundum ordinem seculorum curatius digesta, exceptis saltem illis, quorum Opera majora tot editionibus, etiam recentioribus, vulgata fuere. Ita in Seculo II omittentur Opera *Irenii, Tertulliani & Clementis Alexandrini*, cum omnium terantur manibus, & cum injuria emtorum conjunctum sit, illa & hic repetere. Eodem autem loco 2) dabantur alia Patrum scripta, quæ in Bibliotheca maxima Lugdunensi non exstant, ex aliis Bibliothecis & Collectionibus Patrum extrahenda, si quidem momentum aliquod præcipuum ista secum vehant, quo e.g. probatissimæ illæ RR. PP. Benedictinorum e Congregatione S. Mauri Collectiones, &c. 3) Textus emendate & correcte ex optimis editionibus impressis vel etiam ex Codicibus manuscriptis, quorum haud pauca suppetunt, exhibebitur, & is quidem, 4) ubi Autores Græci sunt, cum origine Græca, adjecta Latina versione præstantiore; 5) Subjunctis non nisi notis paucissimis & plane necessariis, ubi visum fuerit,

erit, præmissis vero, ubi necesse id videbitur, testimoniis veterum de unoquoque Autore, cujus Opus exhibetur. 6) Ab omnibus contentionibus Theologicis, quæ studium partium sapere possent, abstrahetur hic prorsus, diceturque nihil, quod in hujus vel illius Ecclesiæ opprobrium vergere possit. Usui itaque hæc Bibliotheca esse poterit & Catholicis & Protestantibus. 7) Si posteriores curæ, vel etiam eruditorum monita, quæ plurimum expetit typographus, hujus vel illius Patris Opus omissum desiderent, peculiari auctario illud inseret, atque eorum, qui operam suam aut hoc aut alio modo ad majorem Operis hujus præstantiam commodabunt, honorificam in Præfatione, ipsa eorum nomina adjiciendo, faciet mentionem. 8) Operi addentur Indices amplissimi tum Autorum, tum rerum, ita quidem, ut uno eodemque obtutu hic conspici possint illi quoque Patres, qui de uno eodemque argumento juxta ordinem seculorum scripsere. Cogitaverant primum Editores Tomos secundum materias dispescere, eosque Patres conjungere, qui de uno eodemque argumento scripsere, vel in unum jungere ejusdem argumenti libros. Sed placuit postea sequi ordinem seculorum ex recepto usu, qui in Bibliothecis Patrum obtinet, cum uni obtutui hæc omnia sistere possit Index rerum. 9) Jam vero, cum in Bibliotheca Patrum, quam molimur, plurima sic supplenda nobis veniant, ex aliorum Collectionibus cum cura & selectu eruenda, editio hæc Tubingensis numerum Tomorum editionis Lugdunensis utique superabit. 10) Adhibebitur ei charta nitida, pura & scriptoria, ejusdem magnitudinis, quam Editio Lugdunensis præ se fert. Vendetur autem prænumerantibus, sic quidem, ut unumquodque Volumen sex florenis Imperialibus constet; quod pretium æquum judicabitur omnibus, qui norunt, quanti sumtus imprimendis istis Collectionibus, quibus instituendis tam multa tamque pretiosa requiruntur subsidia, ubi & Græca subinde occurrunt, sint faciendi. Si qui autem solito majorem & solidiorem chartam, vulgo regiam, maluerint, nec illis deerit typographus. His vero non grave erit pro unoquoque Volumine novem Florenos imperiales solvere. 11) Singulis nundinis exhibebuntur Tomi duo. Prænumerabitur vero saltem pro uno Volumine, pro altero solvetur pretium demum ab accipientibus. 12) Paucissima exempla excudentur præter ea, quæ prænumerantibus cedent, vendenturque pretio illud, quod indicavimus, plurimum superante.

Cum Cl. *Jo. Christ. Clodius*, PP. Linguæ Arabicæ in hac Academia, jam anno præterito in Novis literariis Germanicis, quæ Lipsiæ publicantur, significarit, se specimen aliquod Sunnæ, quod nondum prodiit, ex pulchro Codice Bibliothecæ Senatoriæ Lipsiensis edere velle, & Europæ eruditos viros rogarit, ut Codices, in Bibliothecis publicis aut privatis latentes, ad ipsius notitiam perferrent, denuo ab iis officiose petit, ut hoc institutum benevole promovere velint. Interim de origine Typographei Constantinopolitani, librisque ibi impressis, Opusculum meditatur, quod ut publicari queat, omni ope nititur.

In Mense *Majo hujus Anni p.* 211 *lin.* 22 negligentius positam voculam *per* dele.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Julii Anno MDCCXXXIII.

MEMORIAS PARA A HISTORIA DE PORTUGAL, que comprehendem o governo del Rey D. JOAÕ o I, do anno de mile trecentos e oitenta e tres, até o anno de mile quatrocentos e trinta e tres, &c.

h. e.

HISTORIA REGIS LUSITANICI JOANNIS I, ab anno 1383 usque ad annum 1433, scripta ab Academico, JOSEPHO SUARESIO DE SYLVA.

Tomi II.

Ulyssippone Occid. Tomus I 1730, Alph. 3 plag. 20, Tom. II 1731, Alph. 2 plag. 14, 4 maj.

Quantum Operi huic laborem nobilissimus Autor impenderit, facile ex ampla illa, copiosis observationibus literariis plena, Præfatione dijudicatur,, in qua manuscriptos & impressos multos Codices, quibus ad hanc Historiam conscribendam exactius paulo, quam alii fecerant, usus est, eruditissime indicavit. Divisit eam in duas Partes, quarum prima centum & duo capita complectitur. Ac primo quidem aliquot Capitibus de Regis patre & matre, simulque de titulis Don & Pag. 2, 3, sqq.
Donna disserit, & de matre ejus speciatim opiniones *Ludovici* 12, 25.
Salazar e Castro, item *Emanuelis de Faria e Sousa*, sub examen 37. 43. 47.

Digitized by Google

Pag. 56. men vocat. Postea diversas de anno & die nativitatis Prin-
cipis hujus sententias exponit, ac distinctionem in concilian-
62. do dissensu Chronologico utilem, inter annos usuales & emer-
gentes, explicat, & ad ipsam ejus historiam propius accedit.
Nempe electus primum fuit vivo Rege, fratre suo *Ferdinan-*
66. *do*, Magister Ordinis Lusitanici, *Aviz* dicti; at Reginæ *Eleono-*
70. *ræ* malevolentia & insidiis vitam fere amisit, post varia autem fa-
81 seq. ta, quæ prolixe enarrat, Defensor Regni A. 1421 proclama-
162 seq. tus est. Hinc de ejus dotibus corporis & animi, aulæ mini-
200 seq. stris ab eo constitutis, turbis exortis, & consiliis de eligendo
224 seq. Rege, multa commemorat. Tandem autem regiam quoque di-
gnitatem A. 1423 consecutus est, & *Philippam*, Ducis Lanca-
striæ filiam, duxit. Inde ejus conjugium, mortem ac sepultu-
231 seq. ram liberorum regiorum, & filii ejus illegitimi, Comitis *Al-*
phonsi, quem titulum fuse illustrat, duplex matrimonium, alia-
237 - 265. que memorabilia in ultimis vitæ Regis annis usque ad mor-
tem A. 1433 refert. Quam & Reginæ dein *Philippæ*
300 seq. obitus insecutus, ejusque sepultura ac Epitaphium describitur
cum arbore Genealogica, quæ *p. 311* inserta est. Princeps re-
325 seq. gius *Petrus*, secundus filius, *Eduardo* fratre defuncto, impe-
rium adeptus, aliquamdiu regnavit, sed, bello intestino a Duce
356 seq. Bragantiæ excitato, tandem in prælio occubuit. Igitur de
363 seq. ejus animi indole, matrimonio & liberis, ac ultimo loco de
380, 390, *Henrici*, tertii filii *Joannis I*, actionibus strenuis in obsidi-
454. one Septæ a Mauris ac insulis remotis ab eo detectis, de quar-
ti filii *Joannis* vita & morte, *p. 477*, de quinti filii *Ferdinan-*
di apud *Mauros* captivi fatis *p. 481*, usque ad finem hujus
Partis narrationem suam prosequitur. *Tomus secundus* cen-
tum & octoginta novem Capitibus absolvitur, in quibus por-
ro specialis vitæ ejus historia pertexitur. Sic de festivitatibus
524. publicis, eo in Regem electo celebratis, de Tribunalibus ab
536 seq. eo constitutis, de Templis exstructis, de Ministris Aulicis, de
558, 561. ejus Confessariis, agitur. Postea de Episcopi Bragensis, *Lau-*
569, 581. *rentii*, Cardinalis *Alphonsi de Azambuja*, Doctoris *Joan-*
587, 597. *nis das Regras*, & Comitis Stabuli, *Nonni Alvaresii*,
609, 616. vitis, de Prioratu dicto do Crato, de insulis Rhodo & Melita,
de

Digitized by Google

de Stabuli Comitibus poſt *Nonnum Alvareſium*, eorumque munere & dignitate, ſermo ſit, ac dein pluribus Capitibus ſingularia vitæ *Alvareſii* excutiuntur, &, quæ Regis juſſu effecerit, usque ad mortem ejus memoratur. Pergit in delineandis ejus moribus, piis fundationibus, aliisque actionibus glorioſis; matrimonium & liberos quoque illius attingit. Quo prolixo vitæ ejus curriculo finito, bellicas Luſitanorum expeditiones, bellum Caſtilianum, ac inprimis Comitis *Petri de Menezes* in Septæ urbis obſeſſæ a Mauris defenſione, aliasque terra marique res geſtas usque ad ejus mortem, & quid poſt eam evenerit, quid Caſtiliani contra Luſitanos durante ea obſidione tentarint, quid inter Regem Luſitanicum & alios hac de re per Legatos actum ſit, & qua ratione tandem cum Caſtilianis pax inita, & quid Rex ab eo tempore in regni adminiſtratione egerit, enarrat. Pag. 624. 630. 742. 751 ſeq. 764. 797, 894. 912. 917. 921. 957. 967-978

HISTOIRE DE L'EMPIRE, &c.

h. e.

HISTORIA IMPERII GERMANICI, CONtinens hujus originem, progreſſus, viciſſitudines, formam gubernationis, prudentiam publicam, compacta & recentiſſima inſtituta; Autore HEISSIO. Editio nova, aucta Introductione proœmiali, & Notis hiſtoricis ac politicis, continuata ad præſens usque tempus, & Figuris in æs inciſis ornata.

Tomi VIII.

Amſtelodami, impenſis Wetſteiniorum & Smithi, 1733, 12.

Tom. I plag. 23, Tom. II plag. 22, Tom. III plag. 22, Tom. IV plag. 22, Tom. V plag. 23, Tom. VI Alph. 1, Tom. VII plag. 22½, Tom. VIII plag. 21.

Juris publici Germanici Syſtema, Gallice conſcriptum, hic offerunt lectoribus Viri nobiliſſimi, uſibus publicis ac in-

crementis rei literariæ inprimis addicti. Opus ipſum ita adornatum conſpicitur, ut chartæ nitor typique venuſtas cum diligentia Autorum, qui Compendium *Heiſſii* expolierunt, ſuisque ſingularibus locupletarunt acceſſionibus, amice certent. Viro Perilluſtri, *Henrico de Bünau*, Mæcenati doctorum, & phosphoro rei literariæ longe fulgentiſſimo, Opus ipſum a ſpectatiſſimis typographis fuit inſcriptum. *Heiſſius*, Germanus, librum, olim a ſeſe Gallice contextum, ad annum usque 1648 perduxerat. Augmenta, ad annum 1711 porrecta, poſthæc adjecit Illuſtris *Bourgeois du Chaſtanet*, cognitor ad acta & ſubdelegatus Ducis Aurelianenſis ad tractationes Francofurtanas, ob negotia Palatina ſuſceptas, mandatarius. Idem verbis *Heiſſii* hinc inde notas ſuccinctas ſubjecit. Gallum Regi Galliarum haud obſcurum ſignificare favorem, adeo non eſt mirandum, ut ad momenta potius ſingularia vix declinanda referendum videatur. Editioni, A. 1711 Pariſiis adornatæ, inſerta fuerunt illa augmenta. Succeſſit ei editio, Hagis Comitum emiſſa A. 1715, ad Pariſienſem conformata. Prodiit alia Pariſienſis A. 1731, complexa pacem Badenſem, cum Gallis initam, & recentiſſimam Capitulationem, a *Carolo VI* ſuſceptam. Qui ab A. 1711 usque ad A. 1724 aceeſſiones adjunxit, Gallus eſt, isque dignitate conſpicuus, quem typographi ſignificarunt per literas initiales: *V. G. I. D. G. S.* Nec eſt dubitandum, quin hæc editio Pariſienſem nuperam multis paraſangis poſt ſeſe relinquat. Hæc enim, quæ eſt præ manibus, id habet eximii, ut ſigilla Imperatorum Regumque Germaniæ inde a *Carolo Magno* usque ad *Carolum VI* ex probatiſſimis Operibus repræſentet, certe numiſmata oſtendat, quoties ſigilla deſiderantur. Dolendum, non allata fuiſſe ulla Philippi Suevi & Ruperti Palatini ſigilla vel numiſmata. Acceſſionis recentiſſimæ inſtar eſt Introductio procemialis, in qua de ſtatu Imperii Germanici ejusque forma publica afferuntur memoratu digna & a communi opinione remotiora. Vitas Imperatorum, tum in verbis *Heiſſii*, tum in notis ſubjunctis, paſſim amplificatas & emendatas hic conſpicimus. In *Libro quarto*, ubi de Imperii forma, qualis ea nunc exſiſtit, diſſeritur, inſeruntur ſparſim neceſſaria, ac inprimis

primis duo integra Capita, unum de appellationibus ſigniſque Imperatorum honorariis, alterum de Vicariis Imperii. In *libro quinto*, qui de ordinibus Imperii inſcriptus, hinc inde obviæ ſunt acceſſiones novæ, nominatim de hominum Eccleſiaſticorum ad Juriſdictionis temporalis dignitatem progreſſu, nec non de augmentis, poteſtati Ducum ſenſim annexis. Origo tamen utriusque nobis creditur ab ea, quæ hic traditur, multum diſcrepare. In *libro ſexto* adduntur præter alia porro controverſiæ & privilegia, nec non inſignia Procerum Imperii heraldica. In Capitulatione recentiſſima exponenda ſtudium collocatum eſt non contemnendum. In loco inſignis acceſſionis deputare oportet, quod vita ac res geſtæ invictiſſimi *Caroli VI* ab A. 1724 ad A. 1732 in hac recentiſſima editione fuerint perductæ. Delibabimus unum & alterum. In introductione, qua facies & ſtatus Imperii Germanici determinatur, in ſententias *Bodini* & *Reinkingii* inquiritur, quorum ille ſtatum Imperii noſtri perhibuerat ariſtocraticum, hic vero eundem venditaverat pro monarchico, ariſtocratia ſapienter temperato. Ad autoritatem *legis regiæ*, tanquam formam monarchicam confirmantis, hic nonnulla reponuntur. Solide, opinamur, reſpondiſſet Autor & breviter, ſi legem regiam ad fictiones & crepundias rejeciſſet. Formam Imperii regnive Germanici, exſtincto *Ludovico Infante*, exſtitiſſe prorſus novam, ii non largientur, qui cauſam norunt, cur *Chriſtianus Thomaſius*, ejus ſententiæ poſt *Monzambanum* perſonatum affectator, exemplo Ill. *Gundlingii* mentem mutaverit. Nec apparet ratio, qua Autoris opinio poſſit defendi, cenſentis, ordines Imperii ſimul ſumtos eſſe Imperatore, qua tali, muniisque ſuis fungente, ſuperiores. Num ideo fortaſſis, quia eum eligunt? num eo, quod pactis inteſtinis potentiam Cæſariſque ſuamque ſimul reſtringunt? Imperator certe huc usque extra nexum, cum Imperio voluntarie ſuſceptum, non eſt Imperator. Quare Imperium Imperatori nec opponi nec anteponi poteſt. Dux Venetorum an ſatis exquiſite cum Imperatore noſtro conferatur, judicent alii. Sunt, qui cum Autore poteſtatem in mare Adria-

Pag. 13 ſeq. 16. 17.

ticum Duci Veneto vix tribuent. Majori fortassis jure mare illud Imperatori subjicitur. *Majestatem* porro solis Imperii ordinibus vindicare Autor non erubescit. Argumentum alii invertunt, quod desumitur a facultate Procerum Imperii, quæ consistit in eo, ut Imperatorem ad rationes imperii administrati reddendam vocare, & indignum deponere queant. Hinc facile patet, ex quonam fonte Autor potestatem ferendi leges Imperii, exigendi sacramenta fidelitatis, & reliqua summa momenta, derivet. Opus *Heissianum* concluditur Indice satis exacto.

Pag. 23.

SAN FILIPPO NERI, INSTITUTORE, &c.

h. e.

S. PHILIPPUS NERI AUTOR ARCHIconfraternitatis SS. Trinitatis peregrinorum & convalescentium Romæ probatus ac demonstratus a JACOBO LADERCHIO, Presbytero Congregationis Oratorii, sedecim Epistolis familiaribus.

Romæ, apud Hieronymum Mainardum, 1730, 4 maj.
Plag. 16.

Sanctum, & venerabile nomen *Philippi Neri* inter suos est, & cum A. 1595 e vita discessisset, jam A. 1622 solenni consecratione in cælum sublatum, inque tutela ipsius esse jussa Neapolis. Tacemus de veneratione, qua Benedictus XIII P. M. ipsum, cujus imagine in ruina ex terræ motu servatum se crederet, prosecutus est. Hic igitur *Philippus Neri*, cui Congregationis Oratorii inventæ gloriam nemo negat, adhuc etiam creditus est conditor ejus, quam Archiconfraternitatem Sanctissimæ Trinitatis, quin, ut est usus tyrannus, nonnunquam Sanctissimam Trinitatem appellant, quæ peregrinorum Convalescentium curam Romæ suscipit, & inter florentissima, multitudine & nobilitate sodalium, Collegia refertur. Sed extitit non ita pridem, qui de istius gloriæ antiqua possessione dejicere virum sanctum conaretur, Nimirum, cum

cum ad Jubileum annum hujus ſeculi primum A. 1725 pararet ſe Archiconfraternitas, vexillum etiam comparandum erat, quo in ſolenni pompa uti ſolent. Placuit pleriſque pingi in illo, ut adhuc factitatum fuit, ſymbolicam imaginem Sanctiſſimæ Trinitatis, cui ſtans S. *Philippus* paſſis manibus commendaret peregrinos convaleſcentes & ſodales, quo habitu depictum circumgeſtari virum ſanctum ſolenne eſt, eique imagini ſubſcribi verba *Pſ. LXXIX, 15, Reſpice de cælo, & vide vineam iſtam, quam plantavit dextra tua*; quæ natura ſua ad Deum precantis *S. Philippi* eſſe videntur, inſtitutumque ſuum illi commendantis; ſed a Cardinale *Baronio* ita ſunt applicata, ut potius piorum vox ſit ad *S. Philippum*, ſuum Opus atque munus uti tueri velit. Hæc, inquam, pictura pleriſque placuit: ſed fuit ceteris, ut ſibi videbatur, ſapientior aliquis, qui negaret locum eſſe in hoc vexillo debere *S. Philippo*, quod non ipſe, ſed alius eſſet Collegii ſui autor. Cauſam proferre juſſus ſententiæ, quæ pleriſque horribilis, omnibus paradoxa, videretur, provocavit ad *Camillum Fanuccium*, qui in libro *de piis, quæ Romæ ſunt, Operibus*, A. 1601 edito, tum *L. I Cap. 13 p. 54*, tum *L. 3 Cap. 26 p. 262* illam gloriam vindicat *Creſcentio Silvæ (Selva,)* Sacerdoti Senenſi, cujus conſilia primo, amicitiæ jure abuſus, expiſcatus ſit *Philippus Nerius*, deinde diſſuadendo impedierit, denique ipſe amici cogitata, fideliorum, quam ipſe fuerat, amicorum opera, perfecerit. Hæc fabula eſt, quam ordine & multis argumentis pariter ac teſtimoniis refutandam ſibi ſumſit Cl. *Laderchius*. Quæ cum ægre in compendium referantur, potius Lectores noſtros ad cognoſcendum librum paucarum plagularum remittimus, hoc unum obſervantes, *Laurentii Philippi Virgulti* judicio, qui Magiſtri ſacri palatii juſſu librum examinavit, multis & ſolidiſſimis argumentis probatum eſſe ab autore, *S. Philippum Nerium* verum eſſe Collegii laudati Autorem, & refutatas illorum opiniones, qui, *Critica parum purgata* uſi, tollere viro ſancto & ſodalitati mutuum illum honorem voluerint, quem reſtitui utriſque iſta ſcriptione par ſit.

JO. GUILIELMI HOFFMANNI AD LEgem Juliam de Adulteriis coercendis Liber singularis.

Francof. ad Viadrum, impensis Jo. Gothofredi Conradi, 1732, 4. Alph. 1 plag. 3.

Eminent inter Romanorum leges *Juliæ* rogationes; inter has illa, quæ est de adulteriis coercendis: quam & veterum plures, *Cæcilius*, *Papinianus*, *Ulpianus*, *Paulus*, interpretati sunt, & ex junioribus docto luculentoque Commentario instruxit eximium artis nostræ & immortale decus, *Barnabas Brissonius*. Qui tamen cum non integra habuerit, ut nos habemus, *Jul. Pauli* aliorumque fragmenta, ideoque posteræ ætati post amplam messem nihilo minus reliquisse spicilegium visus sit; occupavit hanc provinciam, &, quæ de ea lege is dixerat, ad curatiorem limam exegit, quæque illis addi posse videbantur, ea supplevit, libri, cujus nunc recensum agimus, Cl. Autor, frater Illustris *Hoffmanni*, Antecessorum Viadrinorum primicerii, & cui, quod honoris causa addimus, multum se debere omnino *Acta* nostra grato pioque animo recordantur. Quo quæque natio aut pronior in venerem, aut ab ea abstinentior fuit, eo nunc negligentius, nunc severius, in vagæ inordinatæque libidinis reos animadvertit. Quo Græci in vindicandis hujus generis sceleribus; quo Romani sub Regibus, & Republica nondum sub jugum missa, jure usi sint; quam nunc passim prostituta Romanarum mulierum pudicitia fuerit, ad *Jul. Cæsaris* usque ævum, late *primo Capite* Noster persequitur. Ipsius *Juliæ* rogationis historiam *Cap. II* texit. Videtur *Augustus* & ipsi aliquando pudicitiæ studuisse, & singularem in educandis caste pudiceque liberis operam collocasse, quamvis eventus illi non responderit. Et hæc conservandæ pudicitiæ vitandorumque, quæ ex adulteriis frequentioribus in Rempublicam redundant, damnorum cura, una fuit ferendæ hujus legis causa, altera, eaque prima, ut facilius perferretur magisque promoveretur ea, quæ est de maritandis ordinibus, rogatio. Lata enim est post *Juli-*

Digitized by Google

am Papiam, si quid conjecturæ valent, hæc de adulteriis, anno forte ab U. C. 736 aut 737, dictaque, ut *Cap. III* ostenditur, *Lex Julia de adulteriis, de adulteriis coercendis, de pudicitia*, simul *Juliam de fundo dotali* complexa. Capita legis Noster agnoscit non nisi *viginti & unum*, demtis ex eorum numero duobus, quæ *Brissonius* loco XX & XXI habet de accusatione mulieris, quæ sex mensium, & viri, quæ quinquennii præscriptione excludatur; quæ ex recentiori potius SCto derivanda esse Noster existimat. Non licet nobis, qui compendium libri damus, singula legis capita, & quæ de iis monuit Noster, omnia sigillatim percensere. Sufficit, si quæ singularia & præ aliis commemorari digna adverterimus, ea brevibus annotare. Primum Legis caput, *ne quis stuprum adulterium faciat dolo malo*, vetat, sed præterea, secus, quam *Brissonio* aliisque visum est, & ipsam adulterorum pœnam continuisse videtur, propterea quod *Paulus Coll. Mos. & Rom. T. IV §. 2*, primo hoc capite prioribus pluribus legibus derogatum esse, perhibet, quod de solis illis, *ne quis adulterium faciat*, dici non potest. Illud Legis caput, quod patri adulterum in filia deprehensum occidendi potestatem facit, diserte vocatur *secundum* a *Julio Paulo rec. Sent. II Cap. 26 §. 1* & *Coll. Mosaic. l. c.* a *Brissonio* perperam loco *tertio* recensitum. Quæ proxime sequuntur capita, ea ad idem jus aut occidendi adulterum, aut, quem occidere non licet, retinendi horas viginti, pertinent. Quæ Noster dum exponit, recte explodit *Noordkerkii* de legis *Juniæ Norbanæ* ætate sententiam. Existimaverat is, ante *Augusti* ævum eam latam esse, quod tamen eo certe argumento frustra tuebitur, quod, si recentiorem junioremque legem facias, inde sequeretur, eos, qui inter amicos manumissi sunt, factos esse cives Romanos, cum *Augusti Tiberii*que ætate Latini coloniarii jus civitatis habuissent. Ne enim, quæ in eam rem ab *Hoffmanno* afferuntur, hoc loco repetamus, vel ipsum, cujus autoritate sola suffulcitur *Noordkerkii* sententia, *Pithœanum* veteris JCti fragmentum ostendit, *Legem Juniam*, modo minus solenni manumissos Latinis, non ut tum erant, sed ut antea fuerant, exæ-

 quasse,

quaſſe. Sed ſunt præter ipſum fœdum & deteſtabile adulterii nomen & alia, quæ hac lege, attentatæ violatæque pudicitiæ ultrice, vindicantur crimina. Omne lenocinii genus, domum ſuam ad adulterium ſponte ſcientemque præbere, pro comperto conjugis complexu aliquid accipere, & quod Noſter Caput ex *L. 14 D. ad L. Jul.* depromſit, in cauſa eſſe, ut deprehenſi pecunia ſe aliaque pactione redimere queant, id omne hac ſanctione vetatur, quique ſecus fecerint, illi, quod eſt ſolenne verbum, hac lege tenentur. Et præterea ipſas inceſtas cum propinqua cognatione junctis nuptias & falſum in cauſa adulterii teſtimonium eadem contineri, Cl. *Hoffmannus* cenſet, ſuæque ſententiæ neque *L. 4 D. de Quæſtion.* officere, & *Coll. Moſaic. T. 8* §. 2 robur addi exiſtimat. Sed dicendum quoque fuit ultimis Capitibus de fatis, quæ ſequioribus ſub Imperatoribus experta eſt *Julia* rogatio. Ad ſummum faſtigium eo tempore pervenit uxorum, libidine, aliorumque virorum appetitu prurientium, maritisque ſuis illudentium, audacia, ab Imperatoribus tamen aliquibus refrænata, non quod ipſi caſtitatem pudicitiamque laudarent, ſed quoniam & ſæpe Cæſaris uxor

Auſa Palatino tegetem præferre cubili &
Sumere nocturnos meretrix Auguſta cucullos.

Et inprimis videtur his criminibus prorſus eradicandis operam dediſſe non alias ſemper probus Imperator *Domitianus*. Et, qui ſecuti ſunt, alii idem moliti ſunt, quorum ad *Juſtinianum* usque adverſus hæc delicta ſanctiones & inſtituta a Noſtro commemorantur. Tu vero

- - *Ubi nunc Lex Julia dormis.*

FRIDERICI HOFFMANNI MEDICINÆ rationalis Syſtematicæ Tomi Quarti, quo ſpecialis morborum pathologia, & huic ſuperſtructa ſolida therapia, cum medendi methodo, cautelis clinicis, & morborum enarrationibus, adjuncta epicriſi, exhibentur,

Pars

Digitized by Google

Pars secunda, doctrinam hæmorrhagiarum & dolorum perspicua & demonstrativa methodo tradens.

Halæ Magdeburgicæ, prostat in Officina Rengeriana, 1732, 4. Alph. 3 pl. 1½.

Æquum est, ut, qui de præstantissimo hoc Medicinæ systematicæ Opere, quod ætatem feret, atque immortalitatem nominis *Hoffmanniani* sartam tectamque conservabit, toties in his *Actis* nostris diximus, in præsenti de hac etiam Parte exponamus, quæ laudem reliquarum doctrinæ præstantia rerumque usu, si non superat, saltim adæquat. Quo minus autem illa tot intelligentium virorum votis expetita ante in lucem prodierit, quam post trium annorum decursum, prohibuisse videntur, ut ipse etiam Illustris Autor in Præfatione monet, cum aliorum negotiorum varietas, tum consultationum multitudo. Duo autem morborum summa genera potissimum hic liber pertractat, sanguinis nempe fluxiones, & spasmos, ex iisque ortos varii generis dolores, quos utrosque multum inter se cognationis affinitatisque habere, Celeb. Autor in Præfatione copiosius ostendit. Utitur autem methodo priori jam Parti familiari, ut primo, quæ ad morbi historiam cum prognosi pertinent, deinceps vero curationem ejus, cum subjunctis cautelis & observationibus clinicis, ad extremum vero integra morbi exempla, quæ casus vulgo vocant, cum epicrisi, singulis Capitibus proponat. Nos per ipsius vestigia incessuri, singula præstantissimi libri Capita persequemur, & nonnulla ex iis breviter strictimque more nostro excerpemus. Atque hæmorrhagias quidem notat iis in partibus fieri ordinarie, quæ texturam habent teneriorem rarioremque, per quæ vasa tenuissima undique dispersa, eademque non firmis membranis circumtensa, sed in superficie potius posita, feruntur. Causam proximam neque a sanguinis copia, nec nimio ejus fervore, quo turgidus evadat, exitumque per vasa minetur, multo minus a seri & sanguinis Sect. I Proleg.

acrimonia, vel tenuitate nimia, per vaſorum poros tranſſudante, ſed potius motu ejus ab extra ad intra converſo, & inæqualitate circuitus, repetit, curationemque minus recte per venæſectionem, ſed potius per derivantia, antiſpaſmodica & diaphoretica, peragi, oſtendit. Hæmorrhagia narium oritur ex ſpaſtica quadam fibrarum & vaſorum minimorum, in extremis maxime partibus, ſtrictura. Inde enim progreſſus ſanguinis per minimos, maxime partium extimarum, tubulos redditur inæqualis, qui tantum per venas non reducit, quantum per arterias adductum fuit. Quo deinceps contingit, ut ſanguis humoresque validius ad nares, ad eruptionem ſatis pronas, profluant. Ad curandum morbum abundantis ſanguinis orgaſmus per nitroſa & acida, ſpaſticæ ſtricturæ per anodyna, inprimis liqu. mineral. anodyn. Autoris compeſcantur, ſanguinis autem ad caput affluxus derivantibus, alvum laxantibus, & externis, retardetur. Simili modo hæmoptyſis generatur ab inæquali & impeditiori ſanguinis per pulmonum vaſa tranſitu, dum majori copia & impetu in arteriam pulmonalem ejusque ramos propellitur, quam ut venæ eum recipere & reddere queant. Quo deinceps fit ſucceſſu temporis magna tenuium ramorum, qui ſubſtantiam cellularem & veſicularem ipſaque bronchia perreptant, expanſio, tandemque anevryſmatica intumeſcentia & ruptio violenta. In curatione eo reſpiciendum eſt, ut ſanguinis orgaſmus ſedetur, idem a pulmonibus avocetur, ſpaſticæ ſtructuræ laxentur, & denique disrupta vaſa conſolidentur, tum & acres humores, affluxum eo proritantes, contemperentur & incraſſentur, partisque affectæ tonus roboretur. Quem in finem poſtremo Noſter quatuor inprimis remediorum formulas collaudat. Quod ad vomitum cruentum ſine & cum ſeceſſu nigro attinet, ſedem habet in ventriculo, & præcipue in vaſis ejus brevibus, & liene, quæ infarciuntur primum a ſanguine ibi congeſto, & poſtea disrumpuntur. Unde in plethoricis ſecetur vena. In ſanguine æſtuante potus refrigerantes, ſpaſmis vero intenſioribus emulſiones, itemque clyſteres emollientes, atque externe etiam varia, conducere ſolent, habi-

Cap. 1. (beside "diaphoretica, peragi, oſtendit. Hæmorrhagia narium…"); 2. (beside "laxantibus, & externis, retardetur. Simili modo hæmoptyſis"); 3. (beside "laudat. Quod ad vomitum cruentum")

habita tamen ſimul cauſarum, quæ malum ſuſtinent, ratione. Fluxus hæmorrhoidalis nimius debetur impedito ſanguinis per hæmorrhoidales & meſaraicas venas ipſumque hepatis viſcus motui progreſſivo, reſidetque in arteriis maxime, tum vero etiam venis. Hinc neceſſe eſt, ut ſanguinis copia minuatur, orgaſmus temperetur, humores impuri per cutem & alvum evacuentur, obſtructiones reſerentur, & atonia recti inteſtini confirmetur. Cap. 4.

Uteri hæmorrhagia immoderata complectitur cum fluxum menſium nimium varii generis, tum ſanguinis in partu abortuque profuſiones. Oritur autem a copioſiori ſanguinis ad uterum per arterias affluxu, & inæquali atque impedito per venas refluxu. In medela ſanguis abundans evacuetur, ebulliens per refrigerantia & diluentia temperetur, ſpaſmi per anodyna componantur, ſerum impurum aliorſum ad congrua emunctoria dirivetur, fluxus autem pertinax per adſtringentia interna & externa ſiſtatur. Præſervationis cauſa robur reddatur viſceribus, uterusque probe perpurgetur. 5

Quæ ex urinariis viis originem habet hæmorrhagia, probe dignoſcenda eſt. Nonnunquam enim urina ſanguinis æmula excernitur a particulis ſulphureis, mixtura ſalium, præſertim alcalinorum, exaltatis. Tum vero ea, quam primum emiſſa fuit, clara & perſpicua comparet; ſedimentum vero incarnati & cinnabarini coloris ſecedit, quod tamen, ſufficienti calore admoto, mox in ſupernatantem humorem ſe recipit, ut clara rurſus & perſpicua, ſicut initio, videatur. Contra vero, cum urina rubet a ſanguine, tunc opaca & craſſiuſcula ſine perſpicuitate ſtatim exit, ſedimentumque nanciſcitur grumoſum, & ex rubro nigiricans, idque non diſſolvitur, aut rurſus ab urina abſorbetur. Neque minus etiam linteum, per quod trajicitur, rubore imbuit, ſecus, atque tum uſu venire ſolet, quando color intenſior tantum ſalibus debetur. Cauſa autem hujus hæmorrhagiæ ad vaſa renum vel veſicæ, nimium ampliata, disrupta, aut corroſa, refertur. Sanguis itaque abundans inciſa vena ſubtrahatur, ebulliens autem per refrigerantia ſedetur, alvus ſemper aperta ſervetur, vaſa nimium laxata adſtringantur, in renum vel 6.

vesicæ exulceratione acrimonia contemperetur, grumique sanguinis dissolvantur. Ex remediis maxime etiam ab Illustri Autore acidulæ temperatæ, Selteranæ, Antonianæ, Wildungenses, & lac, ejusque serum, commendantur. Cap. 7. Hæmorrhagia cerebri denotat Noster apoplexiam illam exitialem, cum effusione cruoris in cerebrum conjunctam. Oritur a congestione vehementiori sanguinis ad caput, qua fit, ut vasa non modo a cruore intumescant, sed & ab appulso jugiter sanguine nimium dehiscant, disrumpantur, & sanguinem profundant, maxime in piæ meningis, nec non corticalis cerebri, substantia. Primas in curando hoc malo tenet venæsectio, vel etiam arteriotomia, itemque clysteres, & excitantia externa; spirituosa autem interna cautissime danda esse, Noster præcipit, atque ad extremum de præservatione morbi tractat. Sectio II. Primum itaque hoc stadium emensi, progredimur ad alteram libri Sectionem, quæ dolores & spasmos varii generis, arthriticos, rheumaticos, itemque affectus spasmodico-flatulentos, hypochondriacos, & hystericos, complectitur. Cap. 1. Dolor cephalicus sedem habet in pericranio, cute, dura matre, membrana pituitaria, inprimis in finibus ossis frontis, fitque a liberiori & æquabili sanguinis per vasa sanguifera dictarum partium progressivo & circulari motu impedito; unde vasa minima & capillaria distrahuntur, & ipsæ membranæ insigniter tenduntur. Isque dolor pro varietate causarum variat. Unde & curatio causis debet esse accommodata. In genere tamen maximum momentum trahunt quatuor hæ indicationes, ut sanguis & humores, si ad caput impetuose congesti fuerint, partim ad loca ignobiliora deriventur, partim idoneis remediis discutiantur; deinde, ut stricturæ membranarum capitis spasticæ, quæ plerumque acri causticæ materiæ debentur, relaxentur, quo liberius fluida progredi per illas queant; porro, ut causa materialis vitiosa & intemperies temperetur & per convenientia emunctoria placide subducatur; tandem, ut ad avertendos recursus capiti & toti nervorum systemati congruis medicamentis, præsertim autem accurato diætæ & vitæ regimine, robur concilietur. Eundo dein-

deinceps per singulas causarum classes, optimam iis medendi rationem ostendit, & selectas quasdam remediorum compositiones communicat. Sedem doloris cardialgici Noster non tam in sinistro ventriculi orificio, ut communis fert opinio Medicorum, sed dextro potius s. pyloro & toto simul ventriculo, per cujus membranas dolor protenditur, constituit. Stomachus autem vel distenditur a flatibus incarceratis, vel in angustius potius spatium contrahitur & concitatur. Prior flatulenta, posterior spasmodica cardialgia vocatur. Indicationes generales eo redeunt, ut materia vitiosa, vel mole vel acrimonia peccans, circa stomachum hærens, temperetur, corrigatur & demulceatur, blandeque per discutientia, vel commoda evacuantia, subducatur; secundo, atroces dolores, viribus mirum quantum infesti, ne inflammatio succedat, sopiantur. Quo nomine quævis ex chamomilla parata remedia Noster maxime celebrat. In symptomatica morbi primarii ratio habeatur, tonus ventriculi & intestinorum dejectus restituatur & confirmetur. Pro diversitate causarum singularem deinceps medendi methodum persequitur Noster, atque inter externa linimentum & species pro sacculis, tanquam mirabilis & summæ efficaciæ, prædicat. Ubi deinceps de doloribus & spasmis præcordiorum, a calculo felleo ortis, agere ingreditur, hoc quidem copiosissime optimeque exponit. Quam ob rem & nos opera pretium facturi nobis videmur, repetita hic, quæ non facile alio loco tam exacta occurrere solet, horum calculorum enarratione, quam tamen, quoad ejus fieri poterit, arctioribus limitibus circumscribemus. Præter omnia animalia ejusmodi lapillos homo alit crebrius. Et vix ulla in rerum natura reperitur figura, vix ullus color, qui non in calculis cystidis felleæ conspiciatur. Alii ovalem & rotundam, alii exacte cubicam, quidam triangularem, sexangularem, octoædram, pyramidalem quoque, recipiunt figuram. Sunt etiam, qui fabas, phaseolos, lentes, pisa, castaneas, tribulos aquaticos, nucem moschatam &c. referunt. Ratione coloris nonnulli cretacei, gypsei, ex albo cinerei, plumbei, coloris observantur; frequentius flavescentes, vel

Cap. 2.

3.

Digitized by Google

vel ex flavo-rubicundi, bruno-nigricantes, nigri, viridescentes etiam interspersis maculis, excernuntur; alii pluribus coloribus distincti. Quidam exterius crusta cretacea & gypsea obducti, interius nucleum habent, ex bruno-nigricantem. Sunt alii friabiliores & molliores, iidemque ut plurimum, albi cineritii & flavescentes, valdeque leves. Sunt alii compacti magis, solidi & graviores, & hi quidem quam maxime, qui saturatiorem colorem habent, ex flavo-rubicundum nigricantem. Atque hi sæpius lævigati & politi observantur. Licet vero ordinarie plurimi lapides cystici aquæ injecti supernatent; tamen solidiores & compactiores, quales esse solent quam maxime lævigati, & obscurioris coloris, submergi & fundum petere, non semel compertum est. Neque minus etiam ii sæpius, qui leviores aquæ supernatant, si paulo diutius in ea detinentur, postea descendunt, forsan quod ipsi pori pededentim particulas aqueas in se recipiunt. Lapidum, qui supernatant, fragmenta & minores portiones in fundum secedunt, ut pumicis. Fuit interdum vesicula a calculo ingentis magnitudinis, aliquot nimirum unciarum, repleta. Ratione numeri triginta, quinquaginta; octoginta, imo trecenti, reperti fuerunt, majores, minores, medii. In ductibus biliosis humanis rarius, frequentius in animantibus bovini præsertim generis, offenduntur. Variis, quæ Cel. Autor instituit, experimentis cognitum habet, quod omnes calculi saturatioris & obscurioris coloris pauloque solidioris texturæ satis exsiccati, vel in massa, vel in pulvere candelæ ardenti admoti mox instar resinæ lucidissimam concipiant flammam, & toti relicta tantum exigua materia nigra & cineritia fere insipida, comburantur. Illos vero, qui albi & cineritii coloris, gypseæ & cretaceæ materiæ erant, flammam respuere, vel leviter tantum eam suscipere, & instar ceræ in lamina ignita ferrea fluere, vidit. Dein annotavit, eos quoque lapides cysticos, qui solidioris fuerunt texturæ, & saturatioris coloris, nec a spiritu vini rectificatissimo, nec ab aqua accedente, etiam levi coctione, dissolvi potuisse. Alio autem tempore animadvertit, ejusmodi lapides, ingentis fere magnitudinis & mollio-

Digitized by Google

mollioris ſubſtantiæ, totam fere cyſtidis implentes cavitatem, ultra dimidium in aqua calida fuiſſe ſolutos. Calculi bovini ſaturate flaveſcentes & friabiles difficulter admodum, vel exiguam tantum concipiunt flammam, in nigrum vero cum fumo, qui crinium inſtar combuſtorum refert odorem, rediguntur carbonem. Spiritus vini, hiſce affuſus, & leniori calore digeſtus, brevi tempore flavo colore tingitur, & ſaporem valde amaricantem exhibet. In aquam calidam horum calculorum fragmenta injecta parumper diſſolvuntur, & tantum levis flava cum amaricante ſapore extrahitur tinctura. Ex his concludit Noſter, calculos hos non ex ſalibus, ſed ſulphurea, paulo mucidiori, bilis portione, intermixta plus minus teneriori glutinoſa, vel tophacea materia, calore ſucceſſu temporis inſpiſſata, in duram quandam concreſcere mixturam, idque hac ratione. Longe craſſior & ſaturatior, quin etiam amaricantior eſt, quæ in cyſtide retinetur, bilis, ac ea, quæ immediate ex ductibus hepaticis ad duodenum defertur. Bilis, quæ ex hepate per ductus cyſtico-hepaticos deducitur, in cavitate identidem liquida fit & diluta. In homine ob ſitum veſicæ felleæ erectum bilis non continuo flumine manat, ſed tum demum, quando a ventriculo cibis referto veſicula comprimitur. Hinc fit, ut vacuo ſub longiori inappetentia ventriculo diutius ibi morari & ſtagnare debeat, atque interea liquidior ejus pars, tum per ipſos etiam poros tunicarum ejus, quæ microſcopiis inſpectæ non aliter oculis ſe ſiſtunt, quam pannus Indicus, *Neſſel-Tuch*, foras propellatur, craſſiori, quæ facile in coagulum abire poteſt, relicta parte. Prout vero bilis pro diverſa indole & conſtitutione ſeri excrementitii non unius ejusdemque eſt mixtionis, ſed plus minus partibus terreſtribus, tophaceis & in coagulum abeuntibus, item ſulphureis, magis vel minus referta, hinc varii inde reſultant colores & figuræ. Inter cauſas refertur ætas inclinans, vita otioſa, ſexus ſequior, tardior ſanguinis per vicina viſcera progreſſus, abuſus potuum ſpirituoſorum, ceſſatio menſium in feminis quinquagenariis. Utut vero aliquando per totam vitam nulla excitavit incommoda, utplurimum tamen graviſſima &

 atro-

atrocia plane symptomata efficit, a Nostro copiosius ad noscendum morbum exposita. Quibus mitigandis anodyna, demulcentia, & antispasmodica, externe autem epithemata emollientia & carminativa, item clysteres, destinat. Extra paroxysmum autem ad obturatos meatus felleos aperiendos, & ad calculos, si ipsis firmiter inhærescunt, quantum fieri potest, extra corpus propellendos, commendantur præcipue infusa & decocta ex aperientibus, inprimis decoctum radicis graminis, graminisque succus, decoctum pareiræ bravæ, pulvis millepedum vel ex mente *Avicennæ* lumbricorum, cum lacte caprillo. Irritis omnibus ultima spes superest in fontibus medicatis, præcipue thermis Carolinis, Aquisgranensibus, acidulis Egranis,

Cap. 4. Pyrmontanis, &c. Omnis spasmi & doloris iliaci ratio consistit in inverso plane intestinalium tunicarum nerveo-musculosarum motu peristaltico, a fortiori coarctatione, angustia & clausura, in intestino ileo facta, qua nihil ad inferiora transmittitur. An stercora evomi queant, affirmare Cel. Autor non audet, nec tamen etiam aliorum observationes rejicere. Ratione curationis, hernia, si quæ adest, reposita, aut, si repositio non succedat, incisa, dolores sedentur, tum internis, inter quæ aqua menthæ, leniter spirituosa, cochleatim singulis horis cum gutis 10 vel 15 liqu. anodyn. mineral. item guttis duabus vel tribus laudani opiati liquidi, ad *Helmontianam* methodum parati, remixta, cum singulari fructu, & non sine eximio levamine, nullo non tempore ab Autore data fuit, tum externis. Alvus laxetur, inflammatio autem venæsectione avertatur, & præsens jam discutiatur. Extremam spem in Mercurio vivo recte purgato relictam, seque eo bis feliciter usum esse,

5. Autor asseverat. Ab ileo fit transitus ad intestinorum dolores, sigillatim colicam flatulentam & spasmodicam. Prior generatur, quando a flatibus retentis & occlusis supra modum intestina distenduntur; posterior, quando ab humore mordaci caustico, intra intestina, vel etiam in substantia eorum membranacea contento, spasmodica constrictione coarctantur. Causa efficiens in alia parte, ac dolente, quærenda est. Atque pro diversitate causarum, ab ipso recensitarum, variant omni-

no

no indicationes, quas Noster exponit selectissimis quibusvis remediis, quorum hic commemorare formulas, longum nimis & ab instituto nostro, quod summam librorum tradit, non ipsos libros exscribit, alienum foret. Inprimis tamen in colica, ex hæmorrhoidibus cæcis orta, linimentum quoddam & epithema expertissimæ virtutis magno in pretio habet. Occasione acerbi doloris & spasmi ex calculo renali hujus genesin explicat, & hac quidem ratione. Quando a nimis vehementi sanguinis appulsu, ejusque regressu per venas difficiliori, vasa renum sanguinea nimium distenduntur, & infarciuntur, fit tandem, ut minimæ arteriolæ, ubi in papillas & siphunculos urinosos abeunt, aperiantur & disrumpantur, atque ita a stagnante & extravasato sero sanguineo primum parvi abscessus atque ulcuscula generentur, temporisque progressu majora evadant, in quibus quando serum urinosum multis tartareis limosis partibus refertum subsistit, particulæ graviores & acuminatæ secedunt, ac invicem concrescunt, ita quidem, ut materia primum crassior & rudior sabulosa, deinde etiam grana compactiora nascantur, quæ urinæ copiosius secretæ beneficio facile eluuntur, & sæpius non sine dolore foras propelluntur. Quando autem hi acini vel nuclei calculosi, substantiæ renum ulcerosæ insidentes, successiva accretione majores & duriores facti, alluvione seri urinosi, tartareis particulis referti, vel aliis ex causis, ad pelvim vel principium uretherum feruntur, fieri non potest, quin cruciatus illi enormes, in calculo moto usitati, inde producantur. In hoc igitur paroxysmo dolor & spasmus sedentur per anodyna, inter quæ liquori suo minerali magnam virtutem Cel. Autor tribuit, itemque nitrosa, multis elata laudibus, externe autem per clysteres, balnea & linimenta; sedato autem spasmo calculi protrusio tentetur. Gravis vesicæ adjacentiumque partium spasmus & dolor debetur non tantum calculo vesicæ, aut urinæ acrimoniæ, ut vulgo putant, verum etiam sanguinis stasi & stagnationi, intra vesicæ vasa sanguifera a quibuscunque causis effectæ. Quam ob causam vena secetur in plethoricis, serum acre & impurum diluatur, maxime per a-

Cap. 6.

7.

quas Spadanas & Selteranas. In retrocedenti acri materia fonticuli & decocta opem ferunt. In paroxyſmo ante omnia ſpaſmus mitigetur. Externe ad mictum cruentum diſcutientia & reſolventia, interne autem abſtergentia & traumatica leniora, collaudat.
Cap. 8. Sedem rhevmatiſmi collocat in muſculis cum membrana eorum communi, & tendinibus, ubi oſſibus inſeruntur; arthritidis autem in ipſis ligamentis tendinoſo-nerveis, quibus invicem oſſa conjunguntur, cauſamque repetit ab humore, ſive copia, ſive intemperie peccante, intra vaſa minima harum tunicarum ſtagnante & congeſto, qui violentia quadam eas diſtendit, vellicat, divellit, arrodit. In corporibus plethoricis, morboque velut univerſali venæſectio & pulveres diaphoretici cum aquis diapnoicis propinandi conveniunt. Bilioſæ ſordes per blanda laxantia educantur. Vitioſum vero ſerum per mitiora diaphoretica evacuetur. In corporibus ſcorbuticis diluentia & demulcentia locum habent, ſicut in rhevmatiſmo ex lue Gallica decocta lignorum cum antimonio. Ex topicorum numero, quorum tamen uſus magnam circumſpectionem poſtulat, inprimis, linimentum
9. quoddam a Noſtro prædicatur. Rhevmatiſmus odontalgicus interdum in maxillis, potiſſimum ſuperiori, reſidet, inprimis ubi dolor rhevmaticus, eo transgreſſus, in cauſa eſt, nonnunquam in ipſius dentis cavitate, videlicet in funiculo illo veſiculari, ex membrana nervoſa, vaſe arterioſo, venoſo & lymphatico, conflato, fitque ille dolor, ubi a ſanguine copioſius ad caput congeſto, & lentius in vaſis procedente, ſerum ſeparatum in ligamenta nerveo-tendinea derivatur. Quam ob cauſam ſerum impurum a capite deducatur, correctum & mobile reddatur, e corpore eliminetur, parti denique affectæ juſtum robur concilietur. Ad quæ efficienda pro re nata clyſteres, pediluvia, laxantia, venæſectiones, diaphoretica, inprimis Rob Sambuci, admixtis cornu cervi uſto, antimonio diaphoretico, & nitri aliquot granis, neque minus acidulæ conducunt. Externe ſimul varia, inprimis autem duæ mixturæ, Noſtro perquam probantur.
10. Dolor & ſpaſmus odontalgicus ſedem habet in meatu auditorio, oriturque a ſero acri extra

extra vasa sua profuso, retentoque intra membranam nerveam, quæ meatum auditorium investit. Ad curandum malum dolor acutissimus mitigetur, cum internis, tum externis, humor stagnans discutiatur, causæque externæ occasionem dantes tollantur. Quod denique ad dolorem podagricum & arthriticum verum & inveteratum attinet, consistit ille in spasmo vehementiori, quo membranæ ac ligamenta nerveo-tendinosa, quibus ossa, in sedibus suis collocata, retinentur & confirmantur, violento modo lancinantur, divelluntur, distrahunturque, sæpe ad rupturæ usque vel pali infixi sensationem. Atque ille excitatur a sero vitioso, acri, salso, per minimas arteriolas & exiles glandulas ligamentorum copiosius advecto. Materia hic peccans utplurimum ex classe salium tartareorum est, quæ cum mucilagine glandularum *Haveri* congreditur, coagulum parit, indeque per angustissimas vias minus commode progreditur, atque ita inclusum propter exquisitissimum membranarum sensum tantos cruciatus parit. Quicunque amoliri a se hunc morbum cupiunt, iis Cel. Autor recte immoderata venere, ebrietate, vino præcipue, ingluvie, curis & meditationibus, interdicit. Ubi quædam salutis vel levaminis spes affulget, vena secetur ante æquinoctium vernum, & pro re nata in fine Octobris, cucurbitula cum scarificatione dorso pedis singulis semestribus apponatur, quam ipse summo cum fructu in se expertus est Autor; vomitorium singulis mensibus porrigatur. Magnam quoque laudem merentur thermæ Carolinæ, quarum usum satis prædicare nequit, item acidulæ, ut & alii potus temperati, e. g. lac & serum lactis, tandem quoque diaphoretica. Imminente paroxysmo alvus subducatur. Quo consilio mixturam quandam, sibi ipsi sæpe salutarem collaudat. Materia vitiosa podagrica per transspirationem disjiciatur ope infusi theiformis, mixturarum diapnoicarum, quarum Noster aliquas percenset, itemque decoctorum, ex quibus uni præ reliquis palmam tribuit. Neque prætermittit topica quædam rariora. Ad tophos autem discutiendos & resolvendos balsamum sulphuris antimoniatum extollit. Cum dolores spasmodico-flatulenti, hypochondria- Cap. II.

 dria-

driacus & hystericus, in hac Parte, ut ex inscriptione Sectionis secundæ patet, alias pertractandi, desiderentur adhuc, publico nomine ab Illustri Autore maturationem præstantissimi Operis, quo & hi & reliqui affectus eadem ratione explicabuntur, petimus, eidemque ad id perficiendum valetudinem corporis, viresque animi integras, & vegetam senectam, comprecamur.

RECHERCHES SUR LES COURBES A DOUBLE Courbure.

h.e.

DISQUISITIO DE CURVIS DUPLICIS CURvaturæ.

Parisiis, 1731, 4 maj.

Plag. 15, Tabb. æn. 6.

Quam dignum sit eruditorum studio ac opera argumentum, in quo doctissimus Schediasmatis hujus Autor versatur, vel ex eruditissimis *Jo. Poleni* libris *de motu aquæ mixto p. 61* satis apparet, ubi vota recenset, quæ summi concepere Mathematici, ut quis sagacior Geometra illud illustrare ac explicare institueret. Abunde illa explevit Cl. Autor, variis jam speciminibus ex *Actis* nostris notus, cujus egregia in Geometriam merita, quibus, ex ephebis vix egressus, nobilissimam hanc scientiam locupletavit, eruditus orbis suspicit. Incredibile enim dictu est, virum juvenem, decimum sextum ætatis annum vix egressum, *Clairaltium* juniorem, Operis hujus Autorem esse, quod ex additis eruditorum quorundam testimoniis, quibus venia librum typis evulgandi conceditur, intelligimus. Nodosum satis atque arduum argumentum libri esse, illi quoque, qui subtilem hanc Geometriæ partem nondum attigere, sentient, cum eruditissimi Mathematici, qui ingenii acumen aliis speciminibus prodidere, illud aggredi vix ausi sint. Solum Cl. *Jo. Fulerum*, suasu Cel. *Jo. Bernoulli*, vadum nuper tentasse, atque Tractatu, Tomo tertio Commentar. Academ. Petropol. inserto, in eodem hoc argumento versatum esse, eo, quo hæc scribimus, tempore vidimus. *Cartesius* quidem olim ejusmodi curvas, quæ in superficie curva generantur, e g. circi-

Digitized by Google

circinum in ſuperficie conica aut cylindrica circumducendo reſpexit, ſed explicare hoc argumentum, atque ex voto Geometrarum enodare, aggreſſus non eſt, contentus monuiſſe, perpendiculares ex ſingulis genitæ ita curvæ punctis demittendas eſſe ad duo plana, ſibi invicem atque baſi, cui inſiſtunt, normalia. Secutus eſt hoc *Carteſii* conſilium Cl. Autor noſter, atque hoc Opere curvas duplicis curvaturæ in angulo ſolido deſcriptas concipit, eadem fere ratione, qua curvas notas hactenus in angulo plano delineatas Geometræ vulgo concipiunt. Deſcriptas in tribus hiſce planis curvas, vocat curvas projectionis, atque duas ex hiſce pro arbitrio ſeligit, cum binarum quarumlibet æquationibus propoſita curva ſemper determinetur. Cum itaque ſingula curvæ duplicis curvaturæ puncta hoc modo definiantur, methodum Cl. Autor exponit, qua, binarum curvarum projectionis auxilio, curvæ propoſitæ proprietates eruantur, quomodo v.g. tangentes illarum ducantur normales, quadraturæ, cubaturæ, &c. inveniantur. Nomen, quod ipſis impoſuit, curvarum duplicis curvaturæ, non ex ea duntaxat ratione merentur, quod cum natura binarum projectionis curvarum commune aliquid habeant, ſed ante jam in Commentariis illuſtris Academiæ Pariſienſis, ubi inveſtigatio illarum eruditis vehementer commendatur, eo donatæ fuerunt. Altera methodus, qua curvas haſce earumque naturam ſcrutatur Doctiſſ. Autor, in eo conſiſtit, ut ipſas non, ut paulo ante, ſecundum æquationem, indolem ipſarum exprimentem, concipiat, ſed tanquam in ipſis curvis ſuperficiebus deſcriptas repræſentet. Generali igitur modo haſce ſuperficies definit, exprimendo illas æquatione, quam tres quantitates variabiles ingrediuntur, maxime cum hac ratione ſuperficierum contemplatio facillima reddatur, ipſarumque proprietates ita æque facile eruantur, ac vulgari methodo curvarum natura, ope æquationis, in qua duæ tantum variabiles occurrunt, inveſtigatur. Dedit jam ante non ita multo Cl. Autor ſpecimina nonnulla uſus egregii æquationum ejusmodi, quibus tres quantitates variabiles involvuntur, ſed, cum argumentum hoc late pateat, ſtudioſius ſe in illud inquiſiturum, atque ſingularem Tractatum, de ſuperficierum curvarum natura, olim ſe editu-

rum,

rum, pollicetur. Hoc Opere interea, quo lectorem ad contemplationem illam præparare instituit, de geometricis tantum curvis, quibus curvatura duplex est, agit, etiamsi methodus, qua usus est, facile ad curvas transscendentes curvaturæ duplicis extendi queat, quarum coordinatæ ad se invicem normales sunt. Certe æque facilis est applicatio ejus, ac artificium vulgare, quo curvæ planæ transscendentes tanquam curvæ planæ geometricæ tractantur. Fatetur tamen, curvas duplicis curvaturæ, quarum ordinatæ ex puncto fixo egrediuntur, alia via, quam hoc Schediasmate indicata, opus habere, quam uberius olim se explicaturum, atque simul insignem ejusmodi curvarum usum, in scientiis inprimis physico-mathematicis, se demonstraturum, pollicetur. Schediasma hoc, quod Lectori jam exhibemus, quatuor Sectionibus absolvitur, quarum prima methodus concipiendi curvas curvaturæ duplicis explicatur; secunda differentialis calculi auxilio tangentes ipsarum atque perpendiculares eruuntur; tertia usus calculi intregralis in inveniendis quadratura, rectificatione, & cubatura, &c. illarum ostenditur; quarta denique principia nonnulla generalia ad investigandam illarum naturam, ipsasque construendas, suppeditantur. Cum binas semper curvas in duobus anguli solidi planis descriptas, adeoque tres variabiles quantitates, sive duas æquationes, adhibeat ad explicandam naturam curvæ duplicis curvaturæ, prima statim propositione demonstrat, si duæ æquationes, quibus tres variabiles involvuntur, addendo, subtrahendo &c. in unam æquationem coalescant, quam propterea tres variabiles ingrediuntur, hanc æquationem semper esse ad superficiem. Sit enim (Fig 1) planum baseos *A P M*, coordinatæ curvæ in hoc plano descriptæ x & y. Insistat plano huic aliud planum *Q A M* ad angulos rectos secundum axem *A P* prioris curvæ, & coordinatæ curvæ, in hoc plano descriptæ, sint x & z; manifestum est, æquationem, tribus hisce variabilibus constantem, ad superficiem esse. Quemcunque enim valorem uni variabilium e. g. ipsi x tribuas, duæ adhuc variabiles y & z restabunt, quæ ita locum lineæ rectæ aut curvæ *G N* exprimunt. Quandoquidem ergo tot valores pro quan-

Tab. IV Fig. 1.

Digitized by Google

quantitate x accipi possunt, quot puncta sunt in axe AP, h.e. infiniti, infinitæ etiam erunt ejusmodi lineæ GN, sibi infinite proximæ, h. e. superficies $BGGNN$. Sit v. g. investiganda æquatio sphæræ, cujus centrum A, & diameter APP, ducta in plano positione dato APM. Assumto quolibet hujus sphæræ puncto N, & demissa ad planum baseos APM perpendiculari NM, ducatur ex M ad diametrum APP perpendicularis MP. Sit radius sphæræ AP, a, PM, y & MN, z erit $NP = \sqrt{yy+zz}$, adeoque $AN = \sqrt{xx+yy+zz} = a$, & tandem æquatio sphæræ $aa = xx + yy + zz$. Eadem ratione æquationes pro superficiebus coni recti, paraboloidis, atque generaliter cujuscunque superficiei, circumvolutatione curvæ cujusvis circa axem datum genitæ, Autor eruit, & abundante exemplorum copia methodum hanc illustrat. Imo æquationem superficiei, genitæ a pluribus rectis, e polo fixo exeuntibus, & in curva quacunque terminatis, invenire docet, quæ solutio hanc notatu dignam proprietatem ipsi prodit, quod æquationes ad superficiem, formatam a rectis, ex polo aliquo exeuntibus, nunquam habeant parametrum; & vice versa, quod æquatio, ex tribus variabilibus composita, quam nulla quantitas constans ingreditur, semper sit ad superficiem conicam. Hoc Theorema quoque pluribus exemplis superficierum, a curvis, quarum frequentior est usus, genitarum, copiose illustrat, atque inde ad solvendum Problema utilissimum progreditur. Si duæ dentur superficies curvæ, quarum idem est axis, & quarum æquationes ex iisdem quantitatibus variabilibus componuntur, invenire curvam duplicis curvaturæ, quæ ipsarum sectio communis est. Ex dictis facile apparet, solvendi methodum eo redire, ut duæ projectionis curvæ inveniantur in duobus planis, ex tribus, quibus angulus solidus comprehenditur; in quo curvæ duplicis curvaturæ semper descriptæ intelliguntur, h. e. curvæ projectionis vel in plano quantitatum y & z, vel in plano baseos & ipsius y. Cum itaque utramque datam æquationem ad superficiem tres variabiles x, y, & z ingrediantur, non alia re opus est, quam ut harum æquationum ope, una ex tribus variabilibus exterminetur, ut

 duas

duas habeamus æquationes, quarum altera non nisi ex y & x; altera tantum ex z & y componatur. Sit e. g. invenienda curva duplicis curvaturæ, quæ sectio sit paraboloidis & coni recti, qui verticem eundem, sed axes sibi invicem rectos, habeant. Inveniantur æquationes pro superficiebus, tum paraboloidis, tum coni recti, quarum illa est (A) $ax = yy + zz$, hæc vero (B) $\frac{nn}{mm}y^2 = xx + zz$. Eliciatur ex æquatione (A) valor ipsius zz, eumque substituendo in æquatioe (B) invenitur nova æquatio $\frac{nn + mm}{mm}y^2 = ax + xx$; ex quo apparet, curvam projectionis in plano baseos esse hyperbolam. Eadem ratione curva projectionis in plano ipsorum x & z investigatur, capiendo ex æquatione (A) valorem ipsius yy; eamque in æquatione (B) substituendo. Invenitur enim $\frac{nn}{mm}ax - xx = \frac{nn + mm}{mm}zz$ æquatio ad Ellipsin. Methodi brevitatem pluribus aliis exemplis Autor demonstrat, atque sequente propositione, quomodo describenda sit curva duplicis curvaturæ, si curvæ projectionum in duobus anguli solidi planis datæ sint, ostendit, speciminibus nonnullis demonstrans, quomodo ex æquatione curvæ ejusmodi duplicis curvaturæ proprietates ipsius æque facile eliciantur, atque curvarum in plano descriptarum proprietates ex ipsarum æquatione vulgari methodo investigamus. Et, licet alienum ab ipsius proposito videatur, explicare, qua ratione natura superficierum, ex data earundem æquatione tres variabiles complexa, eruenda sit, methodum tamen suam Cl. Autor aliis invidere noluit, inprimis cum in sequentibus, in solvendis nonnullis problematibus egregium præstet usum; nec est, cur forte metuat, ne sublimium rerum Geometricarum studiosis illa ingrata sit. Quia brevitati nobis studendum, exemplum, quo methodum hanc illustrat, excerpemus, omissis, quas præscribit regulis. Esto igitur propositum, inquirere in naturam superficiei curvæ, quæ exprimitur æquatione $xyz = aaa$. Supponendo $x = o$ erit
Tab. IV Fig. 2. $yz =$ infinito. Unde apparet, superficiem hanc cum plano *QAR* (Fig. 2.) sive plano ipsorum y & z non convenire nisi

nisi in distantia infinita, seu, quod eodem redit, planum hoc ipsi asymptoticum esse. Ponendo deinde $x = \infty$, erit $yz = o$, adeoque $y = o$ & $z = o$; unde apparet, plana *RAP* & *APM* quoque superficiei propositæ asymptotica esse. Si porro fiat $x = b$, erit $yz = aaa:b$, locus ad hyperbolas oppositas *GN*, *gn*, quarum asymptoti sunt *MPm* & *SPs*, atque potentia; $aaa:b$. Superficies itaque proposita duas habet partes, similes & æquales, sibique invicem obversas, quarum singulæ infinitas hyperbolas comprehendunt. Altera harum partium est inter plana *QAR* & *RAP* & *APM*: altera planis *APm*, *rAP* & *rAq*, quæ prolongatis prioribus planis oriuntur, includitur. Restat adhuc inquirendum, an superficies proposita porrigatur quoque ad partes ipsarum *Ap* sive x negativarum. Fiat igitur $x = -b$, adeoque $yz = -aaa:b$, quæ æquatio duas hyperbolas oppositas *Hn*, *hn*, in plano *pmn* indicat, quarum asymptoti sunt *mpm*, & *Lpl*, atque potentia eadem, quæ hyperbolarum *GN*, *gn*, sed negativa, prodit. Atque profecto rem accurate consideranti apparet, superficiem propositam ad partes ipsarum x negativarum quoque porrigi, ibique duas partes, prioribus duabus similes, habere, quarum altera tribus planis *pAq*, *pAr* & *RAq* altera planis *rAQ*, *pAQ* & *pAR* comprehenditur. Cum vero eædem quantitates prodeant, si ipsis y & z eosdem assignemus valores, qui modo pro x assumti fuerunt; apparet, superficiem hanc eadem ratione, secundum quemvis ex tribus axibus, concipi posse. Pergit inde doctissimus Autor *Sectione II*, auxilio calculi differentialis instructus, tangentes atque normales curvarum duplicis curvaturæ investigare; atque *Sectione III*, ejusmodi curvarum quadraturam, rectificationem & cubaturam docet, ubi multa observat, quæ sublimioris Geometriæ studiosis haud ingrata erunt, siquidem ipsam quadraturarum methodum hac ratione passim egregie promoveat. Sed nobis jam non vacat, vel excerpere nonnulla ex illis, quæ cum reliquis concatenata arctissimo nexu cohærent, vel ex *Sectione IV* aliquod inventorum ejus exponere, qua generalia quædam principia

ad formandas curvas duplicis curvaturæ, earumque naturam enodandam, complexus est. Multis hac ultima inprimis Sectione speciminibus demonstrat, quantum in ardua illa atque paucis accessa Geometria valeat.

DISCOURS SUR LES DIFFERENTES FIGURES des Astres, &c.

h. e.

DISCURSUS DE FIGURIS DIFFERENTIBUS Astrorum, unde ducuntur Conjecturæ de stellis, quæ magnitudinem variare videntur, & de annulo Saturni, una cum expositione compendiaria Systematum CARTESII & NEWTONI; Autore de MAUPERTUIS, Academiæ Regiæ Scientiarum & Societatis Regiæ Britannicæ Membro.

Parisiis, e Typographia Regia, 1732, 8 chart. aug. Plag. 5½.

Constat, corpora mundi totalia, veluti planetas & stellas fixas, motu vertiginis continuo cieri, massam vero uniuscujusque vi gravitatis versus centrum ejus urgeri. Noster igitur totus in eo est, ut inquirat, quamnam vi gravitatis ac motus vertiginis figuram induere debeant. Cum in eorum numero sit Terra, quam incolimus; ideo Autor ingeniosus primum expendit ea, quæ de figura Telluris hactenus innotuere. Rotunditas ejus ex phænomenis manifesta; sed sphæricitas sumitur, non sufficienter probatur, propterea quod obviis quibusdam phænomenis satisfacit. Ex observationibus de oscillationibus penduli prope Æquatorem retardatis, quas in Insula Cayennæ primus cepit *Richerius*, sequitur, eam penes Æquatorem esse elevatiorem, prope polos depressiorem; unde rationem diametri majoris ad minorem deduxere *Hugenius*, *Newtonus*, *Hermannus*, cum observationibus *Cassini* & *Maraldi* minime consentientes, quarum fide diameter

Cap. I.

Digitized by Google

meter Æquatoris minor esse debet diametro per polos ducta. Quoniam figura a gravitate & motu vertiginis pendet; de causa gravitatis ut disquireret Cl. Autor, conveniens erat. Duo autem hodie celebrantur systemata, *Cartesianum* scilicet, de vorticibus, & *Newtonianum*, de attractionibus. Ne autem *Newtonianum*, quod phænomenis adeo satisfacit, ut inde sese commendet plurimum, præter rationem expendere videatur, discussionem quandam metaphysicam de attractionibus præmittit, in qua, notionibus *Lockianis* confisus, absurditatem ab attractione removere nititur, si ea vel maxime spectetur tanquam qualitas primitiva materiæ inhærens, utut decidere non audeat, utrum re vera detur attractio istiusmodi universalis, nec ne. *Cartesius* motum planetarum circa solem & phænomenon gravitatis per vortices materiæ cujusdam subtilis explicavit; sed, ubi ipsius systema ad explicandas leges *Keplerianas* motuum cœlestium transfertur, cum iis minime consentire deprehenditur. Quomodo *Leibnitius* difficultates tollere conatus fuerit, ut idem cum legibus istis in concordiam reduceret, in *Actis* hisce *A. 1689 p. 82* legi potest. Cel. *Bülffingerus*, nunc Theologiæ Professor in Academia Tubingensi, in Dissertatione de causa gravitatis, quæ præmium A. 1728 ab Academia Regia Scientiarum meruit, ostendit similiter, in vorticibus admittendas esse diversas leges, si phænomenis satisfacere debeant. Non minor autem est difficultas in explicanda causa gravitatis per vortices, eaque non una. *Hugenius* medelam afferre tentavit; sed a simplicitate naturæ recessit: id quod cum ferre non posset *Bülffingerus*, aliam medelam afferre conatus est, sed non modo motum supponit, judice Nostro, conceptu admodum difficilem, verum etiam quatuor fingit vortices in uno, quorum bini binis opponuntur, atque hoc tamen non obstante citra sui destructionem se mutuo trajiciunt. Difficultatem hypotheseos suæ ipse animadvertisse Nostro videtur Autor, quod ingenue confiteatur; a vorticibus alienos suam eorundem defensionem conversuros in impugnationem. Noster igitur concludit, neminem hactenus fuisse repertum, qui systema vorticum salvare

Cap. 2. 3. 4.

vere potuerit, etsi inde ejus impossibilitatem nondum infe-
Cap. 5. rat. *Newtonus* motus cœlestes per hypothesin attractionis, legibus *Keplerianis* mirifice consentientem, egregie explicat, & rigore Geometrico demonstrat. Nec minus ostendit, motum planetarum & gravitatem ab eadem causa pendere. Interim Noster ingenue fatetur, se nec gravitatis universalis, seu materiæ inhærentis, aut vis attractivæ *Newtonianæ*, nec vis impulsivæ habere notionem distinctam, adeoque in dubio
6. relinquit, quodnam systema veritati respondeat. Evincit tamen, in diversis gravitatis systematis non eandem prodire corporum figuram, quæ motu vertiginis cientur. Et sane non alia ratio est, quod aliam diametri majoris ad minorem Telluris repererit *Hugenius*, quam *Newtonus*. In conatu centrifugo, qui ex motu vertiginis resultat, conveniunt omnes. Sed non idem in iis consensus, quæ a gravitate pendent. Quodsi gravitas ab impulsu deducatur, perinde erit ejus motus, sive in centro, ad quod grave tendit, hæreat aliquod corpus, sive nullum ibidem consistat. Enimvero, si materiæ inhæret gravitas per modum mutuæ attractionis, lex gravitatis a figura centralis corporis immutatur, quemadmodum *Newtonus*
7. demonstravit. Hisce præmissis, inquirit in figuras, quas induere debent fluida circa axem in gyrum acta in omni gravi-
Tab. IV tatis hypothesi possibili. Quodsi fuerit $CA = a$ vis centrifu-
Fig. 3. ga in A sub Æquatore $= f$, GL seu perpendicularis ex puncto quocunque G in axem rotationis PQ demissa seu sinus anguli $DCP = b$, sumta CG pro sinu toto $= 1$, $CD = r$, gravitas in $A = p$, exponens rationis gravitatis in A ad gravitatem in quacunque alia a centro distantia $= n$; erit æquatio sectiones omnium sphæroidum definiens $2pr^{n+1} - (n+1) fbba^{n-1}rr = (2p-nf-f)a^{n+1}$. Quodsi fiat $CE = x$, $DE = y$; erit $2p(xx+yy)^{(n+1):2} - (n+1)fa^{n-1}yy = (2p-nf-f)\ a^{n+1}$. Quodsi fuerit $n = -1$, erit $xx+yy = aac^{fyy:paa-f:p}$. Ex æquatione priori eruitur $CA:CP = 2p^{1:(n+1)}:(2p-nf-f)^{1:(n+1)}$ & in hypothesi gravitatis in ratione simplicis distantiæ inversa, si l denotet logarithmum, $lCA - lCP = f:2p$. Deducit hinc porro Autor, nullam fingi posse gra-

Digitized by Google

gravitatis hypothesin, in qua diameter Æquatoris non excedat diametrum per polos ductam. Definit tandem rationem vis centrifugæ ad vim gravitatis, unde figura sphæroidis pendet, in hypothesi communi gravitatis uniformis & gravitatis distantiæ a centro proportionalis. Resolvit deinde problema multo generalius, ut prior solutio pro casu particulari generalis haberi possit, supposito scilicet axe gyrationis extra torrentem, circulantem vi centrifuga, potentiæ cuicunque distantiæ a centro in axe sumto; & in qualibet sectione ad revolutionem perpendiculari gravitate resultante a partibus fluidi versus centrum in hac Sectione sumtum potentiæ cuicunque distantiæ ab eodem centro proportionali. Torrens nimirum degenerat in sphæroides fluidum, si distantia centri C a centro axis HI, nempe CL, evanescit; si enim fiat $CL = o$, æquatio ad figuram torrentis degenerat in æquationem ad figuram sphæroidis. Hisce tandem absolutis, ad id progreditur, cujus gratia molem præcedentem substruxerat. Cap. 8. Applicat nimirum, quæ de figura sphæroidis fluidi ac torrentis circa axem quendam in gyrum acti demonstrata sunt, ad corpora cœlestia. Planetæ nobis cogniti ad sphæricitatem prope accedunt, si Jovem excipias, cujus figura sphæroidica satis notabilis, ut ab Astronomis observari potuerit. Quodsi vero materia fieret minus densa, vel revolutio circa axem evaderet celerior; omnes istas diversas figuras induere possent, quæ per demonstrationes antecedentes ex motu vertiginis resultant. Quoniam igitur fixæ sunt totidem soles, suosque habent planetas; nullus dubitat, omnem figurarum diversitatem in diversis cœli regionibus occurrere, cum nulla subsit ratio, cur in numerum corporum totalium in universo figuras ad uniformitatem, in paucis a nobis observatam, reducere velimus. Unde facile largitur, dari etiam stellas, quæ plani circularis figuram habent, cum a sphæroide, ad sphæricitatem propemodum accedente, per innumeros gradus depressionis prope polos tandem deveniatur ad planum circulare, si continuo varies rationem vis centrifugæ ad gravitatem. Immo monet, planetas planos, etsi non longo nimis intervallo

vallo a nobis remotos, a nobis obſervari non poſſe, ſi orbita eorum fuerit in plano Eclipticæ, aut tantiſper ab Ecliptica recedentium, axis revolutionis ſuerit ad idem perpendicularis. Probabile adeo videtur Noſtro, eſſe in fixarum numero, quæ figuram planam vel ad planitiem accedentem habent. Quod ſi jam ſupponas, circa ſtellam fixam planam circulari planetam quendam ingentis molis aut Cometam in orbita admodum excentrica & ad Æquatorem ſtellæ inclinata; ad perihelium ſuum accedens planeta immutabit inclinationem fixæ planæ, ut jam partem lucidam diſci nobis obverſam conſpiciamus, quæ ante ob craſſitiem reſpectu diametri diſci exiguam conſpectui noſtro ſeſe ſubducebat. Atque hoc pacto ratio reddi poteſt, cur ſtella quædam nunc appareat, nunc diſpareat, & cur mutetur apparens quarundam ſtellarum magnitudo, nec non cur ſtellæ quædam de novo oriri viſæ, quædam vero antea conſtanter conſpicuæ diſparuerint. Annulum circa planetam formari poſſe, quales circa Saturnum conſpicimus, ſi Cometa, cujus cauda eſt torrens immerſus vaporum, in perihelio æſtu ſolis elevatorum, prope accedit ad planetam quendam potentem; propterea quod gravitatione in planetam detorqueatur torrens ad circulandum circa planetam & hoc ipſo motu acquirat figuram ellipſeos cujusdam aut circuli. Nec impoſſibile, ut ipſum Cometæ corpus in circulationem circa planetam hoc pacto abripiatur. Quo facto planeta ſatellites acquiret. Habebit autem planeta ſatellitem ſine annulo, ſi Cometa deſtituatur cauda; ſed annulus una aderit, ſi caudam habuerit. Erit autem annulus ſine ſatellite, ſi cauda tantummodo Cometæ a planeta abripitur. Quodſi denique materia annulorum undiquaque inundet corpus, circa quod gyratur; atmoſphæra plana generabitur, qualis ſatisfacit explicando lumini circa ſolem noſtrum, quod *Caſſinus* in Zodiaco obſervavit. Nihil hic ſupponit ad explicanda ea, quæ ab Aſtronomis obſervata fuere, quod non poſſibile intelligatur per demonſtrationes de ſphæroidis fluidi & torrentis circa axem quendam motu vertiginis abrepti figura.

INSTI-

Digitized by Google

INSTITUTIONES PHILOSOPHIÆ THEOreticæ; Autore NIC. ENGELHARDO.

Tomus I.

Grœningæ, typis Jac. Sipkes, 1732, 8.
Alph. 1 pl. 4.

Complectitur primum hoc Volumen Logicam, & Metaphyſicam, h. e. Ontologiam, Pſychologiam, Theologiam naturalem, & Coſmologiam generalem. Secutus V. C. quod ad ipſa Philoſophiæ præcepta attinet, inprimis Cel. *Wolfium*, cujus plerumque definitiones, utut aliis interdum terminis conceptas, ſæpe etiam demonſtrandi rationem, adhibuit. Methodo vero, quæ multis hodie placet Socratica tractare Logicam ſolam eo conſilio ſuſcepit, quod captui tironum accommodatiorem reliquis putavit futuram. Pauca de Philoſophia ejusque partibus præfatus, ipſam Logicam aggreditur, quam in duas partes, theoreticam & practicam, dividit. Prima tot Sectionibus abſolvitur quot mentis operationes numeramus. In quibus quidem explicandis ita verſatur, ut primo de cujusvis natura, de vocabulorum in eadem uſu & denique de eo, quod verum eſt in unaquaque falſumve, exponat. Partis practicæ autem *quatuor* ſunt *Sectiones;* quarum *prima* de triplici cognitione humana, *altera* de formandis definitionibus, demonſtrationibus & hypotheſibus, denique de audiendis docentibus legendisque libris tractat, *tertia* convincendi alios, & *quarta* diſputandi rationem explicat. Metaphyſices *quatuor*, Cel. *Wolfium* autorem ſecutus, partes fecit. Primæ, Ontologiæ, Caput de Metaphyſica in genere, & primis certitudinis fundamentis, h. e. cognitione exiſtentiæ noſtræ, principiis contradictionis, & rationis ſufficientis, præmiſit. Ipſa autem 9 Capitibus abſolvitur, quorum *primo* de ente in genere, ejus eſſentia, exiſtentiaque, de ente vero, imaginario & non ente, quaque ratione agnoſcantur, nec non de privativo, poſitivo & negativo, tradit; *altero* de determinato & indeterminato, adeoque ſingulari & univerſali; *tertio* de ſimilitudine & diſſimilitudine identitateque; *quarto* de contingenti & neceſſario, ejusdemque variis ſpeciebus; *quinto* de

vero & bono seu perfecto; reliquis de simplici & composito, finito & infinito, substantia & modis, denique de entium mutuo ad se invicem respectu. Infinitum esse, Vir Cl. dicit, quod cum dato quocunque quanto nullam rationem habet, infinitam extensionem possibilem æque esse affirmat, ac ens infinitum absolutum. Extensionem enim infinitam nihil aliud esse, quam omnitudinem rerum in aliqua serie inter se unitarum possibilium; quæ quidem nullam contradictionem involvat. Ens infinitum autem absolutum propterea esse impossibile non posse, quod realitates absolutæ & infinitæ inter se non pugnent. Ex Psychologia Empirica & Rationali Vir Cl. unam fecit. Itaque, cum primum de ejus natura exposuisset, statim immaterialitatem animæ ex cognitionis notione deducit, & mentis essentiam evolvit, quam vim cogitandi appellat. Cogitationem autem dicit cujuscunque objecti qualemcunque in mente repræsentationem. Facultates animæ omnes intellectu & voluntate complectitur. Intellectum distinguit in purum & impurum, voluntatem in sensualem & rationalem; quibus vero distinctionibus nulla alia vis subjecta est, ac illis Scholasticorum, quibus facultatem cognoscitivam & appetitivam inferiorem a superiori distinxerunt. His propositis, de idearum origine & nexu disserit. Admittit ideas innatas, nexum vero idearum & voluntarium & involuntarium, logicum & moralem, dari affirmat; quorum postremo indifferentia quidem æquilibrii, non vero libertas tollatur. His pauca de spiritualitate & immortalitate, eaque *Wolfiana*, addit. Quam autem Cel. *Wolfius* eo consilio Theologiæ naturali præmiserat Cosmologiam, ut illi demonstrandæ principia suppeditaret; hanc Vir Cl. eidem subjecit, propterea quod existentia mundi idealis sufficiat ei, qui Cel. *Wolfio* propositus erat, scopo, atque ex certa mentis nostræ existentia etiam divina deduci argumentando possit; deinde, quod existentia mundi, extra mentem ex Theologia naturali, æque ac origo & perfectio mundi demonstrari debeat, quod jam *Cartesio* visum sit. Ex contingentia igitur mentis nostræ a posteriori, & e natura Dei possibili a priori existentiam

Digitized by Google

am Dei demonſtrat; quæ quidem poſterior demonſtratio completa futura erat, niſi gratis ſumeret §. *154* Met. inter ea pugnam eſſe non poſſe, quæ ſe habent ut ens infinitum ad aliud infinitum. Illud etiam §. *372*, in Cosmologia ſcilicet demonſtrandum, ſumit, omnes res poſſibiles non exiſtere, ex quo is, intellectum in Deo eſſe & voluntatem, demonſtrat. Ab exiſtentia ad eſſentiam & attributa, infinitatem, ſimplicitatem, immutabilitatem, æternitatem, aſeitatem, unitatemque, progreditur. Eſſentiam Dei in perfectiſſima cogitandi actuoſitate conſiſtere, ait. Unitatem vero ex eo demonſtrat, quod duo infinita poſſibilia non ſint. Si quis ea fingere velit, perfecte æqualia fingat neceſſe eſſe; perfecte æqualia autem eadem numero eſſe, §. *18, 182*. Sed vereor, ut hic Scholaſticos conſentientes habiturus ſit, qui plura, numero tantum diverſa, poſſe dari ſtatuunt; quod quidem Vir Cl. non refellit. Namque negabunt ſine dubio, legitimam eſſe, quam de *iisdem numero* dedit, definitionem, uſuive loquendi conformem. Numero enim diverſa dicimus, quæ nulla in re differunt, aut ſaltem non differre videntur. Et, quanquam ex principio indiſcernibilium conſtet, duo perfecte æqualia in ſerie rerum contingentium exiſtere non poſſe; tamen, plane contradictoria per ſe eſſe, non patet. Intellectum Deo tribuit infinitum, puriſſimum, rationem item ſummam, omniſcientiam & ſcientiam; voluntatem vero perfectiſſimam & optimam, ſed affectibus liberam, & libertate, non indifferentiæ quidem, ſed ſpontaneitatis, præditam. Ab hac non differre putat decretum Dei, quod unicum ſit, Deoque æque eſſentiale ac voluntatem, adeoque (ſi, quod ex hac ſententia ſequi, nemo non videt, addere licet,) neceſſarium, non liberum; ſed nolumus hanc conſequentiam Viro Cl. imputare, qui diſerte hoc decretum liberum appellat §. *413*. Supponere autem hoc decretum ipſi videtur potentiam infinitam, quod certe, cum contingentia mundi, adeoque poſſibilitas plurium mundorum nondum demonſtrata eo loco ſit, nec ipſum demonſtrari recte poterat. Utut enim Vir Cl. eo, quem citat, loco oſtenderit, exiſtentibus ſubſtantiis contingentibus exiſtere debere neceſſariam (non infinitam,

quod perperam Cl.Autor dixit); illud tamen non oſtendit, illam ſubſtantiam neceſſariam etiam omnes alias ſubſtantias poſſibiles actualitate donare poſſe. Idem decretum univerſale eſſe tradit, omnesque cujuslibet creaturæ ſtatus involvere. Manifeſtari autem per creationem, conſervationem & providentiam, quæ fortunam & caſum excludat, & nil ſine fine aut eſſe aut fieri oſtendat. Ex his, de quibus diximus, attributis, veracitatem, bonitatem, juſtitiam, ſanctitatem, omnipræſentiam, ſummamque, qua fruitur Deus, beatitudinem, deducit. Negat, pugnare cum bonitate Dei cujusvis generis mala, pugnare autem cum ipſius juſtitia, ut bonis male, malis bene ſit. Ac, cum ſæpe hoc in mundo contingat, invictum inde argumentum pro demonſtranda immortalitate animæ peti poſſe. Ultimo Capite de cultu divino ejusque principiis exponit, ad eumque obligatos eſſe homines, utut nondum definita obligatione, acquieſcens in confuſa ejus notione, ſtatuit. Cosmologiæ initio mundus definitur, quem dicit eſſe univerſitatem rerum creatarum omnium, ejusque exiſtentiam ex Dei exiſtentia demonſtrari debere, atque inprimis veracitate ejus. Non enim fieri per illam poſſe, ut Deus homines ipſe decipiat. Quod argumentum, num & per ſe verum ſit, aut aliquam hic vim habere poſſit, alio fortaſſe tempore inquiremus. Eidem autem mundo nexum aſſerit, qua ſpatium, qua tempus; atque in ipſo illo, quo ſubſtantiæ connexæ ſunt, modo eſſentiam mundi ponit. Et, quia partes mundi finitæ ſint, finitæ autem non poſſint carere initio, mundum æternum eſſe non poſſe. Quo quidem argumento num impoſſibilitas æternæ creationis demonſtrata ſit, aliorum eſto judicium. Eſſe autem hunc mundum perfectionum divinarum theatrum, omniumque poſſibilium, ſi qui ſcilicet alii poſſibiles ſunt, quod non demonſtravit Vir Cl. perfectiſſimum, unicum præterea & vacuo carentem ſpatio. Num vero infinitus idem extenſione ſit, diſputari. Subſtantiarum, ex quibus compoſitus eſt mundus, differentiam ex diverſitate phænomenorum æſtimandam eſſe, monet. Has ſubſtantias vel corpora eſſe, vel ſpiritus. Appellari corpora, quæ ſenſationum beneficio nobis cognita

ſint,

ſint, entia, eorumque exiſtentiam non involvere neceſſario ſpirituum finitorum exiſtentiam, mundumque corporeum in ſe ſpectatum exiſtere poſſe, etiamſi nullus ſpiritus exiſtat finitus; qua propoſitione ſyſtema Idealiſtarum penitus proſterni putat. Elementa dici ſubſtantias, quæ in exiſtentia corporum involvantur, eaque vi eſſe prædita, & continuis mutationibus obnoxia & inter ſe connexa. Ob nexum vero cauſarum finalium & efficientium actiones elementorum in ſe invicem veras eſſe, non apparentes tantum, atque id veracitatem Dei docere. Perfecte autem ſimilia nec elementa, nec alias ſubſtantias, dari. Ex elementis componi corpora, ex iisque rationem corpuſculorum primitivorum omniumque reddendam eſſe, quæ in corpore contingunt, & omnes qualitates occultas excludendas eſſe. Ac, cum omnes quidem corporum modificationes motu contineantur, de motu ejusque legibus generalibus exponit ita, ut *Leibnitiana* & *Wolfiana* principia nunquam non ſequatur. Ex harum contingentia miraculorum poſſibilitas deducitur, attractionem autem nullam dari, ex iisdem intelligitur. Unionem mentis & corporis veram eſſe ſtatuit ac ita comparatam, ut vi perfectionum divinarum menti imputari corporis actiones voluntariæ poſſint. Quod quidem ut fieri poſſit, requiri non qualemcunque actionum mentis & corporis harmoniam, ſed veram actionem animæ in corpus. Quo loco etiam facetus lepidusque eſſe Vir Cl. voluit. Neminem ruſtico, dicit, imputaturum leporis mortem, quem venator in dumeto latens ſclopeto globulis plumbeis trajecerit, ſed quem ruſticus furca ad maxillam adaptata, contra leporem collimans trucidaſſe ſibi viſus ſit. Neque tamen contactum & impulſum admittit Autor, qui in corporibus in ſe agentibus occurrit. Talem igitur eſſe mentis & corporis unionem, ut ſubſtantiarum unitarum quælibet mutationes, quas ſubit, propria activitate producat, ſed conformiter actionibus verarum creaturarum; quæ ſingula quidem quomodo cohæreant, facile perſpicaces exiſtimabunt. *Syſtema Æquilibrii* appellat hunc modum unionem explicandi, quæ inter animam & corpus intercedit; de quo peculiari

 Diſſer-

Dissertatione Academica se expositurum promittit. Quod ut feliciter ipsi cedat, optamus, inprimisque illud, ut, qua ratione hæc duo consistere possint, doceat: anima & corpus mutationes, quas habent, propria activitate producunt §. 551, &, anima vere agit in corpus, corpus in animam, §. 548. Animas brutorum simplices quidem, sed sensitivas tantum mortalesque putat. Atque hæc fere sunt, quæ de hoc novo Philosophiæ systemate dicere constitueramus. Illud unum addimus, per totam Metaphysicam frequentissime scholia occurrere, quæ ad illustrationem theorematum faciunt, aut historica tradunt, aut, quid in Collegio sit eo loco dicendum, significant. Poteramus, quod superest, varia adhuc monere, v.c. quod minus accurate Vir Cl. cogitationes dicit quascunque rei in mente repræsentationes, adeoque etiam sensationes & ideas obscuras ad cogitationes refert, cum tamen ipse eodem loco perceptione s. conscientia cogitationes omnes absolvi statuat, quæ manifeste inter se pugnant; item, quod fidem eum tantum assensum appellat, qui *testimonio divino* tribuitur; quod sensum externum conscientiam perceptionum esse ait, cum ex sensationibus etiam obscuræ & confusæ ideæ oriantur, quarum conscii non sumus; quod contra usum loquendi prosyllogismos appellat syllogismos abundantes, soriten, dilemma, &c. sed nolumus nimis longi esse. Hortamur igitur potius Cl. Autorem, ut in cœpto opere pergat, efficiatque, ut, quibus præ Grammatica Græca & Latina sordere visa hucusque est Philosophia, Belgæ in posterum & huic operam dare assuescant.

HISTOIRE DE L'ETAT DE L'HOMME dans le peché originel.

h. e.

HISTORIA STATUS HOMINIS IN PECCATO originali.

Impressum in mundo, 1732, 12.

Plag. 10.

Non est novus hic libellus, sed jam A. 1714 in 8 editus; neque nova est, quæ de peccato originis affertur, sententia, sed jam ab aliis, inprimisque fœdissimo illo *Beverlando*, exposita.

sita. Neque ipse diffitetur Autor, se hunc secutum esse, quanquam ita, ut interdum accuratius exposuerit ab ipso tradita, interdum vero in ejus placitis plane acquieverit. Cum igitur cognitæ omnibus sint, atque utinam cognitæ non essent! *Beverlandi* sordes, nolumus iisdem repetendis oculos legentium lædere, vel hoc ipsum diarium fœdare, inprimis, cum hic Autor *Beverlandum* nequitia, fœditate atque summa sanctissimas res ad risum detorquendi libidine longe multumque vincat. Testes esse possunt versiculi, quos ubique immiscet, nec non quæ de fructibus matrimonii stilo *Rabelasiano*, h. e. ludicro, & ad risum jocumque facto, dicit. Iniquissimum præterea se summis hominibus, Theologis etiam, inprimisque Cel. *Burmanno*, præstat, cujus ille laudes indignissimis versibus Latinis & Gallicis, durissimisque contumeliis, sordide conspurcat. Quod reliquum est, hæc editio priori auctior est. Neque enim in priori apparent carmina adversus *Burmannum*, aliaque contumeliose in summos homines dicta.

CHRISTIANI FALSTERI AMOENITATES Philologicæ.

Tomus III.

Amstelodami, apud Adrianum Wor & hæredes Onder de Linden, 1732.

Non cedit hoc prioribus duobus Volumen neque narrationum suavitate neque rerum delectu. Itaque & ex hoc, quæ paullo digniora notatu visa sunt referemus. *Sermone tertio*, qui Criticus heavtontimorumenos inscribitur, eos reprehendit Vir Cl. qui paulo audacius in emendandis veterum libris versantur, eosdemque non tam emendant, quam corrumpunt. Quo loco etiam Commentariorum, quos in *Gellii* Noctes conscripsit, rationem reddit, in iisque id se inprimis affirmat curasse, ne quid in emendando Autore temere, ne quid nimis curiose, ne quid superbe ageret. Itaque non assentitur Cl. *Gronovio*, qui II, 12, pro: *alterutra parti* sese adjunxerit, legi

gi vult, *alterutra parte*, quæ eſt editionis *Gryphianæ* lectio, cum etiam *aliæ rei*, *aliæ cauſæ*, more antiquo apud *Gellium* dicatur. Neque XX, 1, pro *breviſſimo laniatu*, cum *Salmaſio*, *feriſſimo*, aut, cum *Bynkershœkio* & *Heumanno*, *ſæviſſimo* legendum putat. Qualis ſit vox *Quopſones* L. *VIII*, 13, inutilem & fruſtraneum putat laborem ſe ſuſcepturum, ſi inquirere velit. L. *XII Cap.* 2 autem non flos *delibatus* populi cum libris vulgatis, nec *delibratur* cum *Verburgio* ad *Cic. Brut. Cap.* 15, ſed *delibutus*, legit. *Sermo VII* memorabile prodigioſi Calculatoris Sueci exemplum continet. Fuit illi nomen *Lars Bengſton Granberg*. Qui, cum nec legere poſſet, nec ſcribere, eſſetque ſpurciſſimus maximeque indocilis, memoriter infinitas, easque difficillimas, diſcrepantium numerorum differentias & connumerationes arithmeticas ipſo temporis articulo explicare potuit. Propoſuit ipſi Rex *Chriſtianus V* inter alia exempla & hoc:

> Mercator habet 33, 44, 55, 66, 77, 88, 99, urſos, ſinguli urſi totidem catulos, ſinguli catuli totidem caudas, ſingulæ caudæ totidem pilos, ſinguli autem pili conſtant tot Carolinis. Jam diſcere cupio, quot centenarum mille myriadum pretium hi urſi emantur, item, quot mille tonnarum auri ſummam hi Carolini efficiant.

Quod ille incredibili velocitate memoriter præſtitit. Inprimis autem lectu dignus multis videbitur *Sermo X*, qui Aulæ veteris Romanæ brevem conſpectum exhibet. *Sermone XIV* autem ex Angli cujusdam epiſtola narratur, *Robertum Greenium*, Philoſophum Cantabrigienſem illum celebrem, & phyſico inprimis Opere A. 1727 Cantabrigiæ in fol. edito, nobilem, teſtamentum reliquiſſe, quo Aulæ Cantabrigienſi, quæ *Clarehall* dicitur, libros ſuos & bona legavit, ſed ea conditione, ut reliqua ſua ingenii monumenta in vulgus edant Socii, & oſſa ſua ad ima Bibliothecæ ſuæ locent; Socios autem eum, contra teſtamenti autoritatem, honorifice ſepeliviſſe. *Sermone XVIII* plauſtrum convitiorum veteribus uſitatorum Vir Cl. exhibet: *XX* de lege Ripenſi diſputat, qua adulteris pœna ſtatuitur, ut adultera adulterum per vicos civitatis ſurſum & deorſum

per

per virilia trahat. *Sermone XXXI* Pietiſtas,quos vocat,cum Cynicis comparat. Adjecta huic Volumini ſunt a *p. 211* ad *344* Admonitiones ad Interpretes *Gellii*,cum Epiſtola ad Cl. *J.G. Krauſium*, Profeſſorem Vitebergenſem, cui pro laudibus ſibi paſſim tributis gratias agit. Non dubitamus,quin,cum ſæpe ſatis feliciter & emendaſſe & explicuiſſe *Gellium* nobis videatur, gratum iis fecerit, qui in legendo, interpretando, edendove *Gellio* laborant, aut ſunt aliquando laboraturi, quibus hunc libellum merito commendamus.

II.

JUSTI CHRISTOPH. MOTSCHMANNI ERfordia literata, oder Gelehrtes Erffurth, &c.

h. e.

ACADEMIÆ ERFURTENSIS HISTORIA, una cum Vitis Virorum, qui ea in urbe vixerunt, ac libros ediderunt.

Syllogæ Sex.

Erfurti, apud H. P. Ritſchelium, 1729, 1730, 1731 & 1732, 8. Alph. 2 pl. 11.

Eximiam Hiſtoriæ literariæ partem tractant, qui deſcribunt hiſtoriam Societatis alicujus literatæ,quam vocamus Academiam. Cum enim in illis literarum domiciliis maxime ferveant optima quæque ſtudia,& plerique ibi enitantur ad ſummum eruditionis faſtigium, proindeque doctiſſimi iis in locis effingantur libri; fieri non poteſt, quin alicujus Academiæ hiſtoria & vitas exhibeat præſtantiſſimorum ingenio virorum, & librorum cujusvis generis optimorum theſaurum quendam aperiat. Non eſt igitur dubium, quin maximam ineat gratiam Cl. Autor,partitim edens Erfurtenſis Academiæ hiſtoriam, & nunc quidem *primum* ejus *Tomum* in publicum emittens. Nec vero ſolum Profeſſores exhibet ſuæ Academiæ, ſed alios quoque doctrina eminentes viros,quos illa Thuringiæ metropolis habuit. Singulari autem cura originem & fata Academiæ

Digitized by Google

miæ proſequitur, initio docens, Papam *Urbanum I* Senatui populoque Erfurtenſi A. 1389 publicis literis conceſſiſſe facultatem condendi *Studium generale*, at A. 1392 demum Academiam fuiſſe perfectam: ideoque A. 1692 eam tertium ſuum egiſſe Jubilæum. Recenſet hinc Cancellarios (quod munus ſemper gerit Moguntinus Archi-Epiſcopus,) & Procancellarios, ſimul agens de Suecico Cancellariatu hujus Academiæ in bello tricennali: quo tempore autoritate herois inclyti, *Axelii Oxenſtirnii*, *D. Jo. Matth. Meyfartus* A. 1634 quatuor creavit Theologiæ *Lutheranæ* Doctores. Poſtea ritum eligendi Rectorem deſcribit, eundemque inaugurandi, ſimul ordine recenſens Rectores ad unum omnes, & ad ultimum confutans vulgi fabulam, quæ tradit, aliquando accidiſſe, ut carnifex quidam hic crearetur Rector Magnificus. Tum varia, cum proſpera, tum adverſa, Academiæ fata exponit, atque hac occa-
Pag. 523 ſeq. ſione nomina recitat Profeſſorum hodiernorum, ſimul falſo
494. tradi contendens, *Eobano Heſſo*, artem hic publice tradenti poeticam, mille & quingentos eſſe conſueviſſe auditores. Præci-
617 ſeq. pue gratum facit lectoribus, exhibens Statuta ſive Leges Academicas, ſtylo medii ævi, hoc eſt, parum Latino, (quem ſubinde illuſtrat,) conſignatas, adjungensque Statuta junioris ævi, puriore ſermone perſcripta. Ad Viros doctos, quorum & vitam & libros recenſet, quod attinet, occurrunt hic multi, antea fere ignorati, nec tamen cognitu indigni: multorum quoque notitia exhibetur, quorum notiſſimum eſt nomen, vita & fata parum cognita: quo ex numero *Joannes Aurifaber* eſt, & *Caſpar Stielerus*, nomine *des Spaten* in Germania clariſſimus, & *Eccardus Leichnerus*. Præter hos, ut ſilentio prætereamus ceteros, hic ſatis copioſe laudantur *Nicolaus de Sygben*, (quem eſſe verum Autorem *Continuationis Hiſtoriæ Lamberti Schafnaburgenſis*, e *p. 39* jucunde diſcimus,) *Jo. Matthæus Meyfartus*, *Auguſtinus Gibbon de Burgo*, *Juſtus Veſti*, *Chriſtoph. de Hellwig*, *Jo. Andr. Fiſcherus*, *Hieronymus Brucknerus*, *Jo. Maur. Gudenus*, *Jobus Ludolfus*, Mathematicus, *Jo. Phil. Eyſelius*, *Juſtus Jonas*, *Matthæus Razzenbergius*, *Andreas Wigandus*, *Nic. Stengerus*, *Jo. Henr. Meierus*,

erus, *Joannes de Indagine*, (cujus seculo decimo quinto clari Viri MSti libri in Carthusia Erfurtensi supersunt plurimi,) *Martinus Lutherus*, (cujus vero Erfurtensis duntaxat vita hic describitur,) *Christianus Neubauerus*, *Georgius Christophorus Petri de Hartenfels*, *Jo. Henr. Kindervaterus*, & *Jo. Georgius Jochius*. Ceterum, cum & notissimum illud Chymicis nomen, *Basilius Valentinus*, Erfurti Seculo XV vixisse vulgo credatur, Noster, famam quidem hanc satis fuisse constantem, docet, nihil tamen certi definiri posse. Nobis quidem & perpetua famæ consensio & diptychorum Erfurtensium monasteriorum silentium facile persuaserit, non fuisse hoc verum Erfurtensis cujusdam monachi nomen, sed adscititium. Concludimus brevem hanc accuratissimi libri recensionem hoc voto, ut Cl. Autor id, quod ingressus est, stadium strenue decurrat, & *Erfordiam* suam *literatam* reddat ex omni parte perfectam.

Pag. 689.

390 seq.

SPECIMEN HISTORIÆ PATRIÆ, DE Ulma per Lotharium Saxonem A. D. MCXXIX obsessa, occupata, destructa, & per Cunradum Suevum A. D. MCXL restaurata atque amplificata; Autore LUDOVICO BARTHOLOMÆO HERTTENSTEIN, J.U.L.

Ulmæ, typis Christiani Ulrici Wagneri, 1733, 4.
Plag. 3.

Eidem, qui haud ita pridem in *Specimine* quodam *Juris Publici Suevici* veteris Ducatus Alemannici fata, regimen, provincias, interitum atque dilacerationem, argumentum satis rarum & gratum, illustravit, alterum quoque *Historiæ Ulmensis Specimen* debemus, cui occasionem dedit monumentum quoddam lapideum, nuper demum detectum, ac in Bibliothecam publicam Ill. Reipublicæ Ulmensis translatum, cujus ectypum Cl. Autor una cum illius inscriptione Opu-

 scu-

Digitized by Google

Tab. IV Fig. 4. ſculo ſuo præmiſit, & a nobis in *Tab. IV Fig.* 4 repetitum cernitur. Tractationis initium fecit a morte *Henrici V*, Imperatoris, & diris, quæ inde orta ſunt, *Lotharium* inter ac *Conradum*, æmulos, diſſidiis. Inde, quid inprimis Ulmani in favorem *Conradi* fecerint, indicat, formamque veteris civitatis, præcipuorum illius ædificiorum, duorum denique ejusdem ſuburbiorum, deſcribit, inſimulque Imperatores & Reges Germaniæ, qui in Palatio ſive Curia Regia Ulmæ aliquantiſper commorati ſunt, aut comitia ibidem celebrarunt, breviter recenſet. Porro laudatæ urbis obſidionem, defenſionem, occupationem ac deſolationem, fide inprimis cujusdam picturæ, in aula nova aſſervatæ, itidemque jam in Bibliothecam publicam tranſlatæ, delineat, quæ quidem demum Seculo XVII, cura *Viti Marchtalleri*, Senatoris ibi rerum patriarum peritiſſimi, ad ductum optimorum documentorum fuit conſignata, id quod ex ſubſcriptione dictæ tabulæ clariſſime conſtat, ubi hæcce verba majusculis, at obſcuris, literis exarata leguntur: *Ichnographia Ulmæ Suev. Lothario II Imp. MCXXIX obſeſ. captisq. & abductis viris præſtantioribus*(quorum XII fuiſſe, ex MSto ejusdem Antoris conſtat,) *miſere devaſtatæ. Quam indolens patr. C. carib. poſter. q. lugubri exempl. F. F. Vitus Marchtallerus.* Poſtea reſtaurationis atque amplificationis a *Conrado* factæ hiſtoriam exponit, & de variis argumentis huc pertinentibus curioſe diſſerit. Denique fata ſupra memorati monumenti, quod Sec. XVI portæ Gœglingenſis propylæo impoſitum fuiſſe autumat, commemorat, illiusque explicationem tradit. Plura ſperare nos jubet Cl. Autor, ſi Deus vitam ipſi ac ſanitatem porro conceſſerit.

ELOGIUM JOANNIS HENRICI BOECLERI, JCti Argentoratenſis.

Triſtem in omne ævum memoriam relinquet orbi literato præſens annus, mortem utpote qui tot clariſſimis

-mis viris attulit, inter quos commemorandum nobis præcipue videtur illustre Argentinæ nomen, *Joannes Henricus Bæclerus*, cujus nunc vitam brevi delineare narratione instituimus. Natus est *Bæclerus*, Juris Utriusque Doctor, Codicis ac Consuetudinum Feuddalium in Academia Argentoratensi Professor Publicus Ordinarius, Capitulique Thomani Præpositus, Argentorati VIII Id. Jan. A. 1679, gentemque habuit summis in orbem literatam meritis illustrem. Fuit enim ipsi pater *Joannes Bæclerus*, Medicinæ Doctor & Professor Argentoratensis non obscurus, avus celebratissimus ille *Joannes Henricus Bæclerus*, qui inter alios honores permultos & Historiarum Professoris munere hac ipsa in Academia summa cum laude est functus, scriptorum præterea incredibili prorsus numero inclytus, proavus denique *Joannes Bæclerus*, Ecclesiæ Cronheimensis in Franconia Pastor fidelissimus. Absolutis felici faustoque omine studiis, quæ ab humanitate nomen trahunt, sacris Academicis rite est initiatus VI Id. April. A. 1692, omnemque e vestigio Philosophiæ navavit operam, præceptoribus usus, qui eo tempore celeberrimi erant Academiæ Argentoratensis doctores, *Jo. Joachimo Zentgravio*, *Bernardo Wagnero*, *lio Reichelto*, *Jo. Christophoro Artopæo*, ac denique *Jo. Casparo Khunio*. Auspicatus deinde Juris studium, doctores nactus est nominis fama æque claros, *Fridericum Schragium*, Illustris Cameræ Imperialis postea Assessorem gravissimum, *Ulricum Marbachium*, *Joannem Henricum Feltzium*, &, qui primo loco nominandus erat, *Joannem Schilterum*, meritis in patriam Jurisprudentiam immortalem. His ducibus emensus est legitimæ scientiæ campum, non, ut a maxima hominum parte solet fieri, opificum in morem, sed solida prorsus ratione, ac prouti decet virum supra vulgus elatum. Noverat ingenium Viri, qui præstantissimos seligere optime didicerat, Perillustris *Ulricus Obrechtus*, Argentoratensis Academiæ primum Professor, postea civitatis Prætor regius. Is enim, A. 1698 Francofurtum ad

ad Mœnum, Christianissimi Regis nomine, profecturus, ad decidendam notissimam illam controversiam, inter Principem Electorem Palatinum & Aurelianensem Ducem subortam, Secretarii, quod dicitur, munus Nostro demandavit obeundum. Ipsius porro autoritate præcipue factum est, ut *Bœclerus* pridie Non. Maji A. 1701 Institutionum ac Publici Juris Professor in patria Academia rite designaretur; quam quidem dignitatem excepit III Id. Maji ejusdem anni Thomana in Ecclesia ita dictus Canonicatus. Quid? quod & illo ipso anno, ejusdem *Obrechti* suasu, Wezlariam, quæ Cameræ Imperalis sedes est, profectus, duos ibi menses substitit. Unde Ratisbonam se contulit; quo quidem loco per integros novem menses est commoratus. Dederat enim ipsi literas *Obrechtus* ad celeberrimum tunc temporis Regis Christianissimi in Comitiis Imperii Legatum, *de Chamoy*, quibus eum Mæcenati huic de meliori nota commendavit. Ratisbona Viennam Austriæ & inde ad præcipuas Germaniæ aulas mittere Nostrum mens erat Perillustri Viro, sed ingruens bellum, & *Obrechti* obitus, sane præmaturus, institutum successu suo privarunt. Redux igitur in patriam *Bœclerus* A. 1702, superatis examinibus, Theses inaugurales Juridicas, *de Comitiis Imperii universalibus*, omnium cum applausu defendit. Quo facto, in ordinem introductus Academicum, suum inter Professores subsellium occupavit, munusque publicum inaugurali Oratione, *de Vera nec simulata Juris Publici prudentia*, XIII Cal. Maji A. 1703 prosperrimo cum successu est auspicatus. Rectorales in patria Academia fasces quater obtinuit, eosque nunquam nisi cum summa laude in manus successorum tradidit. Decani munere in ordine Juridico functus est quinta supra decimam vice. Bis Collegii *Wilhelmitani* & *Marciani* visitaturæ, si ita loqui fas est, præfuit. Anno 1727 in numerum præfectorum stipendii *Ottoniani* fuit relatus, & A. 1728 XI Cal. Julii Capituli Thomani Decanus, & VIII Cal. Junii A. 1730 ejusdem Præpositus electus & inauguratus.

Col-

Collegis suis præluxit rarissimo, tum doctrinæ, tum modestiæ singularis, cum gravitate junctæ, exemplo. Ad novissima ejus fata nunc devenimus. Fruebatur Vir beatus valetudine prorsus firma, egregiaque animi alacritate. Miscebat, uti ipsi sæpius mos erat, III Id. Januarii superioris anni in *Dulsseckeri*, Bibliopolæ Argentoratensis satis clari, libraria officina post meridiem cum amicis pluribus, inprimis disertissimo Rhetore, Historicoque illustri, *Joanne Daniele Schœpflino*, sermones dulces & eruditos, qui & ipsum domum comitabatur, ubi brevi post Noster forti correptus apoplexia, frustra omnem diligentiam artemque adhibente fratre ipsius, Medico celebratissimo, sequenti die horis matutinis pias inter preces animam Servatori suo reddidit. Restat, ut scriptorum, quæ ab eo inde ab aliquot annis sunt edita, paucissimis faciamus mentionem. Integros, uti quidem nobis constat, libros edidit nullos. Ingens vero est *Dissertationum* copia, quæ ipsius sub Præsidio sunt habitæ, inter quas, quæ hic recenseantur, dignissimas judicamus, *de Patria potestate Principum Imperii, de Bello Imperatori Carolo V a Mauritio, Saxoniæ Electore, illato, turbisque inde in Imperio exortis, de Superioritate territoriali Comitum Imperii*, quæ inserta legitur *Christiani Lünigii Corpori Juris der Grafen und Herrn des H. R. Reichs, de Acquisito & amisso Imperii Romano-Germanici in Livoniam jure; de Tumultibus Rusticanis Seculo XVI motis, de Arbitris compromissariis, de Acquisitione bellica, de Jure Primogenituræ & Apanagii, de Matrimoniis personarum illustrium in Imperio Romano-Germanico, de Advocatiis Ecclesiasticis, vulgo den Kasten-Vogteyen, de Singulari Justiniani Imperatoris favore erga fœminas*, denique *de Personis feudi capacibus*. Ceterum jacturam, quam literaria respublica morte *Bœcleri* percepit sane maximam, aliorum Virorum, quibus præsens gloriatur ætas, vita seros in annos salva atque incolumi summum Numen benignissime compenset, est, quod ardentissime vovemus.

LIBRI NOVI, EX ITALIA ET BELGIO advecti.

Ceremonies & coutûmes religieuses de tous les peuples du monde. Tome III. à Amsterdam, 1733, fol.

Superstitions anciennes & modernes. à Amsterdam, 1733, fol.

Ludovici Antonii Muratorii Rerum Italicarum Scriptores. Tomus XXI. Mediolani, 1732, fol.

Dilucidazioni Fisico-Mediche, tendenti a richiamare la Medicina Pratica alla preziosa purità, in cui ce la lasciò il grande Ippocrate, con altri Trattati concernenti a tale importantissimo argomento; Tomo primo. Delle Opere del celebre Sig. Dottor *Dionisio Andrea Sancassani, &c.* In Roma, 1731, fol.

Corpus omnium veterum Poetarum Latinorum, cum eorundem Italica versione. Tomus V & VI. Continent *P. Virgilii Maronis* Æneidum libros. Mediolani, 1733, 4. *In Italicam linguam transtulit* Annibal Caro.

Lettere familiari del Conte *Lorenzo Magalotti*, Gentiluomo Fiorentino, e Accademico della Crusca, divise in due Parti. Parte prima. In Venezia, 1732, 4.

Breve Notizia delle Antichità di Viterbo dette Etruria, Turrenia, e Tuscania, e della Cattedra de' Vescovi dell' Abate *Francesco Mariani*, Beneficiato, e Scrittore Greco in Vaticano. In Roma, 1730, 4.

T. H. vanden Honert Dissertatio de Religionis indifferentismo. Lugduni Batav. 1733, 4 maj.

Morbi Epidemii brevis descriptio & curatio per diaphoresin. Autore *Joanne de Gorter*, A. L. M. Medicinæ Doctore & Professore Ordinario. Harderovici, 1733, 4.

Georgii Viviani Marchesii, Foroliviensis, Equitis Ordinis S. Stephani, Monumenta Virorum illustrium Galliæ togatæ, olim Occidentalis Imperii sedis. Forolivii, 1727, 8.

Saggio di Medicina Teorico-Pratica, di *Carlo Gianella, &c.* In Venezia, 1732, 8.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti Anno MDCCXXXIII.

Herrn Heinrichs von Bünau genaue und umständliche Teutsche Kayser- und Reichs-Historie, ꝛc.

h. e.

ILLUSTRISSIMI DOMINI, DN. HENRICI DE BÜNAU, accurata & copiosa Germaniæ cum Imperatorum tum Imperii Historia, e probatissimis Autoribus & monumentis congesta.

Pars II.

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditschii Filium, 1732, 4 maj. Alph. 5 plag. 16½, cum aliquot fig. æn.

Non dubitamus, etiam sine præfatione Lectores ex ipso indicio nominis ac tituli, quid de subjecto libro judicent, habituros. *Bunaviano* nomini jam pridem sua constant merita, sub eoque nihil aliud adhuc, nisi quod amplum & eximium, pariterque ad usum & ad decus comparatum sit, accipere consuevimus. Enimvero *Tomum primum* hujus Historiæ, de quo diximus copiose in his *Actis A. 1729 M. Jan. p. 1 seq.* tanta laus & gratulatio consecuta est, ut omnes Opus, tam præclare cœptum, eodem tenore per secula deduci desiderarent. Annuere visus est Illustriss. Autor eo etiam tempore, quo sanctioribus *Augusti*, potentissimi olim maximique Regum, Consiliis admotus, a gravissimorum munerum negotiis parum boni otii habuit reliquum. Neque fallit expectationem publicam hæc *Pars altera*, quæ, non minori industria & judicio elaborata, multum profuerit in disciplina politica, in Jure Publico, in emendandis moribus, & cognoscendis hominum animis. Res Germanici Francicique Imperii inde a morte *Chlodovæi* Regis usque ad exitum *Caroli M.*

continet, hiſtoriam trium circiter ſeculorum. Jam eo propius intueri licet ac noſſe faciem veteris Reipublicæ, quo clarior per ea tempora lux affulget, certiorque fides & copioſior memoria ſuppetit rerum geſtarum. Ampliſſima non æqualium tantum, vel ætate proximorum, ſed recentioris etiam ætatis, optimorum Scriptorum, quæ præmittitur, recenſio ſatis demonſtrat, nullum facile præteritum fuiſſe, qui in hac Hiſtoria concinnanda potuit eſſe adjumento, ſimulque novo confirmat exemplo, Illuſtriſſ. Autorem tam inſigni ſuo apparatu librorum non ad ſpeciem & oſtentationem gaudere, ſed uti didiciſſe. In ipſa vero Hiſtoria virtutes Romanorum Scriptorum, quas rudis illa & barbara ætas non capiebat, elegantiſſime imitari, geniumque Romanæ eruditionis expreſſiſſe videtur. Mire placet brevitas & lux, gravitas
Pag.67,100, ſplendorque narrationis. Originem & cauſas latentes ne-
277,360. xumque rerum geſtarum inveſtigat, artes aperit erroresque
36, 42, imperantium. Adſunt crebræ aptæque ſententiæ, quæ ſimul
44, 25. inſtruunt lectorem, ſimul delectant. *Liber I* Regum Mero-
33,42,48,62, vingicorum abſolvit ſucceſſionem, ubi rationibus in utram-
66,100,122, que partem oſtenditur, Rempublicam Franciæ ſub *Chlodovæi*
155,425,438, poſteris mixtam formam habuiſſe, nec jure ſolum hæredita-
ſeq.445,477. tis, ſed judicio quoque & electione, translatum fuiſſe. Fata
4 ſeq. *Childerici* factumque calidiſſimum *Pipini*, Majoris Domus, nemo facile ignorat, ſed artes atque conſilia, faciem rerum atque opportunitatem, quibus hic in obtinendo regno uſus ſit, cum ea ſparſim & non niſi per ſumma capita indicent veteres, nec hodierni ſatis aſſecuti ſint Scriptores, Illuſtriſſ. Autor elegantiſſime ſummoque judicio expoſuit.
287 ſeq. Juvat, potiora momenta quam breviſſime, ſpeciminis loco, in gratiam Lectoris noſtri repetere. Primo *Pipinus* Francos fortitudine, prudentia & moderatione ac liberalitate cepit, adverſariisque terrorem nominis ſui intulit. Deinde, quo magis alienaret popularium a *Childerico* animos, rem ac ſalutem Eccleſiæ agi ſimulat, & præter Clericos omnes, quos jam ante multis beneficiis conciliaverat, ipſum etiam facile ſibi adjungit Pontificem. Quippe huic perſuadet, auxilia contra vim Longobardorum, manente rerum Francicarum ſtatu,

ab

ab ignavo Rege nequicquam expectari: in promtu omnia fore, si Rex esset, qui suam potestatem ex parte acceptam referret sedi Romanæ. Primus hæc consilia Pontifici exponere ausus est *Bonifacius*, Præsul Moguntinus, *Pipino* devinctissimus, qui A. 751 Presbyterum *Lullum* Romam ablegavit, eique simul arcana quædam commisit, non nisi Pontifici aperienda. Quæ verba, sicut non falsis rationibus Illustriss. Autor suspicatur, pertinebant ad *Childericum* exauctorandum. Mox, cognita Pontificis voluntate, *Pipinus* alacrior factus, duos Romam Legatos mittit, *Bonifacii* amicissimos, qui negotium perfecerunt, ita, ut, re deliberata, Pontifex, omnino interesse ad salutem Ecclesiæ Romanæ, statueret, *Pipino* regnum deferri. Denique in Comitiis Suessionensibus exponit *Pipinus* Proceribus mutationis necessitatem, sua majorumque in regnum merita, Regumque socordiam. Et, ne cui religioni foret, fidem Regi præstitam deserere, decretum Papæ proponitur, & jurejurando omnes solvuntur. Ita Rex proclamatur *Pipinus*, qui, ut animos in fide contineret, persuasit omni populo, divinitus se, sicut *Davidem* olim, designatum Regem esse: qua mente unctionem etiam a *Bonifacio* accepit, novo & priscis Regibus Francorum inusitato exemplo. Post hæc regnum tenuit magna autoritate, tanto successu rerum in vita felix, felicissimus in morte, quod pater fuit *Caroli M.* Hinc Illustriss. Autor spatiosum campum ingressus, toto *Libro II* gesta *Caroli M.* copiose persequitur, qui summi Principis gloriam eo potissimum adeptus est, quod cupiditatem amplificandæ potentiæ nunquam a salute civium voluit esse sejunctam. Quamobrem per omne tempus imperii suas ita fere partitus est occupationes, ut æstate & autumno bella & itinera, hyeme ac vere pacis negotia curaret. Agnoscimus in eo Illustriss. Autoris industriam prorsus mirabilem, qui tot labores aliorum in vita *Caroli* scribenda superavit, & ita ubique versatus est, ut non repetita cum tædio lectoris scribere, sed nova omnia, videatur. Ex pluribus interim sufficiat hæc annotasse. Late ostenditur, *Carolum*, confirmando *Pipini* patris donationem, salvam sibi semper voluisse supremam potestatem. Quæ sane non con-

Pag. 620 seq.

462.

368 seq.

501 seq.

vellitur eo, quod Romanos patriis permiserit legibus vivere, non Francicis; quippe *Carolus*, qua erat moderatione imperii, subactis adeo gentibus hanc usuram liber-
Pag. 545. tatis relinquere consuevit. Idem inauguratione sua nihil aliud acquisivisse dicitur, quam quod princeps & solus tanquam caput inter omnes Reges Christianæ Reipublicæ emineret, & honore excellentiaque dignitatis ipsis adeo Byzantinis præstaret Imperatoribus. A. 787 primum cœpisse videtur origo
445. banni Ecclesiastici ob delictum seculare. Tum enim Pontifex, hortatu *Caroli*, *Thassilonem* & socios omnes excommunicationi subjecit eum in eventum, si in fide, quam Franconiæ Regibus juraverant, non mansissent. Itaque, cum Reges ipsi autores essent usurpandæ, etiam in caussis secularibus, excommunicationis, quia sibi tunc usum præstare videbatur; quid adeo mirum, Pontifices sequentium seculorum eam viam fidentius ingressos, bonaque usos interpretatione in suis controversiis, fulmen in Cæsares, *Caroli* successores, cum summa ignominia potestatis eorum, vibrasse, suoque ipsos (quemadmodum dicitur) gladio confecisse? Adhæc, cum in rebus medii ævi nihil prope obscurius sit, quam historia
572. Venetiarum, visum est Illustriss. Autori, quantum in his tenebris valeat acies oculorum, experiri. Venetias non solum sub imperio *Caroli*, sed multis retro temporibus, sui juris fuisse, ingenuaque semper gavisas libertate, quin adeo nunquam ferme alieno paruisse imperio, non pauci contendunt, sed sine præsidio argumentorum aut veritatis. At propiores vero sunt conjecturæ, civitatem Venetiarum, florentibus Græcorum in Italia rebus, imperium eorum agnovisse, sed remissius & majori libertate temperatum. Longobardi, sublata Exarchorum potestate, Venetias situ & mari tutas sibi subjecisse non videntur. Manserunt ergo Juris Græci, at sui fere arbitrii, etiam tunc, cum *Carolus* Longobardos oppressisset, nisi quod majestatem hujus victoris comiter sibi colendam existimarent magis, quam Longobardorum. Fœdere æterno inter *Carolum* & Orientis Cæsares inito, cum inter alia continens Dalmatia *Carolo*, insulæ autem & civitates ma-

ritimæ Græcis cederent Veneti ratione possessionum, in continenti Dalmatiæ sitarum, haud dubie quidem dominium *Caroli* accepere, ipsa vero civitas cum insulis suis libertatem pristinam & longævam tenuit & ampliavit, nixa nunc Græcorum, nunc Italicorum, Cæsarum opibus. Ex quo plurimi motus intestini, multa bella externa. Sicut autem Illustriss. Autor in Historia sua non fabulas incertamque famam sequitur, sed Autores locupletes ac pro ætate rerum selectos, qui diligentissime in margine notantur; ita æquo animo ferre nequit P. *Danielis*, clarissimi Scriptoris Gallici, consuetudinem. Qui, cum non nisi antiquis Autoribus, quos etiam allegavit, sua se debere profiteatur, nihilominus, si qua in honorem Ecclesiæ Romanæ aut Regum suorum, vel ad exornandam historiam, deesse videbantur, sæpe res magni momenti supplevit ex ingenio, & conjecturas suas veritati rerum gestarum tacite immiscuit. Sed quid aliud inde, quam ut historiam suam ipse perpetua suspicione oneraret, & Lector ad omnia ea, quæ ex incorruptis monumentis nondum exploravit, suspensus hæreat & incertus? *Librum* hujus *Voluminis tertium* efficiunt Tabulæ Genealogicæ Regum & Principum, ex Germanicis gentibus oriundorum, cum amplissimis probationibus & brevi historia rerum gestarum. Visum fuit, separatim tractare Genealogica, ne ex controversiis ac disquisitionibus, quæ hic necessario incidunt, molestia lectori crearetur. Habentur itaque Tabulæ, quæ ex parte ad *Tomum I* pertinent: I *Regum Ostro-Gothorum*; II *Visi-Gothorum*; III *Vandalicorum*; IV *Suevicorum*; V *Thuringicorum*; VI *Burgundionum*. In proximum autem *Tomum* reservantur Tabulæ Regum Francicorum & Longobardorum. Accedit in fine locupletissima consignatio Diplomatum & monumentorum, imperante *Carolo M.* vel ab ipso vel ab aliis confectorum, undique magno studio ex rarissimis sumtuosissimisque voluminibus conquisita, quam ita per omnes sequentes Imperatores Regesque continuatum iri, nulli dubitamus. Altius eam ordiri noluit Illustriss. Autor, quod illæ, ætatem *Caroli* excedentes, chartæ magis res Franciæ vel Italiæ attingant, eæ etiam, quæ in Monasteriis Germanicis repertæ, & nostras res illu-

Pag. 131 & 557 seq.

illustrare dicuntur, pleræque manifesti falsi a peritioribus damnata sint. Quamvis autem hic de veritate Diplomatum non disceptetur; non exiguæ tamen utilitatis erit hæc collatio, præcipue cum diligenter annotatum sit, ubi & quoties Diploma impressum habeatur. Superest, ut Lector, quæ hic breviter & velut in transitu dicta sunt, multo accuratius & plenius ipse cognoscat, fructusque capiat alienæ incomparabilis industriæ. Lubenter ac merito precantur omnes Illustriss. Autori vitam perennemque salutem, & ut inter summas occupationes tantum ei otii supersit, quantum satis est Operi absolvendo; in qua spe multum confirmamur, quod *tertium Tomum* Illustriss. Autor nos sperare jusserit, quo ut, quamprimum fieri poterit, beemur, omnes rerum patriarum amantes una nobiscum exoptant.

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES AB ANno Æræ Christianæ D ad MD. LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS, Sereniss. Ducis Mutinæ Bibliothecæ Præfectus, collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit.

Tomus XIX.

Mediolani, ex Typographia Societatis Palatinæ, 1731, fol. Alph. 6 plag. 21.

Quæ sæpius ad commendandum Opus hoc insigne & egregium a nobis dicta sunt, eadem ad *Tomum* ejus, quem præ manibus habemus, *undevicesimum* hoc magis pertinent, quo illustriora is nobilissimarum Italiæ Rerumpublicarum monumenta exhibet. Ingenio hoc *Muratoriano*, addimus, felicitati, non cuivis datæ, tribuas, quod Operis eruditissimi Tomus adhuc nullus prodiit, in quo vel optimorum Scriptorum delectum, vel industriam Editoris, desideres, & cui non suæ velut gemmulæ sint præ ceteris præcipuæ. Id quod mirum utique putare fas est eos, qui invidendas illas Italiæ divitias cum inopia Germaniæ nostræ comparant, cogni-

gnitumque habent laborem molestiasque incredibiles, quas devorare oportet viros bonos, occupatos in purgandis illis elimandisque veteris ævi reliquiis. Nos, prosecuturi institutum nostrum, quæ Tomo hoc XIX continentur, curabimus, ut in compendio hic legant, qui dulce ac jucundum putant, exterarum gentium rerumque ante se gestarum habere notitiam. Primum in hoc Tomo, cui splendida ad *Josephum Gonziacum*, Wastallæ Ducem, Dedicatio præmissa est, locum dedit Cel. Editor *Historiæ Fratris Andreæ Billii, patria Mediolanensis, Ordinis Eremitarum S. Augustini, in novem libros digestæ, ab A. 1402 usque ad 1431*; quæ primum nunc prodit ex MSto Codice Bibliothecæ Ambrosianæ, cum duobus Codicibus MStis, uno Novariensi, altero Ill. Comitis *Caroli Pertusati*, diligenter collata. Magna hujus *Billii*, Ordinis Eremitarum S. Augustini Monachi, non obscuro loco nati, circa A. 1420 in Mediolanensi urbe, & vitæ morumque integritate qua inter *Beatos* collocari meruit, & doctrinæ incomparabilis præstantia, nobilitatem fuisse, scriptores illius ævi ad unum omnes testantur, & supersunt scripta ejus haud pauca, unde facile appareat, fuisse & Philosophiæ rerumque divinarum cognitione pulcherrime instructum, & elegantioribus inprimis literis ornatissimum. Senis A. 1435, cum Vicarii provincialis spartam administraret, diem obiit supremum, ossaque ejus condita sunt ibidem in Templo S. *Augustini*. Incidit ante aliquod tempus Cel. *Muratorius* in binos Bibliothecæ Ambrosianæ Codices MStos, refertos libris *Billii* & bene multis, & iis præstantissimis, nec, qui publicentur olim, indignis. Exhibet horum alter 1) *Paniscolaria ad Alphonsum, Regem Aragonum, adversus Schisma Benedicti*, ubi addictum se *Martini V* Pontificis partibus, *Clementi*, Pseydo-Pontifici, qui Paniscolam sacri Imperii sedem elegerat, maxime adversum, præbet, *Alphonsum*, Aragoniæ Regem, ad deserendam *Clementis* causam vehementer solicitans; 2) *Libros duos ad Reginaldum, Remensem Archi-Episcopum, de concordia ac meritis Ordinum super generali indulto Alexandri Papæ*, plenos laudum Ordinis Eremitarum

Augu-

Augustini, cujus jura præ ceteris imminutum iverat civitatis Remensis Archi-Episcopus; 3) *de Disciplina Ordinis Admonitionem, habitam in Capitulo Bononiensi*; 4) *Admonitionem ad Fratrem Manfredum Vercellensem, Ordinis Fratrum Prædicatorum*, libris constantem duobus, & in castigando Fratris *Manfredi* instituto, qui, religionis causa in rem suam usus, credulum muliercularum vulgus secum in loca peregrina abduxerat, vehementem satis; 5) *de Institutis, discipulis ac doctrina Fratris Bernardini, Ordinis Minorum, Librum*, in quo *Bernardinum*, Senensem, virum intemeratæ vitæ laude celebratissimum, & eo nomine jam pridem inter cœlites relatum, partim ob mores incorruptos laudat, partim ob superstitiosam propagandi inter homines verbi divini rationem acriter perstringit, subministrante forsan hæc tela odio in Ordinem Minorum, quo tantum fuit abreptus, ut eorum, qui ad ipsum Pontificem Romanum sinistra quæque de *Bernardino* detulerant, remque eo perduxerant, ut ad purgandam causam suam Romam is fuerit evocatus, haud parum adjuvisse consilia credatur; 5) *Ad Barchinonenses de Litera H in nomine X H J Opusculum*, in quo similiter, ut in prioribus, inimicum se *Bernardino* ejusque discipulis præbet; 6) *de Concessione & translatione B. Monicæ, matris beatissimi Patris Augustini, Sermonem*, compositum quidem a *Billio*, sed, quod ex ejus lectione patet, recitatum a *Martino V*, Pontifice. Subjuncta huic apparet illa ipsa de translatione corporis S. Monicæ narratio, cui jam olim locus datus in *Actis Sanctorum Bollandianis ad diem 4 Maji*. Claudit hunc Codicem 7) *Ad Fratrem Ludovicum, de Ordinis nostri forma & propagatione*, Dissertatio, Ordinis Eremitarum dignitatem & jura singularia, nec non antiquitatem & incrementa, copiose commemorans. Codice altero continentur 1) *Querelæ Pacis Fratre Andrea Billio*; ubi multa legas de bellis illo tempore per Europam ferventibus, maxime vero de Bohemis, qui turbas excitaverant haud ita facile sedandas; 2) *Ad Alphonsum, Regem Aragonum, de Pace cum Philippo, Mediolanensium Duce, componenda*; 3) *In Exequiis*

Digitized by Google

quiis Joannis Galeaz, Vicecomitis, Ducis Mediolanensis, Laudatio funerea; 4) *Ad Jordanum Ursinum, Presbyterum Cardinalem, pro suscipienda in Bohemos expeditione, Opusculum*; 5) *In Castris Philippi, Ducis Mediolanensium, Oratio militaris*; denique 6) *de Laudibus Augustini Oratio.* Addunt his *Billii* scriptis *Vossius* & *Pamphilus de Detrimento fidei Orientis*, sive *de Origine Turcarum*, libellum; qua in re an illis temere habenda sit fides, nec Editori doctissimo, nec nobis, liquido satis apparet. Omnibus his doctissimi Italorum scriptis anteponenda suo merito videtur *Historia*, quæ hic primum publicatur, *Mediolanensis*, a qua cum sejungit *Vossius Historiam Longobardorum*, quam similiter scriptam perhibet a *Billio*, in eo, ut videtur Editori, multum fallitur. Sistit hic *Billius* historiam eorum, quæ ab A. 1402 ad 1431 in Mediolanensi Republica gesta sunt, hæcque non minori cum gravitate, quam eloquentia, persequitur; ut in eorum merito ponendus sit numero, quorum doctissimis laboribus ad posteritatem transmissam gaudet Italia rerum intra fines suos olim gestarum memoriam. Neque dubitandum, tale prorsus hic exhiberi Opus, quale compositum olim ab Autore suo; quandoquidem ita esse felici contigit Cel. *Muratorio*, ut Codices nancisceretur varios, unum ex Bibliotheca Ambrosiana, beneficio Cl. *Saxii*, alterum, ex hoc ipso transscriptum, quem possidet Marchio *Theodorus Alexander Trivultius*, Patricius Mediolanensis, literarum amantissimus, cujus cura præcipua hæc *Scriptorum Italiæ Collectio Muratoriana* in lucem exit Mediolani, tertium, eumque antiquissimum, ex Bibliotheca *Caroli* Comitis *Pertusati*, in supremo Hispaniarum Consessu Regentis, & Viennæ jam habentis sedem fortunarum, quartum denique, æque vetustum, ex Museo Canonicorum Novariensium, unde illud ipsum *Chronicon Mediolanense*, quod *Tomo XVI* hujus *Collectionis* legitur, exprompserat *Muratorius*. Singulos diligenter inter se conferendos dedit Cl. *Argelato*, Viro perquam industrio, speratque, ejus opera diligenti factum, ut, quod desiderari in hac Historia possit, jam nihil sit reliquum. *Billii* laborem excipit *Matthæi Palmerii, Florentini*, *de Captivitate Pisa-*

Digitized by Google

rum, sive de Bello contra Pisanos gesto a Florentinis A. 1406, Commentarius, argumenti magis dignitate, & sermonis elegantia, quam novitate, commendabilis. Non enim nunc primum in lucem, etsi primum forsan in conspectum Italorum, prodit, quippe jam A. 1656 Slesvici excusus prelo *Levini Nicolai*, tamque parum notus in Italia, ut nec ipse *Muratorius* ejus inspiciendi unquam nactus sit copiam. Neque adeo nullum ei de publicato hoc *Palmerii* Opusculo gratiam habebunt cives sui, inprimis cum petitum sit ex integerrimo Codice MSto *Antonii Francisci Marmii*, Florentini Equitis *S. Stephani*, & literatorum fautoris maximi. Ceterum, enarratas hic ab Autore res Florentinorum non nisi ab A. 1405 ad 1406, ipsum libri rubrum docet. Venisse enim his ipsis annis in ditionem Florentinorum Pisas, urbem nobilissimam, ex historiarum monumentis constat. An & hoc ipso tempore composita sit ab Autore historia, merito cum Editore dubitamus, propterea quod ætas *Palmerii* maturior, qualis ad scribendum esse solet idonea, ab anno 1406 paulo fuit remotior. Honoris causa sacrum esse id libri jussit civi Florentino nobilissimo, &, si doctrinam spectes, ipsum facile æquiparanti, *Nerio Capponio*, claro inprimis *Historiæ Florentinæ* libris aliquot compositissimis, a Cel. *Muratorio Tomo XVIII Collectionis* hujus evulgatis. Secuti sunt *Palmerium* scriptores, qui belli Pisani historiam exponerent, alii, in quibus haud postremum locum occupat *Bernardus Oricellarius*, scriptor Florentinus insignis & egregius. Qui num vicerint industriam *Palmerii*, intelligentis Lectoris fuerit, existimare. De vita & scriptis *Palmerii* reliquis, ita comparatis singulis, ut communem merito consecuta sint eruditorum plausum, nihil hic addimus, tum quod nota sint in vulgus, tum quod ample de his actum sit ab ipso *Muratorio* in Præfatione, quam olim præmisit *Vitæ Nic. Acciajoli*, scriptæ a *Palmerio*, & *Tomo XIII Collectionis* hujus publicatæ. Comparet loco tertio *Vita Caroli Zeni, Patricii Veneti clarissimi, ad Pium Secundum, Pontificem maximum, Autore Jacobo Zeno, ejus nepote, Feltrensi & Bellunensi Episcopo, ab A. circiter 1334 usque ad 1418*; quam, non solum quod esset Latino ser-

ſermone ſcripta ab Autore ſuo, quam quod eloquentiam & gravitatem præ ſe ferret ſingularem, dignam luce publica exiſtimavit *Muratorius*, etſi Italice converſa a *Franciſco Quirino*, Patricio Veneto, jam longe ante Venetiis prodierit A. 1545 & iterum A. 1606 in 8, titulo quidem, ſi nomen Autoris ſpectes, haud ſatis accurato: *La Vita di Carlo Zeno deſcritta dal Rever. Gio. Giacomo Feltreſe, e tradotta in volgare dal Clariſſimo Signor Franceſco Quirini.* Errore enim vix tolerabili nomen *Jacobi Zeni* in aliud *Jo. Jacobi* transmutavit, & geſtorum Feltrenſis ac Bellunenſis, nec non Patavienſis, Epiſcopatuum omiſit mentionem Editor. Eam poſtea A. 1591 in compendium redactam denuo Bergomi typis *Comini Venturæ* edidit, correctiore, ut videtur, uſus Codice, *Hieronymus Didiacus*, deditque libello rubrum: *Compendio della Vita di Carlo Zeno, Nobile Veneziano, eſtratta dall' Hiſtoria Latina di Giacomo Zeno, Veſcovo di Feltre e di Belluno, dedicada a Pio II, ſummo Ponteſice, l'Anno 1458, per Hieronimo Diviaco da Montona.* Italicam hanc Operis interpretationem cum Latina *Jacobi* narratione comparanti facile apparet, paſſim eas inter ſe diſcrepare, ut vel ſolo hoc nomine accepturi ſint hæc, quæ primus hic dedit *Muratorius*, grato animo eruditi. De Opere ipſo ita judicant rerum iſtarum æſtimatores recti, dignum eſſe, quod legatur ab omnibus, tum ob ſcribendi genus copioſum ac magnificum, (*Aſiaticum* appellat Editor, quippe quod in deſcribendis rebus vel leviſſimis nimiam eloquentiam profundat, neque adeo facile ſit imitandum,) tum maxime ob rerum momenta ſumma & graviſſima, conjuncta cum maxima utilitate legentium. Fuiſſe enim *Carolum Zenum* Seculo XIV inter illuſtriſſimos Italiæ Imperatores, atque adeo largiſſimam ſcribendi materiam ſuppeditaſſe, nemini, vel leviter in illorum temporum hiſtoria verſato, eſſe obſcurum poteſt. Eminuit potiſſimum virtus ejus A. 1379 in bello ad Foſſam Clodiam, ſive Clugienſi, contra Genuenſes ſuſcepto, a quorum armis tam feliciter defendit Rempublicam Venetam, ut ipſum eorum Præſidem, Bucicaldum, ſecum congreſſum, in fugam

verterit, patriamque civitatem non solum a præsentissimo periculo servasse integram, sed provexisse etiam ad maximum potentiæ fastigium, dicatur. Nec minori vero ei ducendum est laudi, quod inter armorum strepitus & in ipsis castris Musas complexus est tenerrime, &, qui liberales artes sectabantur, his amicum se facilemque præbuit. Ætatem attigit annorum quatuor & octoginta, & supremus vitæ annus ei, quod certis documentis probat *Muratorius*, fuit 1418. Hujus *Caroli* ex filio *Jacobo*, hujusque conjuge, *Elisabetha*, nepos fuit is ipse, qui ejus vitam composuit, *Jacobus*, post patris demum mortem natus, cui cum avus destinasset prænomen *Raynerii*, eo exstincto, cognati, memoriæ paternæ ergo, imposuere nomen *Jacobi*. Is, literarum studiis primum Patavii, postea Florentiæ, innutritus, ad eam successu temporis pervenit multiplicis doctrinæ famam, ut in scriptorum sui ævi nobilissimorum numero sit habitus. Nec defuere ei munera publica, ornamenta virtutis & industriæ egregia. Etenim in præmium laborum ei cessit A. 1447 Episcopatus Feltrensis & Bellunensis, tumque A. 1459 sive 1460 Patavinus, ad annum usque 1481, quo e vivis excessit, ab ipso administratus. Scriptam, præter alia, reliquit *Vitam Nicolai Albergati*, Cardinalis Sanctæ Crucis, quam e tenebris protraxit A. 1618 *Georgius Garnefeldt*, Cartusiensis, postea a *Bollandistis* illatam in *Tomum II Maji*. In his, quibus caret adhuc eruditus orbis, multæ sunt Orationes doctissimæ, quarum unam, ad Collegium Patavinum habitam, vidisse se in Bibliotheca Ambrosiana testatur *Muratorius*. Latet etiam in Bibliothecis Romanis *Jacobi* hujus *de Vitis Romanorum Pontificum a Sancto Petro usque ad Clementem V* Opus incomparabile, quo in rem suam usos se passim, haud dissimularunt Patres Soc. Jesu, in continuando Opere *Bollandiano* occupati. Falluntur oppido *Ughellus* & *Thomasinus*, qui scriptos a *Jacobo Libros X de rebus a se patratis* perhibent, quæ de *Carolo Zeno* is scripserat, inepte ad ipsum transferentes. Depromta est hæc Historia ex Codice Seminarii Patavini, cujus impetrandi copiam Cel. Editori fecit Eminentiss. S. R. E. Purpuratus,

ratus, *Jo. Franciſc. Barbadicus*, Epiſcopus Patavinus, cujus & virtutes ſummas, humanitatem maxime & in eruditos munificentiam, exquiſitis laudibus proſequitur, & mortem præmaturam, quæ contigit menſe Januario A. 1730, tenerrime luget in Præfatione *Muratorius*. Apparuit vero ſtatim ex inſpectione Codicis, multis in locis mutilatum valde & corruptum eſſe, nonnulla etiam ſub finem Hiſtoriæ deeſſe, quibus ſupplendis opus ſit viro docto & ſermonis tam Latini, quam Italici, unde hæc mutuanda, ſatis perito. Ejus itaque vel emendandi, vel perficiendi, operam in ſe ſuſcepit Patavii Vir humanus & eruditus, munerumque ſacrorum ſplendore conſpicuus, *Adamus Pivatus*, qui, in ſubſidium vocato ingenii felicioris acumine, nec non adhibita interpretatione Italica, errores per librum univerſum ſuſtulit innumeros, ſicque Codicem *Muratorio* tranſmiſit limatiſſimum. Is ad calcem hujus Hiſtoriæ adjecit *Leonardi Juſtiniani*, *Veneti Patricii*, *Orationem*, *in funere ejusdem Caroli Zeni recitatam*, a Monachis Benedictinis Congreg. S. Mauri, *Martenio* & *Durando*, jam olim vulgatam *Tomo III Collect. veterum Scriptorum p. 743.* Succedunt *Anonymi Senenſis Annales Senenſes ab A. 1385 ad 1422.* Habes hic, Lector, Autoris aut ſynchroni, aut ſcriptoribus utentis ſynchronis, Continuationem *Annalium Senenſium*, quos, ab *Andrea Dei*, *Angelo de Tura*, & *Nerio Donato*, contextos, jam olim *Tomo XV* hujus *Collectionis* publicaverat *Muratorius*, additurus his propediem ex chartis MStis hiſtoriam eorum, quæ inde ab A. 1422 uſque ad finem Seculi XV geſta ſunt in Republica Senenſi. Sunt hæc, quæ jam primum prodeunt foras, cum Editore liberaliter communicata a Cl. *Huberto Benvoglienti*, cive Senenſi clariſſimo, & antiquarum rerum peritia haud vulgariter inſtructo. Dialectum & Orthographiam Cel. *Muratorius*, ut harum rerum curioſis gratum faceret, retinuit eam prorſus, qualem in libris MStis invenerat, Senenſem nempe, a Florentina, ut conſtat, plurimum diverſam. Librum ipſum quod attinet, ſingularia is multa complectitur, unde clariſſimam hiſtoria Senenſis lucem accipiat, fabulas tamen interdum admiſcet, ad delecta-

tionem magis lectoris, quam usum, compositas. Subsequitur hunc *Jo. Antonii Campani, Episcopi Interamnensis, seu Aprutini, Historia Vitæ & gestorum Brachii, Perusini, ab A. 1368 usque ad 1424*; quam, etsi jam olim A. 1495 Romæ, & A. 1502 Venetiis, cum *Operibus Campani* junctim, posteaque A. 1545 Basileæ sigillatim, editam, ob argumentum tamen satis per se illustre, & gravitatem orationis exquisitam, hac *Scriptorum Italiæ Collectione* exulare noluit Editor doctissimus. Complectitur hæc laudes maximi Italorum Herois, *Brachii*, seu *Braccii de Montone*, quem alii de *Fortebracciis* dixere, civis Perusini, rebusque fortiter ac præclare gestis immortale inter cives suos nomen consecuti. Quæ cum descriptæ sint facundia incomparabili, & sermone tam gravi, tam terso, tamque eleganti, ut *Livianæ* ubique veneres appareant, nec quidquam pulchrum ac venustum sit penes Historicos veteres, cujus non hic per omnes paginas luculenta animadvertas vestigia; principem sine dubio, aut certe, si *Epistolas* forte præferas, principi proximum, huic Operi inter scripta *Campani* fas est locum tribuere. Et, si quem ex recentioribus scriptoribus commendatum maxime juventuti & propositum ad imitandum velimus, is certe *Campanus* est, instaurator literarum in Italia Sec. XV felicissimus. Ut adeo laudem utique mereatur institutum B. *Jo. Burch. Menckenii*, qui scripta *Campani* omnia ac singula, ut eorum usus pateret his, qui elegantiora studia sectantur, in unum corpus collecta, prelo iterum subjicere cœpit, horumque *Tomum primum*, continentem *Epistolas* & *Poemata*, tradidit in manus eruditorum A. 1707, alio tempore, id quod tum receperat publice, additurus his *Vitam Brachii*, cum reliquis viri docti Opusculis. Sed, eam curam cum, incertum, qua causa, postea ex animo dimiserit, neque nunc ab eo, humanis rebus erepto, tale quid nobis sit expectandum, suarum partium putavit filius *Menckenii, Fridericus Otto*, laborum nostrorum socius, satisfacere tandem desiderio eruditorum tam diuturno, &, quæ cœpta sunt a parente, post longum annorum intervallum perficere. Itaque eos, quibus, præter *Epistolas* & *Poemata*, nihil

nihil librorum *Campani* huc usque innotuit, expectare quam proxime jubet *Vitæ Brachianæ, Orationum*, reliquorumque Opusculorum Autoris hujus, editionem accuratam castigatamque, ea prorsus, qua *Epistolæ*, forma indutam, forte in nonnullis etiam magis accommodatam ad usum juventutis & cujuscunque generis lectorum. In *Historia Brachiana*, sunt, qui carpant nimium adulandi studium, descriptionesque rerum nimis magnificas; quo factum dicunt, ut & virtutes & gesta *Brachii* præconiis *Campani* facta sint, quam fuere re ipsa, longe illustriora, & vitia ejus, quorum non prorsus expertem fuisse, scriptores nos docent alii, perfidia nempe & crudelitas, alto involuta sint silentio. Eam in Italicum sermonem translatam olim Venetiis A. 1572 edidit *Pompejus Pellinus*, Perusinus, rarius jam obviam, etsi forte conspectu eruditorum non adeo indignam. De *Campano*, ejusque muneribus publicis, refert nonnulla in Præfatione *Muratorius*, sed ea jam dudum inter omnes cognita, & longe copiosius enarrata in *Vita Campani*, descripta a *Mich. Ferno*, & *Operibus Campani* præmissa, quam in compendium contractam meminimus ab Editore *Epistolarum Campani, Menckenio*. *Vitæ Brachii* opportunum comitem dedit *Muratorius de Vita rebusque gestis Sfortiæ, bellicosissimi Ducis, ac initiis filii ejus, Francisci Sfortiæ, Vice-Comitis, Mediolanensium Ducis, Commentarium, ab Anno circiter 1369 usque ad 1424.* Autore scriptum *Leodrisio Cribello*, Patricio Mediolanensi, & protractum ex MSto Codice Bibliothecæ Regis Christianissimi. Non est hæc Historia, etsi per se satis ampla & lectu digna, nisi fragmentum majoris Operis, quod *de Vita rebusque gestis Francisci Sfortiæ*, primi Mediolanensium Genuensiumque Ducis, Herois in toga & sago maximi, animo conceperat *Cribellus*, postea aut morte ejus interceptum, aut mutilatum dilaceratumque temporum injuria. Itaque, cum rubrum Codicis MSti, unde hæc sunt transsumta, inscriptum reperiret *de Vita rebusque gestis Francisci Sfortiæ, &c.* neque tamen in nigro, præter prima *Francisci* tirocinia, quæ eo posuit in prælio, quo *Brachius*, Perusinus, vitæ & gestorum finem habuit,

buit, quidquam de illustrissimi hujus Ducis rebus fortissime gestis, plura vero de hujus patre, *Sfortia*, legeret, strenuo itidem Imperatore, & *Brachianam* virtutem, si non superante, certe æquante quam proxime, haud inconsultum duxit *Muratorius*, rejecto veteri, novum libro, eumque convenientiorem, *de Rebus gestis Sfortiæ* titulum inscribere. Codicem Operis MStum cum latere Lutetiæ in Bibliotheca Regis Galliarum, huc quippe translatum ex urbe Ticinensi a *Ludovico XII*, (id quod testantur verba, calci Operis subjecta: *de Pavye au Roy Louis XII,)* certiorem fecisset *Muratorium* Vir doctissimus, *Dominicus Vandellius*, Lutetiæ tunc agens, nunc in Mutinensi Academia publicus Matheseos Professor; ille statim suis id a Gallorum liberalitate impetravit precibus, ut liceret ipsi convertere hunc Codicem in commune bonum, & monumentum tam illustre & egregium omni legendum dare posteritati. Fuit is *Leodrisius*, seu *Lodrisius*, in urbe Mediolanensi Patricius, ortusque genere & vetusto & nobili, unde prodiisse A. 1185 constat sedis Romanæ Pontificem, *Urbanum III.* Fide dignus hoc majori videtur, quo propius vixit ætati *Sfortiæ*, & eruditis, qui elegantiores amant literas, hoc gratior esse debet hujus Historiæ lectio, quo plus in ea est nitoris & elegantiæ, expressæ ad vetusti Latii ingenium. Fuit enim inter primos *Cribellus*, qui Seculo XV bonas literas reduxerunt in Italiam, & Romanam eloquentiam restituerunt in dignitatem pristinam, æmulorum, & in his maxime *Francisci Philelphi*, ut ex hujus *Epistolis* apparet, eo nomine invidiam & obtrectationes expertus. Præter *Cribelli* laborem exstat & alia *Vita Sfortiæ*, Bononiæ edita A. 1526, &, si vera nos docet titulus, primum Italice scripta a *Marco Attendulo*, postea in Latinum conversa a *Petro Matthæo Carranto*; quæ, cum nec novitate placere possit, nec multum differat ab Opere *Cribelliano*, quin huic ipsi sua maximam partem referat accepta, suo merito exulare hac Collectione jussa est ab Editore clarissimo. In *Cribello* id unum, quod in *Historia Brachiana Campani*, dignum esse videtur reprehensione, quod præconiis dedit nimium, a notandis *Sfortiæ* vitiis prorsus absti-

abſtinuit. Adhæc, genus ei fuiſſe ex nobili *Attendulorum* ſtirpe, fingit, cum ex aliis ſcriptoribus certo ſatis conſtet, domo ortum honeſta magis, quam nobili, fuiſſe. Subjecit Præfationi ſuæ, huic Commentario præmiſſæ, Editor Epiſtolam *Joſephi Antonii Saxii*, Collegii ac Bibliothecæ Ambroſianæ Præfecti, Mediolano ad ſe tranſmiſſam, doctam profecto, & de vita ſcriptisque *Cribelli* multa commemorantem ſingularia. Diſcas hinc, non ita de nomine, ſicut de nobilitate & ſplendore, parentum *Cribelli* conſtare, neque ſatis, quæ geſſerit in civitate Mediolanenſi munera publica, in comperto eſſe. *Ludovicos*, ſeu *Leodriſios*, *Cribellos* ſcriptis & doctrina claros, ætate illa fuiſſe complures; quæ cauſa ſit, cur non definite ſatis indicari poſſint Autores librorum, qui inſcriptum in fronte nomen *Leodriſii Cribelli* gerunt. Eſſe in his *Interpretationem Latinam Epiſtolæ S. Jo. Chryſoſtomi*, *de Expeditione Pii II*, *Pontificis*, *adverſus Turcas* librum, *in Decretalium primum & ſecundum Explanationes*, *Orphei Argonautica Latio donata*, *Elegiam in Electione Lazari Scarampæ*, *A. 1461 ad Inſulam Comenſem evecti*, & aliam *ad Jacobum Picolomineum*, *Cardinalem Papienſem*, porro *Orationem*, *in Arce Moguntiæ A. 1450 habitam ad Franciſcum Sfortiam*, *Seriem Triumphi Illuſtriſſimi Franciſci Sfortiæ*, *Vice-Comitis*, *Mediolani Ducis*, denique *in ejusdem Franciſci Sfortiæ laudem Orationem panegyricam*. Horum, non dubium eſſe, quin unum & alterum Autorem habeat *Leodriſium* eum, qui *Philelpho* uſus eſt Græcarum Latinarumque literarum magiſtro, & cum hoc ſimultates aluit acerrimas, ſed ab iis ipſis eximendum videri *de rebus geſtis Sfortiæ* Commentarium, ſcriptum, quod certiſſima conjectura aſſequi liceat, ab alio quodam *Leodriſio*, in aula *Franciſci Sfortiæ*, Ducis, ſplendidiſſimis muneribus fungente, & A. 1463 ex hac vita egreſſo. Majori forte jure illi alteri *Leodriſio de Expeditione Pii II adverſus Turcas* librum tribui, proptera, quod hæc expeditio a *Pio II* ſuſcepta ſit anno demum 1464, quo, ut diximus modo, non amplius in vivis fuit *Leodriſius* ſenior, *Franciſci Sfortiæ* amicus. Docet nos in eadem Epiſtola Cl. *Saxius*, prelo pa-

ratam habere *Jo. Casp. Berettam*, Monachum Casinensem, & Metaphysicæ in Gymnasio Ticinensi Doctorem publicum, *Historiam literariam Mediolanensis Senatus*, diligenter admodum conscriptam, rerumque plenam optimarum, quam ne frustra vel a civibus suis, vel a nobis ipsis, hujuscemodi librorum cupidissimis, patiatur expectari, Autorem doctissimum multum vehementerque rogamus. Ordo nos ducit ad *Andreæ de Redusiis de Quero Chronicon Tarvisinum ab A. 1368 usque ad 1428*, desumtum ex MSto Codice Collaltino. Hujus Chronici jam olim in suo *de Historicis Latinis* Opere mentionem fecerat *Vossius*, idque in membranis apud Comites Collaltinos asservari, nos docuerat. Translatum hinc postea, incertum, qua via, in Germaniam, diu hic delituit, donec haud ita pridem ad priscos dominos suos rediit opera Illustrissimi Viri, *Antonii Rambaldi*, Collalti Comitis, Patricii Veneti, & Augustissimo Imperatori a Consiliis sanctioribus. Ejus in literas amore factum est, ut suis jam tenebris exierit Opus pulchrum & egregium, resque adeo *Tarvisinæ*, parum huc usque cognitæ, in luce collocatæ sint clarissima. De Autore libri plurimum ex ipso Chronico intelligas. Avum suum hic ipse *Gabrielem de Solagna*, quem *Rambaldus*, Comes Collalti, *fraternaliter tractaverit*, patrem *Thaddæum*, patruum *Galacium*, vocat, quorum utrumque dicit *apud Comitem Rambaldum de Collalto, cui affinitate conjungebantur propter matrem illorum, quæ fuerat filia Comitis Manfredi, patrui dicti Comitis Rambaldi, se & sua locasse atque reduxisse.* Reliquas & patris & cognatorum res bellicas fuse descriptas hic passim legas. Frater ei *Jacobus* fuit, Jurisperitus, & Capitaneus Dorsi majoris Vallis Lugani. Ipse A. 1380 Patavinum Gymnasium accessit, hicque *per annos septem* in *Grammaticæ Autores*, *Rhetoricam* atque *Notariam*, incubuit. Tum A. 1390 obsidioni expugnationique Patavinæ urbis, a *Francisco Carrariensi* Juniore susceptæ, præsens interfuit, postea vero A. 1405 contra eundem Carrariensem causam cum Venetis & Tarvisinis communem fecit, &, recuperato Bassano, a *Francisco Bembo* donatus est digni-

dignitate Castellani in minori Castro Leonis, carus inprimis *Jacobo*, Comiti Marchiæ, *Joannæ*, Reginæ Neapolitanæ, marito. Successu temporis, cum grave inter *Sigismundum* Imperatorem, & Hungariæ Regem, atque Venetos, bellum exortum esset, Noster *cum mille hominibus Tarvisinis* Venetorum castra secutus est, & plane singularia tum ejus in Senatum Venetum fuere merita. Adhæc Cancellarius fuit Communis *Tarvisii*, non minus ad pacis, quam bellica, negotia idoneus. Hæc atque his plura de se ipse refert *Redusius*. Addunt his alii, ob fidem contra Hungaros præstitam Venetis, a *Laurentio Celso*, Prætore Tarvisii, inter Nobiles Tarvisinos relatum, porro filium ei *Joannem*, & ex hoc nepotem *Franciscum*, Jurisperitum, atque pronepotem fuisse *Joannem*, Equitem. Quod ad *Chronicon* ejus *Tarvisinum*, jam primum publicatum, in animo fuit Autori, pleniorem hic non rerum tantum Tarvisinarum, sed omnium fere populorum, a primordiis mundi ad annum usque 1418, historiam condere. Quæ, in schedas a *Redusio* conjecta, cum propius inspicere contigisset Cel. *Muratorio*, statim is per maximam libri partem turpissimi plagii subodoratus est vestigia. Tumque, diligentius exploratis singulis, aperta Autoris furta detexit, in *Ricobaldi Ferrariensis Pomario*, cui jam pridem in *Tomo IX* hujus *Collectionis* locum dederat, nec non in *Guilielmi & Albrigeti Cortusiorum de Novitatibus Paduæ* Commentario, quem similiter in *Tomum XII Collectionis* hujus intulit, intolerabili audacia commissa. Atque, hæc virorum optimorum scripta cum ita hic essent expilata, ut præter pauca de rebus Tarvisinis, aut si quid addi interdum, ne plagium in oculos legentium incurreret, ipse Autor e re putaret sua esse, nihil prorsus illis accesserit novi; non putavit Editor, quæ jam alio in loco dederat, hic temere recoquenda, quin satius duxit, resectis illis, ea saltem, quæ unius essent *Redusii*, historiam nempe eorum, quæ inde ab A. 1368 gesta sunt, proferre in conspectum eruditi orbis. Sunt tamen & in his ipsis, quæ indignissimi hujus inter eruditos criminis maculam effugere non possint; quo pertinent, quæ de *Hieronymi Pragensis*,

incorrupti veritatis testis, (*Hæreticum* non potuit non vocare *Muratorius*,) extremis vitæ gestis & ultimo supplicio commemorata hic leguntur, utpote ad verbum transscripta ex *Franc. Poggii ad Leonardum Aretinum Epistola*, diu inter eruditos vulgatissima. Ducimur jam, ita ferente hujus *Tomi* ordine, ad *Fratris Hieronymi Forolivienfis, Ordinis Prædicatorum, Chronicon Foroliviense, ab A. 1397 ad 1423.* Præmittitur breve hoc Chronicon Operi majori *Anonymi Forolivienfis*, brevi evulgando, exhibituro nobis Annales Forolivienses ab A. 1275 usque ad 1483, & cum Cel. Editore communicato a Comite *Brandolino de Brandolinis*, Foroliviensi Patricio, & multiplicis virtutis laude florentissimo, cujus erga se humanitati præsens etiam Opusculum deberi, grato animo fatetur *Muratorius*. Historiam hic annorum non nisi sex & triginta habes, rerum scilicet ab A. 1397 ad 1433 gestarum in Foroliviensi Republica. Non adeo obscurum inter eruditos nomen Autoris est, &, qui de eo fecere mentionem, Viri docti, Oratoris clarissimi, diligentis Historici, atque optimi Theologi, ei laudem tribuerunt. Præter Chronicon hoc relicti ab eo memorantur *Codex unus Sermonum de tempore per totum annum, Liber Sermonum de Sanctis, Volumen diversarum Orationum, Volumen* aliud *Opusculorum, & Fragmenta varia Historiarum*, asservata ad hunc usque diem in Conventu Foroliviensi. Anno maxime 1479 quin & 1484 floruisse eum, scriptores ad unum omnes perhibent; sed, antiquiorem longe fuisse ejus ætatem, ex eo probat *Muratorius*, quod ipse in hoc Chronico, anno jam 1400 missam a se celebratam, quin etiam, quæ A. 1358 acciderint, accidisse se vivente, referat. At, ultimum vitæ annum fuisse ei 1434, inde verosimile videtur *Muratorio*, quod in A. 1433 subsistit narrationum series, quam, ita comparatam, ut, prout quæque contigerint, statim calamo excepta videantur, non putandus sit ante vitæ finem abrupisse. Subjunxit huic *Chronico* Cel. Editor *Leonardi Aretini rerum suo tempore gestarum Commentarium, ab A. 1378 usque ad 1440.* Immortale *Aretini* nomen, & in elegantiores literas merita prorsus summa, nec non scriptorum ejus omnium

mira

Digitized by Google

mira ſuavitas melleumque flumen, ad lectionem hujus Operis neminem non invitabunt, &, quamvis jam pridem lucem viderit diverſis temporibus, tamen, cum & ad illuſtrandam Italiæ Hiſtoriam plurimum faciat, & ope Codicis MSti, cujus uſuram Editori liberaliter conceſſit *Joannes Horatius Albrizius*, Patricius Bergomas, multis modis jam prodeat emendatum, non eſt, cur ab hoc loco fuiſſe arbitremur removendum. Plura de libro eleganti, & laudatores, quicunque legerint, habituro certiſſime, non monemus. Quæ enim ſive de vita *Aretini*, ſive de libris ejus, iisque maximam partem luce nondum donatis publica, in Præfatione ediſſeruit *Muratorius*, ea, cum & pervulgata ſint dudum, & aliunde cognoſci plenius accuratiusque poſſint, hic bona cum pace Lectorum prætermittimus. Jam ſequitur *Autoris Anonymi Hiſtoria Florentina ab A. 1406 ad 1438*, nunc primum publicata ex MSto Codice Bibliothecæ Eſtenſis. Ne poſt tot rerum ſuarum Hiſtorias ampliſſimas, ſermone ſcriptas vernaculo, & in *Collectionem* hanc paſſim illatas, unum hoc fruſtra deſideraret Respublica Florentina *Autoris Anonymi Commentariolum*, non indiligenter, ſi res ipſas ſpectes, compoſitum, opportuno ſatis conſilio de eo hic evulgando cogitavit Editor perinduſtrius. Nihil in eo Autor, niſi res ſuo tempore geſtas, & quibus ipſe adfuit ſpectator, refert. Patet tamen ex lectione ejus, magis de ritibus Curiæ Romanæ, quam de ceteris hiſtoriæ illorum temporum momentis, fuiſſe ſolicitum. Sed forte non hæc integra eſt Autoris hiſtoria, ſed ea ſaltem in compendium redacta; cujus rei indicia ipſum præbere, unde hæc ſunt depromta, Codicem Eſtenſem, docet nos Cel. Editor. Eidem Codici tribuenda ſunt, ſi qua in editionem hanc irrepſerint, ſcripturæ & literarum vitia. Autoris etſi in obſcuro ſit nomen, non obſcuram tamen fuiſſe dignitatem, vel ex eo colligas, quod ipſe in hoc Chronico, frequentatum a ſe A. 1438 Concilium generale Florentinum, non diſſimulet. Coronidem huic Tomo imponit *Jannotii Manetti Chronicon Piſtorienſe, a condita urbe uſque ad A. 1446*; quod, ſi cum *Annalibus Piſtorienſibus*, Tomo *XI Collectionis Muratorianæ* inſertis, jungatur, compoſitiſſi-

mam & ab origine urbis ad ultima uſque tempora deductam rerum Piſtorienſium Hiſtoriam exhibet. Sermone Autor brevi & conciſo utitur, rerumque magis, quam verborum, copiam ſectatur, nihil facile prætermittens earum rerum, unde aliquis in civitatem Piſtorienſem redundare honor poſſit. Carpunt in eo cives ejus, quod partium quodam ſtudio abreptus, eas tantum civitatis Piſtorienſis domos proſecutus ſit laudibus ſuis, quarum inteſtinis diſcordiis in ſummum discrimen adducta ſit Reſpublica, omiſſa ceterarum, unde civitati ſua ſalus dignitasque conſtitit, mentione omni. Et ipſe *Muratorius Ughorum*, *Gualfreducciorum*, *Ammanatorum*, *Vicecomitum*, *Catanſantorum*, *Celleſiorum*, & *Fortiguerrarum*, meminit, Optimatum olim inter Piſtorienſes nobiliſſimorum, & adhuc ex parte florentium, de quibus parum conſtare lectoribus ex Hiſtoria *Manetti* poteſt. Ad eam ſcribendam animum appulit A. 1446, quo ipſi a Senatu Florentino Urbis Piſtorienſis Prætura ſemeſtris fuerat collata, univerſo labore intra anni ſpatium perfunctus. Codicem ejus MStum Editor impetravit ab Amico, *Anton. Franc. Marmio*, Florentino, Equite S. Stephani, vetuſtum quidem, ſed ita ſimul ſcriptum eleganter, ut expers omnis moleſtiæ, quem in edendo eo conſumſit, labor fuerit. Ceterum, quod ad *Jannotium* attinet, magnæ is tam inter cives ſuos, quam inter eruditos, exiſtimationis vir fuit, plauſumque meruere omnium, quæcunque ingenio expromſit felici atque admirabili. Horum pleraque Bibliothecarum clauſtris ſunt abſcondita, & eorum, qui Muſis his favent, manum beneficam expectant. Non ultimum in his locum meretur ſcripta ab eo *Vita Nicolai*, Pontificis Maximi, quam *Muratorius* daturum ſe proxime pollicetur. De vita ejus, non eſt, quod hic ediſſeramus multum, utpote quam ſingularibus libellis complexi ſunt *Alamannus Rinuccinus*, *Vincent. Acciajolus*, *Anonymus* quidam, &, qui præ ceteris diligenter in ea deſcribenda verſatus eſt, *Naldus Naldius*, cujus libellum in MStis ſervat *Jo. Manettus*, Senator Florentinus, olim forſan, quod ſperamus, vinculis his egreſſurum.

HISTO-

HISTOIRE ANCIENNE DES EGYPTIENS &c.
h. e.
HISTORIA ANTIQUA ÆGYPTIORUM, Carthaginiensium, Assyriorum, Babyloniorum, Medorum, Persarum, Macedonum, & Græcorum. Autore *ROLLINO, Rectore Academiæ Parisiensis, Eloquentiæ in Collegio Regio Professore, & Academiæ Inscriptionum & bonarum literarum Regiæ Sodale.*

Tomus IV.

Amstelodami, sumtibus Societatis, 1733, 12.
Plag. 21, Tab. æn. 1.

Tribus prioribus Tomis, summo cum applausu exceptis, hunc elegantissimus Autor noster porro adjecit, ac eadem methodo usus, per digressiones morales ac politicas, utiliorem, ut in Præfatione monet, reddere studuit. Ac primo quidem Atheniensium cum Spartanis bella, diversasque Imperatorum ab iis electorum, ut *Alcibiadis*, *Callicratidæ*, *Lysandri*, expeditiones, ac mores, fata triginta tyrannorum, oppressionem per *Thrasybulum*, commemorat, dein varios belli, quod *Cyrus*, Græcorum ope suffultus, contra *Artaxerxem* fratrem suum gesserat, prælii ad Cunaxam, eventus, *Cyri*, qui in eo occidit, virtutes regias, Lacedæmoniorum, ab Ionibus in auxilium contra *Artaxerxem* vocatorum, duce *Agesilao*, cujus indolem ac genium ample describit, victorias, *Artaxerxis* bellum cum Evagora, Rege Salamini, & Cadusiis, ejusque elogium, ac singularem *Teribati*, conspirationis in *Artaxerxem* falso ab Oronte accusati, & Datami *Carii*, fortissimi belli ducis, similem historiam enarrat. His fusam vitæ *Socratis* recensionem addidit *p. 283 seq.* ubi de spiritu, ut ajunt, ejus familiari, de vera ejus & insigni sapientia, de Sophistarum Atheniensium odio in se excitato, & de injusta ejus condemnatione ad mortem, judicat. Tandem libro decimo toto Spartanorum & Atheniensium Rempublicam, eorumque regiminis formam, leges Cretensium, a *Minoe* sancitas, Spartanis similes,

Pag. 16, 35, 61. 110 seq. 135. 182. 265, 268.

miles, Magistratum in pace & bello, differentes Subditos, Judices, ut Areopagum & Amphictyones, bella & terra & mari gerendi modum, generalem & specialem Atheniensium ac Lacedæmoniorum characterem, delineat. In fine Operis hujus errores quosdam historicos a se admissos, & ab aliis observatos, indicat, quorum & in Præfatione meminit, simulque peculiarem eorum collectionem ex singulis Tomis jam a se editam esse, ac a Bibliopola distribuendam cum *quarto* hoc *Volumine*, annotat.

HERMANNI NOORDKERK DE MATRIMOniis ob turpe facinus, quod peccatum Sodomiticum vocant, jure solvendis Dissertatio.

Amstelodami, apud Janssonio-Waesbergios, 1733, 8. Plag. 9.

Laudabile est & fructuosum, quod cepit Cl. Autor, singularia usus forensis ad certas regulas revocandi consilium, cui hoc nos Opusculum acceptum ferimus. Occasionem dedit celebris illustrium Hollandiæ Ordinum Constitutio, paucis abhinc annis in prodigiosæ veneris reos lata. Quæ cum diserte non definiverit, an, alterutro conjuge inordinatæ veneris convicto, alteri insonti ad novas nuptias progredi liceat, Noster id sibi plenius excutiendum sumsit. Cap. I. Initio, dum in Leges, quæ rem conficiant, inquirit, laudat majorum suorum verecundiam, quæ effecerit, ut hoc fœdissimum omnium & detestandum flagitium ne fando quidem auditum & cognitum, nedum lata lege coercitum, fuerit. *Caroli V* quidem Sanctionem ultricibus flammis hoc scelus persequi, sed nec eam ad Belgium pertinere, & diu, antequam de hac Sanctione cogitaverint Imperatores, vivicomburium hujus, si quando unquam perpetratum fuerit, flagitii supplicium fuisse, contendit, proxima vero ante latam novissimam legem tempestate sceleris convictos, clam suffocatos, marique immersos fuisse, perhibet. Ro-

Digitized by Google

Romani ante Punicas dimicationes singulari lege cohibuisse crimen non leguntur. Post has lata est Scatinia, sive Scautiniam malis, eaque decem millium mulcta delinquentibus imposita est. Post Scatiniam Julia maculosum edomuit nefas, & pro exigua illius mulcta graviorem irrogavit, sed quam Imperatorum, quæ secutæ sunt, Constitutiones in capitis supplicium immutaverunt. Inde in arcem causæ delatus, an, commisso hoc flagitio, matrimonii vinculo alter conjux solvatur, conjugumque alteri divertendi potestas fiat, dispicit, idque affirmandum esse censet. Vis omnis argumentorum eo redit, primum matrimonii finem esse, eumque unum, ut conjuges sibi invicem suorum corporum usum præstent, eumque sibi solis conservent. Quod si quis minus faciat, eum matrimonii fidem frangere. Hanc vero unicam & solam esse dissolvendarum nuptiarum causam a Servatore generis nostri propositam, quo & adulterium, quod stricto sensu dicimus, & facta malo animo desertio, & ipsa corporis sui contra naturam communicatio, recte referri dicitur, & hæc ultima *πορνείας* species, si rem putes, ipso adulterii nomine commode & recte comprehenditur. Alia est quæstio, quæ deinde pertractatur, utrum conjux, quæ conjugem ante contractas nuptias hoc se scelere polluisse comperit, justam inde rumpendi causam nanciscatur, nec ne? Noster, & hoc loco ajentem sententiam amplexus, has nuptias ab initio, deficiente puta consensu, qui omnino, si cognitum hoc conjugi facinus fuisset, præsumi non potuisset, nullas & irritas pronuntiat. Quod licet ita sit, facile tamen intelligitur, neque eam, quæ commissa a marito ante nuptiarum copulam scelera scivit, nubendoque probavit, mulierem, neque eam, quæ stante matrimonio resciverit, nec amori conjugali renuntiaverit, huc recte referri. Cum vero ex ultimo Sanctionis, quam laudavimus, Belgicæ capite illi, qui proposito ter publice Edicto vocati non comparuerunt, confessi, aut certe convicti, haberi debeant; disquirendum erit, an & relictæ conjugi fas sit ad aliud matrimonium transgredi. Cl. *Noordkerkius*, quamquam ipse causæ mulieris, quæ id petierit, affuerit, &,

Cap. II.

III.

IV.

 quod

quod suum erat, strenue egerit, nunc tamen, quod ait *p. 103*, meliora edoctus, veritati cedit, atque ob solam ejus, qui de hoc crimine suspectus est, contumaciam, ex Sanctionis utique verbis, conjugium solvi non debere, probat, nihilo tamen minus Principi integrum relinquit, etiam ob solam ter evocati absentiam suis divortii copiam facere. Neque enim est hoc divortiorum causas multiplicare, sed probationibus modum praescribere. Et, quamvis forte, qui abest, ubi redierit, innocuum se esse, invictis argumentis demonstrare possit, sibi tamen soli, quod imputet, habebit, si constitutum tempus praeterlabi passus est. Ceterum, si & hoc commemorari interest, Cl. *Jo. Wyboni*, qui quaedam acerbe dicta, quae erant communia omnibus, ad se rapuit, Noster in Praefatione vehementer indignatur.

Cap. V.

BARTHOLOMAEI LAVAGNOLI, IN PATAVINO Gymnasio Medic. Theor. Prof. Ordin. de Usu pravo & recto Disciplinarum optimarum in Medicina. Opus in tres Partes divisum. De Usu Chymiae Pars I.

Patavii, typis Jo. Bapt. Conzatti, 1732, 4.
Alph. 1 pl. 13.

Postquam Cl. *Lavagnoli*, Medicinae Practicae in Gymnasio Patavino docendae antea per decennium praefectus, ad tradendam Medicinam theoricam patrum autoritate se accinxit, limites ejus, nimium quantum praepostero quorundam studio ampliatos, & disciplinas fere omnes ad unam hanc augendam advocari, cernens, modum luxuriantibus hisce ingeniis statuendum esse, jure censuit. Neque minus vero illorum, qui omnes has a Medicinae studio severe nimis exulare jubent, conatibus resistendum est duxit. Praeclaro itaque consilio, ut utrisque obviam iret, Opere tripartito, de pravo & recto usu optimarum disciplinarum in Medicina, laborum auspicia facere decrevit, nihil invidiam, ab utraque parte expectan-

pectandam, veritus; neque quidquam in eximias dicturus scientias, immodicos saltem earum præcones, ut rectius de eisdem sentire discant, admonebit. *Primam Partem*, quæ nunc commemoranda erit, Chymiæ destinavit; *altera* se de usu Philosophiæ, Naturalis Historiæ, Mathematicæ, & Astronomiæ; *tertia* denique de usu Anatomes, Botanices, & Theoreticæ Medicinæ, ad praxin, acturum, pollicetur. *Primum* inter eos, qui secus, ac par est, de Chymia sentiunt, locum tribuit vaniloquis illis, qui fingunt ejus originem, & fines prolatant, si fieri posset in immensum. Sunt enim, qui ad Adamum, qui ad Noemum, qui ad Tubalchain, (quibus certe fabri in suorum sapientum numerum erunt cooptandi,) artis primordia referunt; inprimis vero suo se Hermete jactant, cui inventionem, progressus, artisque perfectionem tribuunt plurimi. At vero neque, quis fuerit, neque, quæ scripserit & docuerit, neque, quid in arte præstiterit, scire illos, aut ulla ratione scire posse, evincit Autor. Desunt enim Autorum, qui sublestæ fidei non sint, testimonia, & ex iis etiam, quæ adducuntur, nihil de jactata illa artis præstantia elici potest; libros vero, ejus nomine vulgatos, nequaquam antiquissimo illi Trismegisto, quem tantis extollunt laudibus, tribuendos, utpote cujus temporibus literarum usus ignorabatur, cunctaque hieroglyphicis in columnas incisa figuris, posteris linquebantur; illos vero, de arte sacra, de lapidis Philosophici secretis, de Chymico magisterio, similesque ejus nomine insignitos, esse supposititios, dudum ab *Isaaco Casaubono*, pluribusque viris *κριτικωτάτοις*, declaratum docet. Tabula vero ejusdem, quam dicunt, smaragdina, in qua magnum & arcanum Opus, quo complentur omnes labores sectatorum sapientiæ fidelium, ita comparata est, ut, etiamsi genuinum esse monumentum largiamur, ex verbis ejus obscurissimis, & nihil certi significantibus, quilibet, quodcunque libuerit, interpretando possit elicere; unde alii, animam mundi hac indicari, æque felici, ac Chymici, conjectura asseverant. Labefactata sic fabularum de Hermete fide, ad duodecimum usque seculum nihil certi de Chymiæ scriptoribus prostat: post illa tem-

Digitized by Google

tempora, *Arnoldo Villanovano* & *Raymundo Lullio* præeuntibus, novum ſapientiæ genus a vaferrimis monachis effictum docet, Theoſophicum dictum, libroſque multos ineptos, ad fucum faciendum, claris nominibus inſcriptos, publico obtruſos. Quos homines, graviſſimorum virorum autoritate ſuffragante, ſuis inflatos opinionibus, oſtentatores, miraculorum (ſi diis placet) patratores, ceterarum diſciplinarum, quas nihili faciunt præ Chymia, contemtores, uno verbo fanaticos, ſuo merito appellat. Neque minus enim fallere pariter, ac falli, cenſet, qui ſacræ hujus artis præcepta ſeu fabulis, ſeu verborum involucris, eſſe tegenda perhibent; unde nec in ſacri Codicis libros temerario auſu involare, atque ex Libris *Moſis*, *Salomonis*, *Hiobi* hiſtoria, artem ſibi adamatam eruere, divinas veritates profana polluere interpretatione, verentur, quorum uti impietatem merito execratur, & ad fidem fraudulentis conſiliis ſuis conciliandam ſacrorum Scriptorum autoritatem præ ſe ferre perſpicue declarat, ita æque parum illos præſidii in Poetarum fabulis, ad quas ſubinde confugiunt, invenire oſtendit. Etſi enim alium ſub fabularum involucris latere ſenſum, nunc hiſtoricum, nunc moralem, negandum non ſit, illos tamen, qui chymicæ artis myſteria aureo v. g. vellere ab *Jaſone* rapto delineari autumant, nimiam verbis vim inferre patet. Quæſo vero, cur tantopere de occultanda arte ſoliciti fuere, & nunc etiamnum ſunt pleriquè hujus ſapientiæ præcones, quin potius, ſi aliquid in commune profuturum norunt, nudam nobis veritatem ſpectandam exhibent, aut, ſi noxiam eſſe intelligunt, eandem inveſtigare atque extollere deſinunt. Id vero eſt, quod potiſſimum reprehendit Cl. Autor, pleroſque illorum dubium & controverſum ſibi propoſuiſſe finem. Cum enim in metallis verſandis occupati, impuras partes in corporibus latentes ſeparari, impedita liberari, cernerent, demum, ignobilia metalla in ſolarem evehi poſſe ſubſtantiam, ſpem conceperunt: cumve totam veluti naturam igni ſubjicerent, & egregia multa producerent, hiſce ſpretis, non niſi magnifica quævis, medicinam ſummam, elixir polychreſtum, Philoſophicum lapidem, affectare cœperunt,

runt, pluribusque, quam præstare poterant, promissis, genuinum artis finem omiserunt. His igitur suo sensui, a quo nulla se arte avocari patiuntur, relictis, genuinum potius sobriæ Chymiæ in Medicina usum excutiendum sibi proponit. Illa demum Seculo decimo sexto, duce *Basilio Valentino* rectius excoli, & ad Medicinam applicari cœpta est, quam Noster ita definit, quod sit Ars ita resolvendi & componendi corpora, seu per ignem præcipue, seu per alia idonea instrumenta, ut detegantur eorum principia, & vires, parenturque ex iis remedia, quæ saluti hominum prosunt. Hanc, si plura, quam præstari ab ea possint, non desiderentur, egregium in detegendis principiis, partibus, effectibus corporum, usum præstare, per singulas eundo Medicinæ partes, ostendit. In Physiologicis cum solidæ & liquidæ partes corporis nostri examinandæ veniant, illarum quidem structura & motus ex anatome & mechanicis petenda, harum vero temperiem ex Chymicorum principiis arte eliciendis optime demonstrari posse, putat. Etsi enim magna sit de rerum principiis opinionum diversitas, (quam ex ingeniorum varietate, & consuetudine de rebus & ideis sibi maxime familiaribus cogitandi oriri, eleganter ostendit,) atque Chymicorum inprimis principia eo nomine suspecta habeantur, quod analysis per ignem interdum alia ex corporibus producta sistat, quam in eisdem antea fuerant contenta, neque prima sint, quæ hujus ministerio eliciantur, elementa, certe tamen, quo magis ab inani recedunt speculatione, atque sensibilia evadunt, eo magis ad explicandam naturam corporum, & præsertim humorum, per vasa fluentium, inservient. Quo nomine eximium etiam ab iis in Pathologia usum spondet, ubi tantum Chymiæ tribuit, ut, tandem & Galenicos & Mechanicos, si explicare sua clarius dogmata, & ad ea, quæ sensu percipiantur, descendere, neque in abstractarum qualitatum tricis hærere velint, vel nolentes in Chymicorum castra transire & per salina eorum, sulphurea, & similia principia abstractas suas notiones illustrare debere, contendat. In doctrina signorum, Medicis adeo scitu necessaria, non minorem lucem affundere Chymiam defendit, dum,

 exami-

examinatis inprimis ſanguine & urina, eorum craſin, a naturali ſtatu plus minusve recedentem, indagat, indeque humorum, in corpore circulantium, indolem conjicit. Sic urina craſſa, viſcida, ſanguinem ſimilibus partibus, ob acidum coagulans, impeditum indicat; turbida & confuſa, particulas terreſtres, craſſitiem lymphæ, vitiatam chyli digeſtionem, ſales volatiles obrutos & depreſſos, monet; tenuis & aquoſa, partes torpidas hærentes in viis, fluidiores ſolas dimittere docet, ex colore vario, ſales varii generis cum partibus olei, terræ, aquæ, multiplici ratione permiſtos eſſe, intelligitur. In Therapevtice vero, ejusque ea inprimis parte, quæ remedia morbo levando idonea proponit, quantum Chymiæ tribuendum ſit, quemvis agniturum, qui hujus potiſſimum ope, partes & principia remediorum explicari, pura & impura diſcerni, atque ex mineralibus præſtantiſſima elici pharmaca, perpenderit, & cum Galenicorum diffuſis & inertibus remediis comparaverit; etſi & hic a nonnullis, qui nimium ſuis igne extortis tribuunt remediis, peccetur, quos peculiari Tractatu de viribus remediorum commentitiis refellere conſtituit. Hæc quantacunque ſint Chymiæ merita, non parum tamen ab ejus magiſtris ſubinde peccari, indeque multis in Medicina erroribus anſam ſuppeditari, queritur Noſter. Quorſum primo loco obſcura illa, ab *Helmontio, Paracelſo*, ſimilibusque, effícta, nomina refert, quæ, uti barbarie ſua aures offendunt, ita adeo perplexa minusque certis notionibus circumſcripta ſunt, ut una ſæpe res variis nominibus, & contra variæ res uno deſignentur vocabulo, ut ex his ſe expedire tricis vix equidem liceat. Non minus vero ex falſis analogiis Chymicorum in Medicinam damni redundavit, dum eas, quæ in corpore noſtro contingunt, humorum mutationes, eadem, qua in mixtura diverſorum liquorum contingit, ratione ſuccedere autumant; unde illa de fermentis in corpore ejusque ſingulis fere viſceribus, a *Williſio* primum ſtabilita, multisque adeo probata, ſententia orta eſt, quæ tamen, ſedato efferveſcentiæ tumultu, jam noſtris temporibus ſubſidere cœpit. His ſi intolerandam propriæ doctrinæ oſtentationem cum magno aliorum contemtu jungas,

gas, & quæ de Universali Medicina nimis liberaliter spondent, sobrie perpendas, fatendum utique cum Nostro, naturalium scientiam & Medicinam Chymiæ cultura magnopere auctas esse & illustratas, artificum tamen culpa multa mala bonis esse permista. Ceterum Experientiss. Autori vires animumque apprecamur, ut propositum sibi spatium feliciter emetiri, rectumque disciplinarum ad Medicinam referri solitarum usum, magno medentium emolumento, pari facundia & acumine edocere valeat.

ELEMENTA MATHESEOS UNIVERSÆ. TOmus II, qui Mechanicam cum Statica, Hydrostaticam, Aerometriam, atque Hydraulicam, complectitur. Autore CHRISTIANO WOLFIO, Potent. Suecorum Regis, Hassiæ Landgravii, Consiliario Aulico, Mathematum ac Philosophiæ in Academia Marburgensi Professore Primario, Professore Petropolitano honorario, Societatum Regiarum Britannicæ atque Borussicæ Sodali. Editio Nova, priori multo auctior & correctior.

Halæ Magdeburgicæ, ex Officina Rengeriana, 1733, 4.
Alph. 3 pl. 15, Tabb. æn. 31.

Quæ in nova hac Elementorum Matheseos Universæ *Wolfianorum* Editione, priori auctiore atque correctiore, continentur, in prima editione Tomo primo comparebant. Unde de iis dictum est in *Actis A. 1714 p. 234 & seq.* Sufficiat igitur, breviter indicasse, quæ novæ huic editioni superaccessere. Nemo non nescit, postquam *Galilæus* usum Curvarum in cognitione naturæ mathematica clarissimo specimine demonstravit, & Geometria indivisibilium uberius exculta, tandemque ad Analysin certam revocata fuit, sublimiora ingenia admiranda de motu solidorum ac fluidorum inventa prodidisse. Nec est, qui ignoret, inventores sua ita propo-

posuisse, ut ab iis tangendis arceantur tirones, & quotquot tempus omne in Mathesi consumere prohibentur. Autor itaque præcipua illa inventa, quibus in Mathesi non datur sublimius, cum primis principiis evidenter connexa proposuit, ut unusquisque, qui a legendis Elementis Autoris ordine ac lento gradu progreditur, eadem facilitate illa perspicere possit, qua facillima in anterioribus perspexerat, atque adeo brevi temporis spatio, non neglectis studiis aliis, egregios in intimiori Mathesi progressus facere queat. Mechanica inprimis atque Hydraulica, plurimis accessionibus aucta, Theoriam de motu gravium ultra *Galilaeanam*, in qua acquiescit prior editio, ad omnem hypothesin possibilem extendit. Addidit methodos investigandi centrum gravitatis in spatiis mixtilineis & in perimetris figurarum rectilinearum. In motu composito tendentiam mediam definire docet. Integrum Caput octavum de descensu & adscensu corporum in lineis curvis inseruit. Continentur in eo præclara maxime hujus ævi inventa de linea isochrona non minus in hypothesi *Galilaeana*, quam in hypothesi directionum in centro Telluris convergentium, & in quacunque accelerationis hypothesi; de curva isochrona paracentrica; de curva tautochrona; de tempore descensus per curvam in quacunque gravitatis hypothesi, sive directiones supponantur parallelæ, sive convergentes, sive mobile descendat in concavitate, sive in convexitate curvæ; de curva brachystochrona & synchrona, & de curva æquilibrationis. Theoriam de motu penduli ex sublimioribus inventis fecit uberiorem, theoriam de centro oscillationis planiorem. In determinando centro oscillationis non modo difficiliora quædam adjecit problemata, veluti in figuris circa basin agitatis, sed integram quoque praxin de centro gravitatis in figuris in latus agitatis determinando, eodemque in figuris solidis inveniendo. In Capite de motu projectorum præter alia accessit analytica curvæ projectionis investigatio, non minus in hypothesi gravitatis cujuscunque directionibus in centro Telluris convergentibus, quam in hypothesi directionum parallelarum. Addidit quoque haud

pauca,

Digitized by Google

pauca, quæ desiderabantur, in Capite de motu corporum ex percussione. Inprimis autem theoriam de viribus centralibus uberrime pertractavit, cujus antea primas tantummodo lineas duxerat. Integrum nunc quoque accessit Caput decimum quartum, de resistentia medii, satis amplum. Non commemoramus alias accessiones minores, etsi longe utilissimas, atque hoc nomine silentio præterimus, quæ passim Hydrostaticæ ac Aerometriæ adspersa fuerunt. Hydraulicæ theoria præter alias accessiones duobus Capitibus integris de cursu fluminum & de percussione fluidorum aucta. Ubi de percussione fluidorum agit, vim quoque determinare docet, quam ventus, indirecte impingens in alas molendini, exerit ad eas convertendas, ac inde porro situm alarum analytice investigat, in quo eas ventus maxima celeritate convertit. Reperies quoque ibidem principia, quibus actio aquæ in palmulas rotarum molarium determinatur. Colophonem vero addit problematis de solido minimæ resistentiæ solutio. Quoniam, qui *Tomum primum*, non consentiente Autore, Genevæ recuderat, Privilegium pro toto Opere Cæsareum impetraverat, ut hac ratione adigeret Autorem, ne Tomos ceteros nisi typis suis in lucem publicam emitti pateretur, ex intervallo nunc demum prodit *Tomus secundus*, litibus in foro finitis, & Privilegio ad Viduam *Rengeri* ejusque generum translato. Spem vero facit Autor in Præfatione, fore, ut tertius breviori multo temporis spatio sequatur.

L. EULERI CONSTRUCTIO ÆQUATIONUM quarundam differentialium, quæ indeterminatarum separationem non admittunt.

Constructiones, quibus Geometræ ad determinandas quasvis magnitudines utuntur, duplicis sunt generis; ad quorum alterum referri possunt omnes constructiones Geometricæ, tam planæ, quam solidæ & lineares; ad alterum vero pertinent eæ constructiones, quæ vel quadraturis curvarum, vel rectificationibus, perficiuntur. Illas adhibemus in Geometria

Digitized by Google

communi ad radices æquationum algebraicarum quarumcunque exprimendas; id quod efficitur, uti constat, intersectione linearum vel rectarum, vel curvarum, prout æquatio oblata postulat. Posterioris vero generis constructiones, quas transscendentes appellare licet, inserviunt ad æquationes differentiales resolvendas, quæ in algebraicas transmutari nequeunt. Æquationes autem, sive algebraicæ, sive transscendentes, in quibus duæ insunt quantitates indeterminatæ, hujusmodi requirunt constructiones, ut, altera indeterminatarum pro lubitu assumta, altera determinetur; in quo efficiendo pro æquationibus algebraicis, tanquam postulatum, præmittitur, ut data magnitudine z, ejus quæcunque functio algebraica *Z* possit exhiberi. Pro differentialibus autem vel transscendentibus æquationibus insuper requiritur, ut, posita quantitate *z*, functio ejus quæcunque transscendens $\int Z\,dz$, in qua *Z* significat functionem quamcunque ipsius z, sive algebraicam, sive transscendentem, denuo definiri, atque adeo tanquam data considerari possit. Hanc ob rem igitur, quoties æquatio proposita ita potest transformari, ut altera indeterminata, vel ejus quædam functio, æqualis esse debeat certæ cuidam functioni alterius indeterminatæ, toties illius æquationis constructio erit in promtu. Vocari autem solet ista æquationum transmutatio indeterminatarum separatio; ex quo simul intelligitur, quare semper ad æquationes transscendentes construendas hujusmodi separatio tam solicite requiratur. In algebraicis quidem æquationibus hæc separatio non est necessaria ad constructionem adornandam. Quomodocunque enim in iis indeterminatæ sint pexmixtæ, totum negotium æque facile perficitur. Verum, quod ad differentiales æquationes attinet, ne unica quidem poterit assignari, quæ construi, neque tamen separari, queat. Usitatæ enim constructiones omnes ita sunt comparatæ, ut ex iis ipsis separatio indeterminatarum, etiamsi alias fuerit inventu difficillima, sponte sequatur. Hanc ob rem non parum me præstitisse arbitror, cum nuper in constructiones æquationum quarundam differentialium, quæ indeterminatas a se invicem separari

rari non patiuntur, incidiſſem, ſimulque cognoviſſem, has conſtructiones plus non poſtulare, quam ante concedi ſolere obſervaveram. Prima æquatio, quæ occurrebat, erat hujus formæ $dy + \frac{y^2 dx}{x} = \frac{x dx}{x^2+1}$ in qua non ſolum indeterminatas a ſe invicem ſeparare ego non poſſum, ſed ipſa etiam conſtructio demonſtrabit, hujusmodi ſeparationem locum habere non poſſe. Si enim ſuccederet, perſpicuum erit, comparationem perimetrorum ellipſium diſſimilium ex ea eſſe ſecuturam, quæ tamen, ne circuli quidem conceſſa quadratura, exhiberi poteſt. Iſtam vero æquationem ſequenti modo conſtruo. Fiant ſuper eodem axe conjugato infinitæ ellipſes, quæ ergo ſolo axe tranſverſo a ſe invicem diſcrepant. Ex his conficiatur nova curva, in qua, ſi abſciſſæ æquales capiantur axibus ellipſium transverſis, applicatæ ſint æquales peripheriis earundem ellipſium. Hoc facto, vocetur axis ille conjugatus conſtans 1, abſciſſa hujus novæ curvæ, ſeu axis tranſverſus ellipſis cujusdam ponatur $= r$, & applicata, ſeu perimeter ejusdem ellipſis $= q$. Accipiatur nunc $x = \sqrt{(r^2-1)}$, eritque $y = \frac{(r^2-1)dq}{qrdr}$, quæ conſtructio, quia q ex data r per rectificationem curvæ cognitæ habetur, prorſus eſt legitima. Simili modo deductus ſum mox ad conſtructionem celebris hujus æquationis $ax^n dx = dy + y^2 dx$, quam primum Cl. Comes *Riccati* in lucem produxit, cunctisque Geometris examinandam tradidit. Deinceps quidem variæ comparuerunt meditationes, quæ autem omnes nihil aliud continent, niſi ut caſus particulares, ſeu valores loco n ſubſtituendos, exhibuerint, quibus iſta æquatio ſeparationem & integrationem quoque admittit. Nemo vero, quantum ſcio, ne unicum quidem aſſignavit caſum, quo conſtructio perfici poſſit, præter illos exhibitos. Ut taceam igitur univerſalem, quicquid n ſignificet, conſtructionem, quæ, niſi meæ methodi beneficio, vix a quoquam poterit inveniri: ſequenti ratione ego iſtam æquationem reſolvo. Quantitas iſta differentialis $n(n+4)dz(1-z^2)^{\frac{-n-4}{2n+4}} + 2dz(1-z^2)^{\frac{-n-4}{2n+4}}$

$\frac{2z\sqrt{f}}{(c\ n+2}$

$\left(c^{\frac{2z\surd f}{n+2}} + c^{\frac{-2z\surd f}{n+2}}\right)$, in qua z eſt variabilis, f conſtans, & c numerus, cujus logarithmus hyperbolicus eſt 1, ita integretur, ut, facto $z=0$, tota evaneſcat. Quod quidem integrale, etiamſi re ipſa exhiberi nequeat, tamen per quadraturas conſtrui, ideoque tanquam cognitum conſiderari poterit. In hoc deinceps integrali ponatur $z=1$, & habebitur quantitas, quæ erit functio quædam ipſius f. Scribatur porro in hac functione ax^{n+2} loco f, & quantitas reſultans, quæ tota ex x & conſtantibus erit compoſita, vocetur P. Invento nunc hoc modo P, dico, fore $y=\frac{dP}{Pdx}$, qui eſt verus ipſius y valor in æquatione propoſita $ax^n dx = dy + y^2 dx$. Notandum eſt autem, hanc ſolutionem locum non habere, quoties n fuerit numerus intra hos terminos 0 & -2 contentus. At huic incommodo facile remedium adhibetur, ita, ut iſta conſtructio nihilominus pro univerſali ſit habenda. Cum enim, uti conſtat ex iis, quæ Cl. *Daniel Bernoulli* hac de æquatione in publicum edidit, iſta æquatio, ſi ſit ſeparabilis in caſu $n=m$, ſeparari quoque poſſit in caſu $n=\frac{-m}{m+1}$ vel $n=-m-4$; perſpicuum eſt, caſus omnes intra limites 0 & -2 contentos reduci poſſe ad alios, qui intra limites -2 & -4 comprehenduntur, & hanc ob rem non amplius excluduntur. Obſervo autem, formulam illam differentialem $n\,(n+4)\,dz$ $(1-z^2)^{\frac{-n-4}{2n+4}} + 2dz\,(1-z^2)^{\frac{-n-4}{2n+4}}\left(c^{\frac{2z\surd f}{n+2}} + c^{\frac{-2z\surd f}{n+2}}\right)$, quoties $\frac{-n-4}{2n+4}$ ſit vel 0 vel numerus integer affirmativus, toties re ipſa poſſe integrari. Hoc vero accidit, quoties fuerit $n=\frac{-4K}{2K-1}$, denotante K numerum quemcunque affirmativum integrum. Quia deinde æquatio, ſi exponens ipſius x eſt $\frac{-n}{n+1}$, ad hanc $ax^n dx = dy + y^2 dx$ poteſt reduci, erit illa formula quoque inte

integrabilis, ſi fuerit $n = \frac{-4K}{2K+1}$. Atque ſic prodeunt illi ipſi caſus, jam ab aliis eruti, quibus indeterminatæ in æquatione propoſita a ſe invicem poſſunt ſeparari.

CONSPECTUS REIPUBLICÆ LITERARIÆ, ſive Via ad Hiſtoriam Literariam, juventuti ſtudioſæ aperta a CHRISTOPH. AUG. HEUMANNO, D. Editio tertia, locupletior.

Hanoveræ, apud Jo. Jac. Fœrſterum, 1733, 8.
Alph. 1 pl. 7.

Liber hic, cujus prima editio, plagulis novem conſtans, A. 1718 prodiit, altera, ita locupletata, ut ſeptendecim impleret plagulas, A. 1722 publicata eſt, cum abunde notus tritusque ſit; noviſſimam hanc editionem ita tractabimus, ut ex iis tantum quædam excerpamus, quæ nunc demum acceſſerunt. Etſi vero *trium* quoque *priorum Capitum* nec paucæ ſunt, nec leves, acceſſiones, libet tamen *quartum* ſtatim *Caput* ingredi, in quo per compendium deſcribitur Hiſtoria literarum inde a vetuſtiſſimis temporibus uſque ad hanc noſtram ætatem. Hic *§. 2* e ſcholis Propheticis, quarum in ſacro Codice non una mentio, concludit, literas haud negligenter coluiſſe veteres Hebræos. Non enim videntur in ſcholas ſuas a Prophetis recepti fuiſſe, niſi qui in minoribus ſcholis jam perceperant legendi ſcribendique artem, Arithmeticam, fundamenta religionis prima, & hujusmodi alia. Græciam jam antiquiſſimis temporibus fuiſſe literarum domicilium, ex eo *§. XI* manifeſtum facit, quod jam olim Carthagine, itemque Romæ, regnante *Romulo*, denique apud Perſas, lingua Græca fuerit lingua literatorum. Eccleſiam Chriſtianam primos ſuos ſcriptores pleroſque accepiſſe ab ethnicis, obſervat *§. 15*. *Origenem* non honoris cauſa vocatum fuiſſe *Adamantium*, ſed id nominis inde a puero geſſiſſe, docet *§. 17*, ubi & de *Lactantii* nomine idem ſtatuit. De Theologi-

logica Patrum Ecclesiæ eruditione minus magnifice sentit §. 18 *seq.* speciatim ferens judicium de *Augustino* & *Hieronymo*, & *p. 175* addens, *Carolum M.* qui olim optavit, ut duodecim haberet viros doctrina pares *Hieronymo* atque *Augustino*, hodie, si viveret, facile centum æque eruditos videre potuisse. Quo tempore usus Latinæ linguæ publicus cessarit, §. 27 inquirit, inter alia referens, *Sidonium*, Apollinarem Episcopum, adhuc habuisse Latinas conciones ad sacrum suum gregem; at eundem scripsisse, se metuere, ne brevi ea lingua in Gallia aboleatur. *Albertum Magnum* non honoris causa fuisse cognominatum *Magnum*, sed hoc ipsi nomen fuisse gentilitium, eumque Germanice *Groot* appellatum fuisse, §. 42 docet. Observat item §. 46, instaurationis literarum Seculo XIV hanc non ultimam fuisse causam, quod eo tempore desierit literarum studium esse monachorum proprium, ac libera liberaliaque ingenia se dediderint literis, non præjudiciis affixa & superstitionibus, sed rationem rectam sequentia ducem. *Werneri Rolefinkii Fasciculum temporum*, hoc est, Compendium Historiæ Universalis, Seculo XV fuisse communiter in scholis usurpatum, ac proinde illo ipso Seculo recusum persæpe, §. 48 monet. De hodierno scholarum Italiæ & Hispaniæ statu non optimo §. 66 & 67 disserit. Permagnum profert §. 69 & 71 numerum Autorum nostræ ætatis, & §. 70 judicat, tantum his nostris temporibus esse proventum scribentium, ut desiderari haud inscite queat novus orbis legentium. Producit §. 72 eruditos librisque editis conspicuos nostri Seculi duos Papas, quinque Cardinales, & duos Principes. De Sinensium literatura §. 74 profert sententias contrarias: ipse vero eorum accedit opinioni, qui Sinensem sapientiam valde contemnunt. Addit, sibi videri *Confucium* non diu ante natum Christum, sed diu post, vixisse. Pergamus ad *Caput quintum*, ubi §. 17-22 Cel. Autor exhibet concinnatam ab se Historiam Musicæ, §. 24 *seq.* Historiam Logicæ, §. 30 *seq.* Historiam Ethicæ, & §. 37 *seq.* Historiam Jurisprudentiæ naturalis. *Capitis sexti* §. 14 agit de protographis fictitiis.

e. g.

Digitized by Google

e. g. de avtographo, quod Veneti ostentant. Docet hinc §. 15 & 16, quis superſit nummorum vetuſtiſſimus, quæ vetuſtiſſima Inſcriptionum. Agit §. 24 de libris tantæ raritatis, ut vix in quingenteſima quaque Bibliotheca reperiantur: eosque vocat *phœnices librorum.* Hunc in numerum refert *Curtium Theocrenianum;* Poema anonymum *de Ariſtotele, Chriſti præcurſore;* *Erneſti*, Landgravii Haſſiæ, *Catholicum diſcretum*; Editionem primam Operis *Caroli M. de cultu imaginum.* Pluribus confirmat §. 37, *Hippolithi a Lapide* ſub nomine latere *Bogislaum Philippum Chemnitium*, magni illius Theologi, *Martini*, nepotem. Clariſſimum illum crebroque in his *Actis* laudatum *Thomam Crenium* §. 38 inter pſeudonymos refert, verum ejus nomen ſe indicaturum pollicens in *Fragmentis Hiſtoriæ literariæ*, quorum primum librum propediem, ut ex hujus Operis noviſſima Præfatione diſcimus, videbimus. Accurate §. 40 *ſeq.* diſtincteque agit de libris poſthumis: & §. 43 de cauſis hodiernæ novorum librorum multitudinis. *Capitis ſeptimi* ejusdemque ultimi §. 15 *ſeq.* librorum ſcriptores in tres claſſes diſtribuit. *Primanos* vocat, qui tanta pollent perſpicacia, ut non ſolum inveteratos errores acute cognoſcant, ſed novas quoque veritates in apricum proferant; *Secundanos*, qui minus valentes ingenio, primanos tamen ſequuntur duces, eorumque doctrinas docte diſerteque propagant; *Tertianos*, qui ſola ſcribendi ſedulitate ſunt notabiles, acceptasque a præceptoribus doctrinas, ſive veras, ſive falſas, mordicus tenent, novarumque, ſive verarum, ſive falſarum, ſententiarum doctores hoſtili proſequuntur odio. *Secundanos* ac *Tertianos* rurſus dividit in novas claſſes. Inter Theologos *primanis* adſcribit *Lutherum, Eraſmum, Chemnitium*; *ſecundanis Gerbardum, Calovium, Witſium*; *tertianis Quenſtedium.* Inter Criticos *primanus* ipſi eſt *Jo. Frid. Gronovius*, *ſecundanus Jac. Gronovius*, *tertianus Abrahamus Gronovius*: quem tamen ſperamus poſt plures annos habitum iri in numero *primanorum.* Inter Philoſophos *primanos* nominat *Puſendorfium, Lockium, Chriſt. Thomaſium*; *ſecundanos Clericum & Budde-*

Buddeum; tertiqnos Bechmannum. Agraphorum, hoc eſt, eorum e doctis viris, qui nihil ſcripſerunt, feſtivum producit §. *28 ſeq.* numerum, variasque de iis profert obſervationes lectu haud injucundas. Delatus ad doctos impoſtores, §. *44 ſeq.* omnes *Ignatii* Epiſtolas Græculum quempiam habere Autorem, graviter contendit, præter ſex argumenta, quibus utitur, urgens & multitudinem & magnitudinem illorum Criticorum, qui dudum iſtarum Epiſtolarum *νοθείαν* agnoverunt. Doctorum quoque illuſorum in cenſum jure relatum a quibusdam eſſe *Jo. Valentinum Andreæ*, Theologum Wurtembergicum, eumque omnino fuiſſe conditorem *Fraternitatis roſeæ crucis*, docet *§. 46.* Verum hæc ſufficiant.

GEORGII CHRISTIANI GEBAUERI ANTHOlogicarum Diſſertationum Liber, cum nonnullis adoptivis, & brevi Gelliani & Anthologici, Collegiorum Lipſienſium, Hiſtoria.

Lipſiæ, ſumtibus Caſpari Fritſch, 1733, 8.
Alph. 1 plag. 10.

Qui toties elaboratiſſimis gravioris argumenti ſcriptis eruditæ civitatis commodis egregie conſuluit, ſuique inde nominis famam luculentis meritis provexit, Ampliſſ. *Gebauerus*, hoc jam, quod manibus jucunde tenemus, *Diſſertationum Anthologicarum Syntagmate* delicatiores humanioresque animas amœnioribus materiis demulcere inſtituit Plenæ voluptatis ex legendo illo guſtum, quibus libuerit, permittere nos oportet, noſtro officio horumque Annalium inſtituto jam, quod remur, ſatisfacturos, ſi brevi quadam ac commoda doctiſſimi libri idea ſalivam moverimus aliis. Ipſa *Anthologicarum* inſcriptio occaſionem luculenter ſatis innuit, ex qua ſubnatæ potiſſimum Celeberrimo Viro ſunt iſtæ Commentationes, ſimulque modeſte, ſed ex vero, pretium ſignificat, quod apud univerſos, qui non obeſæ nimis ſunt naris, citra

citra dubium illis conſtituetur. Prælecta ſcilicet ab ipſo plurimam partem fuere hæc meletemata in Societate quadam erudita, quæ multis abhinc annis doctiſſimorum quorundam Academiæ noſtræ hominum conjunctione coaluit, &, *Collegii Anthologici* titulo adſcito, ad hunc uſque diem feliciter perduravit. Huic pridem adſcriptus Conſ. *Gebauerus* ſingulari modo præclare de illa promereri animum induxit, conſcripta, & ad veſtibulum ſtatim præſentis opellæ collocata, ejusdem, aliusque adhuc, ſimili prorſus fine ſub *Gelliani* nomine quondam inſtituti, *Collegii* hiſtoria. De utriusque rationibus præfari hoc loco potiſſima momenta placet, antequam ipſarummet Diſſertationum argumenta & ſummam ſuccincte proponamus. Nimirum circa medium fere præteriti Seculi, ad laudatiſſima & recentiora exterorum, Italorum, Gallorum, Anglorumque, quin priſcorum Romæ Græciæque ingeniorum, exempla per intervallum temporis non adeo magnum in tres diverſas communiones amice coierunt literatiſſimi quidam Lipſienſis Academiæ incolæ, ſtatis quique, prouti conventum fuerat inter ipſos, diebus, eruditas ex omni doctrinarum campo ſymbolas in vices collaturi, animumque recreaturi habitis ultro citroque de rebus ad literas ſpectantibus ſermonibus. Uni *Gelliani*, alteri *Anthologici Collegii*, quod modo dictum eſt, tertiæ denique *Societatis Conferentium* cognomentum ſumere arriſit. *Gellianum*, nomine ex *A. Gellii Noct. Atticar. Lib. XVIII Cap.* 2 repetito, medios inter ac ferales patriæ Muſisque infeſtos admodum tricennalis belli tumultus, prima Dominica Adventus, A. 1641 inſtitutum, quam feſtam quotannis atque natalem frugali cœnula celebrarunt ſocii deinceps, magnam exiſtimationem conſecutum eſt ætate iſta, Scriptorum etiam quorundam calamis publice ad poſteros transmiſſum. Materies a principio ſermonum, Latina unice lingua ſerendorum, quod legum oſtendunt ſuperſtites reliquiæ, potiſſima Philologiæ atque Hiſtoriæ ſacræ fuerant argumenta exquiſitiora difficilioraque, exeſſe juſſis æternum *Controverſiis*, quod dicitur, ex *tetrica Philoſophia ſpinoſioribus*; quibuscum ſuccedentibus annis profani etiam ex priſcis ſcri-

ptores quandoque commentandi illuſtrandique permutabantur. Duraviſſe ſimile vero eſt vinculum iſtud haud annum ultra 1673, poſt quem, qui ſuperfuerunt, conſortes ad *Anthologorum* caſtra tranſiiſſe videntur. Ceterum illud adhuc commemorare juvat, exhiberi hic a doctiſſimo *Gebauero* curatum Sodalium *Gellianorum*, numero quadraginta novem, Elenchum, addita brevi cujusque, ubi anquiri potuit, notitia. Nos potiorum nomina, qui vitam præ reliquis famamque protulerunt, celebritatemque adeo Collegio iſthuic conciliarunt maxime, transſcribere huc non pigrabimur. Occurrunt autem inter principes ſtatim, ipſosque fere inſtituti utiliſſimi conditores: *Frid. Rappoltus*, *Joannes Strauchius*, *Theophilus Colerus* & *Caſpar Zieglerus*; quibus poſtera ætate ſe adjunxerunt haud minus ſcriptis meritisque incluti, *Chriſtian. Frid. Franckenſtein*, *Matthias Zimmermannus*, *Eſaias Puſendorffius*, (qui *Puſendœrfferum* ſe albo Inſcripſit,) *Joannes Schilterus*, *Jo. Adam Scherzerus*, *Jo. Andreas Boſius*, *Paulus Ammannus*, *Jo. Bened. Carpzovius*, *Valentinus Alberti*, *Joachimus Fellerus*, *Thomas Ittigius*, *Otto Menckenius*, *Samuel Benedictus Carpzovius*, & *Joannes Cyprianus*, illuſtria ſinguli doctrina & virtute nomina, & quos omnes fere poſtea publicos Doctores Lipſienſis Academia coluit, atque etiamnum defunctos pie veneratur. Collegium *Anthologicum*, tenuibus quatuor ſociorum initiis ad diem 2 Julii A. 1655 inſtitutum, inſecutis temporibus lætis ſub inde incrementis fuit adauctum, licet non expers omnino, quæ ſors eſſe humanarum rerum conſuevit, viciſſitudinum minus auſpicatarum. Enimvero, ignotum, quibus de cauſis, emarcuiſſe videtur circa annum 1673, ſiquidem nec vola exſtat neque veſtigium in Elencho Collegarum αὐτογράφῳ, novis ſociorum acceſſionibus ſuſtentatum illud fuiſſe, pridem etiam ſcribi deſiiſſe deprehenduntur Epitomæ earum rerum, de quibus eruditi ſermones inſtituebantur. Refloruit tamen medio anno 1685, conventibus ad d. 2 Auguſti primum iterum frequentari cœptis, legibusque inſtauratis. Duravit ſecunda hæc periodus ad annum uſque 1698, quo, reliquis mem-

Digitized by Google

membris Lipſia abeuntibus, ad duorum numerum conſortii ſumma redigebatur, ipſo tantum non diffluxuro. Prohibitum hoc tamen fuit altero mox anno, novis Collegis in Societatem adſcitis, eruditisque congreſſibus ſtrenue iterum concelebratis ad annum uſque 1712. Poſthæc rurſus, quod ait Noſter, hyemem ſenſere flores *Anthologorum*, donec anno 1715 ineunte ver rediret purpureum, Magnifico *Chriſt. Frid. Bœrnero*, Theol. Doctore, & tum temporis utriusque linguæ apud hanc Academiam Profeſſore bene merentiſſimo, hoſpitium præbente ac Bibliothecam ſuam inſtructiſſimam elegantiſſimamque *Anthologis*. Conſenſerunt iſti in priſtinas leges tantum, quantum facere ad Societatis commoda videbantur, de cetero mutuæ magis invicem benevolentiæ confiſi, quam ut ſcrupuloſe definire præſumerent omnia. Hoc habitu ad præſentem uſque diem floret jucunde *Collegium* iſtud *Anthologicum*, ſex conſtans ſociis, almæ noſtræ ſingulis publicis Doctoribus excellentiſſimis meritiſſimisque. Congregantur illi ſeptimo quoque, id eſt, Saturni, die poſt horam quartam pomeridianam, doctis colloquiis in univerſum divinarum humanarumque diſciplinarum campum, delectis ubique amœnioribus, excurrunt, ſepoſitis contra conſilio, quæ Theologia habet auſteri, Jurisprudentia ſpinoſi, ars ſalutaris abſtruſi; in ſumma, ita res ſuas agunt, ut inclutæ iſti Societati optimus quisque ſtudiorumque amantiſſimus perennantem florem non voveat tantum nobiscum, ſed & auguretur. De cetero ſimilem induſtriam, quam *Gellianis* adhibuit, *Anthologis* etiam ſuis commodat Conſ. *Gebauerus*, illorum nominibus non tantum ordine atque curate percenſendis, quæ numerum CXXXV perfecte implent, ſed & commemorandis ſuccincte potiorum fatis, ſcriptis atque meritis. Advertuntur certe & ibi Viri literarum ſtudiis atque eximia virtute ſummam præter ceteros celebritatem adepti, quos compendio & hic appellaviſſe non ingratum fore Lectori confidimus. Eminent vero inter iſtos *Samuel Puſendorffius*, (qui, quod fratrem *Eſaiam* ſimiliter feciſſe ſupra monitum eſt, itidem *Puſendœrfferum* ſe inſcripſit) *Balthaſar Bebelius*, *Valenti-*

tinus Alberti, *Christianus Knorr a Rosenroth*, *Caspar Læscherus*, *Joach. Fellerus*, *Otto Menckenius*, *Joannes Cyprianus*, ex periodo prima. Ex periodo secunda, *Christianus Krumbholzius*, in carcere demum ob motas Hamburgi turbas Hamelæ ad d. 3 Dec. A. 1725 defunctus, *Joannes Albertus Fabricius*, *Joannes Frickius*, (cujus Clarissimi Viri scriptorum meritorumque exposita admodum notitia, ab Amico quodam communicata, suppeditatur,) *Christianus Junckerus*, *Gabriel Groddeck*, *Christianus Weisius*, Theologus Lipsiensis, *Jo. Burchardus Menckenius*, *Ludovicus Christianus Crellius*, & *Fridericus Wilhelmus Schützius*. Ex tertia periodo, *Gottlob Fridericus Jenichen*, *Jo. Gottlob Carpzovius*, *Jo. Georgius Abicht*, *Fridericus Mentzius*, Anthologorum, qui nunc sunt, Senior bene merentissimus, *Christianus Gottlieb Schwartzius*, *Christianus Fridericus Bœrnerus*, & *Jo. Jacobus Mascovius*. Quarta periodo ineunte, quod exquisitis debitæ reverentiæ cultusque formulis memorat Autor, *Anthologis* accessit Illustrissimus Dominus, *Henricus de Bünau*, Regiæ jam Celsitudinis, Serenissimi Saxoniæ Electoris, Minister Status, Consiliarius Intimus, & Summi Provocationum Senatus Præses eminentissimus, Musarum Patronus indulgentissimus, de quo Diarii, sub indice: *Histoire critique de la Republique des Lettres* emissi, quondam Autor *Tom. XI Art. VI p. 133* retulit. In præsenti autem Societatem constituunt celebratissimi undiquaque Viri: *Christianus Fridericus Bœrnerus*, S. Theol. Doct. & Prof. Primarius, Ingenuæ Ecclesiæ Cathedralis Misenensis Canonicus Custos, Consistorii Electoralis & Ducalis Lipsiensis Assessor, Academiæ Decemvir, Bibliothecarius, & Collegii Majoris Principum Collegiatus; *Georgius Christianus Gebauerus*, Phil. & J.U.D. Supremæ Curiæ Provincialis Assessor, Juris Feudalis, Communis & Saxonici, Professor Publicus Ordinarius, & Collegii B. Mariæ Collegiatus; *Joannes Zacharias Platnerus*, Phil. & Med. D. Anatomiæ & Chirurgiæ Professor Publicus Ordinarius, & Facultatis Medicæ Assessor; *Fridericus Mentzius*, Poeseos Professor Publicus Ordinarius, Alumnorum Electoralium Ephorus,

&

& Collegii Majoris Principum Collegiatus; *Georg. Frid. Richterus*, Facultatis Philos. Assessor, Mathem. Professor Publicus, & Academiæ Nat. Curiosorum Collega; & *Jo. Erhardus Kappius*, Eloquentiæ Professor Publicus Ordinarius & Collegii Majoris Principum Collegiatus. De *Conferentium* denique *Societate*, titulo magis, quam re ac instituto, ab alteris duabus diversa, vel duobus verbis sub initium statim ex ejusdem legibus decerptis agitur, & syllabus demum eorum, qui nomen ipsi dederant quondam, numero XXXVIII, notulis itidem illustrata suppeditatur. Fuerunt & inter hos, quos mori vetuit musa præ reliquis; *Godofredus* nempe *Guilielmus Leibnitius*, *Joannes Jacobus Thurmius*, (jam ante, quam vicesimo ætatis anno Lugduni Batavorum A. 1669 d. 7 Aug. vita decederet, variis iisque doctissimis scriptis inclutus, & a Theologo Augustano Clarissimo, *Theophilo Spizelio*, singulari Opusculo, *Præcox Thurmii Maturitas* inscripto, impressoque *Aug. Vind. 1670*, 4, & inter B. *Gœtzii* Elogia Eruditorum præcocium, Lubecæ 1709, 8, edita, repetito, commendatus,) *Samuel Benedictus Carpzovius*, *Conradus Samuel Schurzfleischius*, & *Joannes Henricus Horbius*. Liceat nobis, pace humanissimi *Gebaueri*, addere, institutam fuisse hanc *Societatem Conferentium* A. 1663, ac verisimiliter ex Sociorum ab hac Academia abitu post aliquot annorum intervallum iterum diffluxisse, instaurari tamen cœptam ipsis Januariis Cal. A. 1731 a membris præsentibus, *Jo. Friderico Majo*, A. M. *Jo. Christophoro Gottschedio*, Poes. Prof. P. Extrord. Collegii B. Mariæ Virginis Collegiato, & Societ. Reg. Scient. Porussicæ adscripto; *Jo. Georgio Lottero*, Ord. Phil. Assessore, & Soc. Reg. Scient. Berolinens. Socio; *Jo. Henrico Wincklero*, A. M. & Scholæ Thomanæ Lipsiensis Collega; *Wolf Balthasare Adolpho a Steinwehr*, Equite Pomerano, & A. M. & *Friderico Wilhelmo Stübnero*, A. M. ac Ordinis Philosoph. Assessore, ad hunc usque diem continuari. Et hæc quidem de *Antecessione* dicta sufficiant. Jam ipsarummet Dissertationum argumenta strictim indicabimus. Denarium illæ numerum complent. Sex sunt Anthologicæ; reliquæ, si excipias Commentatiunculam nonam, adoptivæ. Prima, eademque Anthologica, *de Hystrice*, Symbo-

lo Regis quondam Galliæ, *Ludovici XII*, agit, & ab intempeſtiva *Wagenſeilii* cenſura, ſecundum regulas artis dijudicatum, vindicat; cujus contra alia duo Symbola, quæ pro melius excogitatis fruſtra habuit inventor, cum cenſura promerita dimittuntur. *Secundo* loco *Magni Danielis Omeiſii*, Profeſſoris Altorfini Clariſſimi, Exercitatio Academica *de Symbolo Heroico, Italis Impreſa, Gallis Deviſe dicto*, A. 1686 publicata, recuſa boniqueſaporis Annotatiunculis paſſim abs Conſ. *Gebauero* illuminata ſiſtitur. *Tertiam* ſedem occupat Autoris Diſſ. Anthologica ſecunda, qua locum aliquem *Sexti Aur. Propertii*, Criticis vexatiſſimum hactenus, *Libro II Eleg. VII verſ. 49*:

Appoſitum flavis (vel *fluviis*) *in Simoenta vadis*,

ita commode ſatis emendat, ut vocem *fulvis* ſubſtituendam non doceat tantum, ſed evincat. *Quarta* & *quinta*, itidem Anthologicæ, anquirendis una curioſe *originibus priſci verbi latini Fuo* & demonſtrandæ altera *innumeræ ſoboli Germanicæ vocis Fee* deſtinatæ, illis ad palatum maxime futuræ ſunt lectoribus, qui ſummorum virorum exemplis Ετυμολογίαν non dedecere hominem ſapientem literisque probe inſtructum arbitrantur. *Sexta* porro, ejusdem commatis cum præcedentibus duabus, maſcule *pro Rhythmis ſive ὁμοιοτελεύτοις poeticis* propugnat *adverſus ea, quæ in Huetianis* hanc in rem non adeo conſiderate pronuntiata leguntur. *Septima* atque *octava* iterum ſunt adoptivæ. Prior enim repetitam exhibet *Eliæ Majoris*, Profeſſoris Uratislavienſis quondam meritiſſimi, Commentationem *de Verſibus Leoninis*, primum typis procuſam Oelſnæ Sileſiorum A. 1652, 8, & præter *vitam* Autoris ejusdemque parentis, *Eliæ*, & fratris, *Joannis Danielis*, Profeſſoris apud Academiam Kilonienſem valde incluti, notulis etiam quibusdam abs editore adauctam. Poſterior vero repræſentat *Renati Moreau*, Medici Pariſienſis, *de* iisdem *Verſibus Leoninis* cogitata, in Prolegomenis ad *Scholæ Salernitanæ* novam editionem Pariſienſem, A. 1672, 8, vulgatam haud inſcite expreſſa, & ob argumenti affinitatem hic ſubjuncta; quorum latus ſub numero *nono* claudit Noſtri *de aliis fidiculis Poeſi injectis*, v. g. Eteoſtichis, Chronoſtichis, verſibus, quos recurrentes appellant, &c. mantiſſa non Anthologica. Concludit *decimum* ejusdem

Digitized by Google

dem Diff. Anthologica *de praceptis symbolicis Emanuelis Thesauri ad capita quadam revocatis, & de Symbolo quodam Anthologico.* Universa hic abs *Thesauro* circa Symbolorum inventionem tradita præcepta ad tria omnino capita reducuntur, & ad eorundem amussim a Cl. *Gebauero* effictum aliquod recens in medium proponitur, incluto *Anthologorum Collegio*, Transalpinarum Academiarum more, si placuerit, adhibendum, cujus corpus est *fasciculus varii generis florum indigenarum exterarumque*, lemma autem ex *Virgilii* Eclog. II, 55, desumtum, & ænea figura ad vestibulum hujus libri posita repræsentatum: *Sic positi, quoniam suaves.*

RUDIMENTA LINGUÆ ARABICÆ, AUTORE THOMA ERPENIO, Florilegium sententiarum, ut & Clavis dialectorum, Opera ALBERTI SCHULTENS.

Lugduni Batavorum, impensis Sam. Luchtmans, 1733, 4. Alph. 1 pl. 1.

Cum celebris *Erpenii*, qui primus fere literas Arabicas in Belgio statuminavit, *Rudimenta Grammatica Arabica*, A. 1620 in forma octava edita, huc usque desiderarentur; Doctiss. Autor noster, insignis literaturæ hujus post *Golium* & *Relandum* propagator, & variis jam editis lucubrationibus exsplendescens, opera sua effecit, ut Compendium hoc maxime concinnum & facile rursus divulgaretur. Quibus duplex auctarium adjunxit, ac, ut summus in his literis Vir, *Golius*, Præceptoris hujus sui, quem eruditione vicit, Grammaticam variis accessionibus locupletavit, ita Noster, Florilegium sententiarum Arabicarum, ex Codice MSto Bibliothecæ Publicæ excerptum, adjecit. Inscribitur illud *Elnawabig* vel *Ennawabig*, quod vocabulum significat *scaturientes* partim Poetas, partim versus, vel rhythmos, nobiliore vena se commendantes & acumine, in quibus linguæ hujus genius egregie elucet. Non quidem earum numerus ultra viginti extenditur, sed, ut ex ungue leonem cognoscere licet, ita ex paucis illis sententiis de toto Opere judicium haud ægre ferri potest, nempe dignum illud esse, quod cum *Zamachsjarii*, Philologorum Arabicorum principis, Commentario, luci exponatur. In notis, ab eo subnexis, multa cum ipsius lin-

linguæ Arabicæ,tum Hebraicæ vocabula, & Codicis Sacri loca, illuſtrantur,ut *p. 152 Prov. 18, 8, & Prov. 26, 22; p. 162 Zach. 10, 1, Jer. 10, 13; p. 164 & 165 Job. 5, 26; p. 166 Eſ. 35, 7. 44, 19, Job. 13, 12; p. 169 1 Sam. 15, 19; p. 170 Eccleſ. 10, 7; p. 173 Eſ. 28, 18; p. 174 Hab. 1, 9.* Alterum additamentum *Clavem dialectorum* exhibet, in quo id maxime intendit, ut admirabilem illam harmoniam, quæ Hebraicam inter & Arabicam dialectos, gemellas velut ſorores, intercedit, evidentius paulo, quam huc uſque factum eſt ab eruditis, demonſtraret, ac contrariam ſtudio linguæ Hebraicæ valde noxiam opinionem, quæ multorum animos obſedit, vel imminueret, vel prorſus eradicaret. Et in hac demonſtratione, copioſa pariter atque exacta, quæ a *pag.* 187 uſque ad 374 protenditur, de permutatione conſonantium *primo Capite*, & de permutatione vocalium *ſecundo* egit, ubi & *p.* 324 de antiquo & recentiore Alphabetico Arabico, & *p.* 372 de *Hadramautiſmo*, & vocalium finalium mala pronuntiatione, diſſeruit. Quod ſupereſt, optamus, ut Cel. Autor reliquis, quæ promiſit, Operibus, porro literaturæ huic, vulgo exoſæ & neglectæ, lucem affundat, ac in utiliſſimo eo labore ſtrenue pergat.

NOVA LITERARIA.

Mediolani haud ita pridem cura Cl. *Philippi Argelati* prodiit Scriptorum Italiæ, quos Cel. *Muratorio* debemus, *Tomus vigeſimus ſecundus*, ſed in ordine *vigeſimus quartus*. In eo Scriptores *Muratorius* ſequentes exhibet:

Triſtani Caraccioli, *Patricii Neapolitani, Opuſcula Hiſtorica. Nunc primum luce donantur e MSto Codice Excellentiſſimi Principis* Torellæ.

Annales Forlivienſes ab Anno 1275 uſque ad Annum 1473; Anonymo Autore. Nunc primum prodeunt ex MSto Codice Comitis Brandolini de Brandolinis.

Diarium Parmenſe ab Anno 1477 ad 1482; Autore Anonymo. Nunc primum editum ex MSto Codice Torelliano.

Vitæ Ducum Venetorum Italice ſcriptæ ab origine Urbis, ſive ab Anno 421 uſque ad Annum 1493; Autore Marino Sanuto, Leonardi *filio, Patricio Veneto. Nunc primum e MSto Codice* Bibliothecæ Eſtenſis *luce donantur.*

Tomi X Supplementorum ad *Acta* noſtra haud ita pridem in lucem exire juſſimus *Sectionem IV, V, VI, VII, & VIII*, reliquas quatuor additūri his quam proxime.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris Anno MDCCXXXIII.

PLUTARCHI CHÆRONENSIS VITÆ PARALLELÆ, cum singulis aliquot, Græce & Latine. Adduntur Variantes lectiones ex MStis Codicibus veteres & novæ, doctorum Virorum Notæ & Emendationes, & Indices accuratissimi. Recensuit AUGUSTINUS BRYANUS.

Tomi V.

Londini, apud Jac. Tonson & Jo. Watts, 1729, 4 maj.
Tom. I Alph. 3 pl. 6, Tom. II Alph. 3 pl. 5, Tom. III Alph. 3 pl. 5, Tom. IV Alph. 3 pl. 8, Tom. V Alph. 2 pl. 20.

Immortuus est Operi splendidissimo *Augustinus Bryanus*, Vir doctissimus, cum duo demum Volumina prelis exiissent. Reliquorum ad mentem ipsius edendorum, & præfandi etiam, curam suscepit Vir Cl. *Moses du Soul*, cujus jam pridem elegantior, Græca præsertim, doctrina laudatur. Græca, typis quidem majoribus elegantissimisque, edita sunt plerumque ad fidem editionis Paris. 1624, e qua etiam retenta versio & paginis singulis subjecta. In paucissimis sibi indulsit aliquid *Bryanus*, quod sæpius factum cum Cl. *du Soulio* optamus, nimirum ubi certa Codicum vel MStorum vel typis vulgatorum fide, aut conjectura adeo aperta niti licet, ut,

qui contra dicat, nihil dicere idoneis arbitris videatur. Sed, quod in ipso contexto nonnunquam, in margine certe semper, factum mallent procul dubio ii, qui commoditatis potiorem rationem habent, quam antiqnitatis cujusdam speciei, aut compendii cujusdam typographorum, illud certe in calce uniuscujusque Voluminis præstitum est. Nimirum adjectæ non modo ex Parisiensi editione Animadversiones doctissimæ *Rualdi*, quibus ille *Plutarchi* aberrationes præcipuas notat, & historiæ veritatem ostendit, sed variæ etiam lectiones istius editionis, multis aliis, quæ varii per Angliam Codices suppeditarunt, auctæ, ac denique notæ atque emendationes doctorum Virorum, *Xylandri*, *Cruserii*, *Palmerii*, *H. Stephani*, *Palmerii* item & *Dacerii*, *Bryani*que permultæ, quas in tribus posterioribus Voluminibus vel ex schedis ipsius & siglis marginalibus, vel ex sua penu, supplevit Cl. *du Soulius*. In his loca innumera restituuntur, quædam ex sola meliorum Codicum scriptura, alia ex aliis ejusdem scriptoris, vel aliorum etiam, locis, diligenter excussis. Præmittuntur *Tomo Primo* 1) Chronologia *Plutarchi Daceriana*, Latine versa; 2) de *Plutarcho* ex *Fabricio* nostro aliisque scitu digna; 3) *Plutarchi* elogia, ex veteribus excerpta. Hæc postquam in Præfatione enarravit Cl. *du Soulius*, de quæstione illa affert quædam, *qui factum sit, ut, cum tertio ab hoc seculo tot non modo viri, sed & fœminæ, principes & illustres fuerint, quæ Græca & intelligerent probe, & nocturna versarent manu, versarent diurna; nunc tam pauci inter doctos ipsos reperiantur, qui Græcos fontes adeant? & quid ei malo mederi possit?* Caussas ipse tres affert, 1) absurdam, ut vocat, rationem a *Stephano* invectam, qua ad themata s. radices revocentur voces: redeundum itaque ad veterem ordinem Alphabeticum, quem *Constantini* Lexicon observet. Pace Viri egregii dictum esto, alia omnia nobis videri. Quid enim ad penitius cognoscendam linguam utilius excogitari potest, quam si facultas sit totam quasi familiam vocabulorum inspicere, quorum unum alterius intellectum & memoriam juvet. Ipsa illa paulo difficilior tironibus inquisitio cogita-

gita-

gitationem juvat, & tanto ſolidiorem certioremque parit cognitionem. Qui plane etymologiæ vocis ignarus eſt, ope Indicis facile ad eam deduci poteſt. 2) Dolendum, quod non extant Lexica Græca, quæ Græcas voces reddant vernaculis. Sed ſuperiores illi quomodo Græce didicerunt, qui pro Lexicis noſtris ampliſſimis Gloſſaria & Vocabularios ſemibarbaros habuerunt. Latinæ linguæ copiam ſatis luculentam, ut ſunt res noſtræ, habent hi, qui adſpirare ad Græca poſſunt. 3) Quod nobis quoque caput rei videtur, verſiones ad latus poſitæ ſegnitiem alunt, faciuntque, ut ſevera lege proficere juventus nolit. Incredibilis profecto corruptela ſcholas pleraſque invaſit, quod juvenes ne nanciſci quidem libros poſſunt verſionibus, utinam non ſæpe malis, (qualis eſt v. g. *Leusdeniana* illa N. T.) carentes. Itaque ſperamus, bene eventurum literis, quod obſervavimus per hoſce dies, a *Jo. Henr. Kromayero*, Jenenſium Profeſſore Clariſſimo, *Geſneri* noſtri Chreſtomathian Græcam, illo lenocinio verſionis deſtitutam, cupidæ literarum juventuti explicari. Nihil ſane propius accedit ad conſilium *du Soulii*, qui ſuadet *Græcas editiones veteres in manus ſumi, in quibus Latini nihil eſt; has cum optimis recentioribus, prius a ſe collatis, notatisque variis lectionibus, ſedulo legant juvenes; omnia ipſi per ſe, quantum poſſunt, ope Lexici intelligere nitantur &c.* Sed jam ſpeciminibus etiam quibusdam declarandum eſt, quantum opis ex nova editione ad *Plutarchum* pervenerit, pervenire certe poſſit. Sumamus *Catonem* majorem, cujus hic vita incipit Vol. II p. 327. Laudabimus autem etiam *Wechelianas* paginas, ut conferri poſſint facilius, quæ obſervabuntur. Pag. 336 B. de *Catonis* patre dicitur, ipſum, equis aliquot in prælio amiſſis, τὴν τιμὴν ἀπολαβεῖν ἐκ τοῦ δήμου διὰ τὴν ἀνδραγαθίαν. Quanto melius Anonymus Codex ἐκ τοῦ δημοσίου, *ex publica pecunia?* Paulo poſt ita editi: Ἐκαλεῖτο δὲ τῷ τρίτῳ τῶν ὀνομάτων πρότερον οὐ Κάτων, ἀλλὰ Πρίσκος, ὕστερον δὲ Κάτωνα (Anon. Κάτον) τῆς δυνάμεως ἐπώνυμον ἔχε. Ῥωμαῖοι γὰρ τὸν ἔμπειρον Κάτωνα ὀνομάζουσι. Illud Κάτον non priori Κάτωνα, ſed poſteriori ſubſtituendum putamus. Res aperta, *Ca-*

tus Ælius Sextus notissimus. *Cato* cognomen invenit, quod
Pag. 328. esset *catus*: ut *nasus Nasonibus* cognomen dedit. Paulo
post pag. 336 D. τὸν δὲ λόγον ὥσπερ δεύτερον σῶμα, καὶ
τῶν καλῶν οὐ μόνον ἀναγκαῖον ὄργανον ἀνδρὶ — ἐξηρτύετο.
Cruserius cum *Xylandro* vult orationem dici ὄργανον τῶν
καλῶν, h. e. ἐκ τῶν καλῶν, s. quod idem est, καλὸν, cui
deinde respondeat ἀναγκαῖον. Sed faciliora omnia, si cum
Anonymo Cod. legamus, quod etiam in notis probat *Bryanus*, ἀναγκαίων. Oratio instrumentum est non modo ne-
329. cessariarum rerum, sed etiam honestarum. Pag. 337 A. Μάρκου Κυρίου adhuc legitur, cum & *Vulcobianus* Cod. & Anonymus, &, quod maximum est, ipse aliis in locis *Plutarchus*
Μάνιον habeant. Pag. 338 B. accusat *Cato* in Scipione φορὰν
331. χρημάτων ἀμυθήτων. - - - - φθορὰν *Anon.* Utrum φορὰ hic
locum habeat, non facile dixerim. Illud quidem videtur
apertum, φθορὰν & *Catonis* ingenio, & accusatoris orationi, & his, quæ adjuncta sunt, optime convenire; unde etiam
332. in notis probatur. Statim sequitur Ὁ μὲν οὖν Σκιπίων ἐν
τῇ παρασκευῇ τοῦ πολέμου τὴν νίκην ἐπιδεξάμενος, καὶ φανεὶς ἡδὺς μὲν ἐπὶ σχολῆς συνεῖναι φίλοις, οὐδαμοῦ δὲ ἐν τῷ
φιλανθρώπῳ τῆς δαπάνης εἰς τὰ σπουδαῖα καὶ μεγάλα
ῥάθυμος. Pro δαπάνης in *Vulcob.* est διαίτης; quod haud
paulo melius nobis videtur. Neque enim solam profusionem Scipionis accusaverat *Cato*, sed totam vitæ rationem
paulo remissiorem. Paulo post δεῖπνον ἀφελὲς in εὐτελὲς
mutat idem liber *Vulcobianus*, nulla magna differentia; sed
333. ut videamus tamen ingenia librariorum. Majoris multo
momenti est illud p. 338 extr. πλὴν τὸ τοῖς οἰκέταις ὡς
ὑποζυγίοις ἀποχρησάμενον ἐπὶ γήρως ἐλαύνειν καὶ πιπράσκειν, ἀγεννοῦς ἄγαν ἤθους ἐγὼ τίθεμαι. Nihil humile, nihil ἀγεννὲς, in *Catone* accusat *Plutarchus*, nedum, ut ἦθος
ἄγαν ἀγεννὲς illi impingat. Conjecit Cl. Editor ἀπηνοῦς,
quod non damnaremus, si haberent libri. Sed quid opus
est conjecturis? Habet *Bodlejanus* Codex ἀτενοῦς, & legebatur ita ante *Henricum Stephanum*, v. g. in editione, quæ ad
manus est, Basil. apud *Jo. Bebelium* 1535 p. 116 v. 2. Unde re-

cte

Digitized by Google

cte interpretes *auſterum* hauſere. Eſt enim τὸ ἀτενὲς, quo
ſæpe utitur *Plutarchus*, vocabulum μέσον, *tenor* ille *animi*,
qui *Plinio* dicente H. N. VII, 19, *exit aliquando in rigorem*
quendam, torvitatemque naturæ duram & inflexibilem.
Certiſſime reponendum pro ἀγεννὲς ἀτενές. Quod proxi- Pag. 334.
me ſequitur, potius ad facultatem ςοχαςικὴν augendam per-
tinet, quam ad mutandam *Plutarchi* ſententiam. Populus
Athenienſis, cum ædificaret Hecatompedum, mulas bene me-
ritas ἀπέλυσεν ἐλευθέρας νέμεσθαι καὶ ἀφέτους. ὧν μίαν
φασὶ κ.τ.λ. *Bodlejanus* Codex ita: ἐλευθέρας νέμεσθαι,
καὶ ἀφεθεισῶν μίαν φασὶ κ.τ.λ. Nihil elegantius ad diſcen-
dam veterum librorum rationem. Quod paulo poſt, ubi de *Cimo-*
nis equis ſermo eſt, pro relativo αἷς *Vulcobienſis* Codex ha-
bet οἷς, eo nihil opus eſt. *Equas* enim fuiſſe *Cimonis*, non
equos mares, tum ex *Herodoto VII, 103*, tum ex *Æliano* de Ani-
malibus *XII, 40*, ſatis conſtat. Paulo poſt p. 339 C. οὐ γὰρ ὡς
ὑποδήμασιν ἢ σκεύεσι, τὴν ψυχὴν ἔχουσι χρηστέον, concin-
nius eſt, & in notis probatur, quod habet *Anonymus* τοῖς
ψυχὴν ἔχουσι. Ibid. D. τῆς δ᾽ ἄλλης ἐγκρατείας ὑπερφυῶς 335.
θαυμαστὸς ὁ ἀνήρ, (hic οἷον recte inſerunt MSS. Exemplum
enim affertur,) ὅτι στρατηγῶν ἐλάμβανεν ἑαυτῷ καὶ τοῖς
περὶ αὐτὸν οὐ πλέον εἰς τὸν μῆνα πυρῶν ἢ τρεῖς Ἀττικοὺς
μεδίμνους, εἰς δὲ τὴν ἡμέραν κριθῶν τοῖς ὑποζυγίοις ἔλαττον
τριῶν ἡμιμεδίμνων. Mirum, per tot editiones & hanc in-
primis ſervari vitioſam verſionem, *non amplius ſibi &*
ſuis ternis medimnis Atticis menſe acciperet, hordei jumen-
tis ſeſquimedimno minus. Quis legens aliter poteſt ac-
cipere, quam *in ſingulos menſes*, de quibus nimirum præceſſit,
ſeſquimedimno minus datum eſſe jumentis: quod plane ab-
ſonum. Omiſſa nimirum verba εἰς τὴν ἡμέραν. Sed in
Præfatione profitetur Cl. *Soulius*, verſionem a ſe non præ-
ſtari. Integra proinde eſt provincia emendandæ verſionis
Latinæ. Pag. 340 D. Τοὺς δὲ πολλοὺς ἄρχειν σπουδάζον- 337
τας ἔφη καθάπερ ἀγνοοῦντας τὴν ὁδὸν ἀεὶ μετὰ ῥαβδού-
χων ζητεῖν πορεύεσθαι. Non agitur de vulgo aut *multis*
imperium affectantibus, ſed de his, qui ἀεὶ, perpetuo, cum

Digitized by Google

imperio esse vellent. Itaque tanto magis obtemperandum fuerat libris, pro illo πολλοὺς πολλάκις habentibus. In apophthegmate, quod sequitur, quoque ipso etiam πολλάκις illud confirmatur, (cum reprehendat populum, qui eisdem semper magistratus mandet,) magna est varietas. Nobis videbatur ita optime constitui. Δόξετε ἢ μὴ πολλοῦ τὸ ἄρχειν ἄξιον, ἢ μὴ πολλοὺς τοῦ ἄρχειν ἀξίους ἡγεῖσθαι. Pag.
Pag. 347. 345 C. ubi de Censorum munere agitur, οὗτοι καὶ τὰ τιμήματα τῶν θυσιῶν λαμβάνοντες ἐπεσκόπουν &c. Jam vidit interpres, legendum οὐσιῶν; itaque vertit, *censum agebant*. Suppetias fert anonymus Codex. Et ostendit Editor, etiam alias permutari has voces, tum apud *Plutarchum*, v.g. Sympos. VIII p. 1278, ubi pro θυσίας θεῶν, οὐσίας legendum, tum apud *Heliodorum* L. V, ubi legendum τῆς θυσίας πολυτέλειαν ἔχω θαυμάσας, non οὐσίας, (ut habet tum *Commelin.* pag. 228, 12, tum *Bourdelotiana*, quæ paginarum & versuum numerum servat,) quod vidit interpres, Editores neglexere. Est adhuc unus *Heliodori* locus eodem libro, in quem, dum priorem requirimus, incidebamus, nimirum p. 222, 21, ubi, οὐσίαν
354. pro θυσίαν quosdam habere, *Commelinus* observat. Pag. 348 B. ubi reverentia puero debita, & præstita a *Catone*, τὰ δ' αἴσχιστα, legitur τῶν ῥημάτων οὐχ ἧττον εὐλαβεῖσθαι κ.τ.λ. Absurde, putamus. Recte *Bodl. 3*, τὰ αἰσχρά. Pag. 350
359. D. interpretatio nimis virum facit *Catonem*. *Plutarchus*, ὥστε γυναικὶ πρεσβύτης ὢν σφόδρα πλησιάζειν. Interpres, *fœminis grandævus percrebro jungebatur*. Pluralis ille, & illud *percrebro* Herculem narrant, de quo nihil aliud *Plutarchus*, quam grandem natu adhuc usum esse uxoris amplexu. Σφόδρα illud ad πρεσβύτης pertinet, non ad πλησιάζειν. Plura sunt, quæ ex varietate lectionis primum hic vulgata ad juvandum scriptorem, qui vel solus Bibliothecam ornare atque implere potest, proferri poterant. Sed modus servandus est. Illud quidem optamus, ut, cum hac editione longe maxima pars doctorum apud nos hominum careat, illam iis commoditatem præstet aliquis, ut varietatem scripturæ & notas, singulis Voluminibus hic subjunctas, quæ quidem

dem in paucissimas plagulas conferri possent, seorsim edat, *Wecheliana* atque *Parisiensi* editionibus accommodatas. Quibus res lauta permittit, & φιλοκαλία sua suadet, ipsam, quam adhuc laudavimus, editionem parare, tamen habebunt, in quo se beatiores ceteris putare possint, splendorem insignem, quem augent imagines excellentium virorum, ex *Fulvio Ursino* petitæ, & vitis ipsorum pro ornamentis, quibus in fronte solent ferire oculos librarii (*Vignettes*), præpositæ.

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES AB ANno Aeræ Christianæ D ad MD. Collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS, Serenissimi Ducis Mutinæ Bibliothecæ Præfectus.

Tomus XX.

Mediolani, ex Typographia Societatis Palatinæ, 1731, fol. Alph. 6 plag. 19, cum fig. æn. 4.

Et sponte nostra, & ita ferente nostro instituto, accedimus ad limen *Tomi Vigesimi Scriptorum Italiæ*. De cujus pretio ut recte existimare possint Lectores nostri, vel nominatim, quos is nobis exhibet, Scriptores indicasse, &, quæ de his in Præfationibus nos docuit *Muratorius*, more nostro summatim attulisse, satis fuerit. Quorum commemorationem non minus Italis, ad quorum amplificandum decus hæc pertinent, quam Lectoribus nostris ad unum omnibus, fore jucundam, confidimus. Inscripsit hunc *Tomum Societas Palatina Francisco Mariæ Estensi, Rinaldi I*, Mutinæ Regii Ducis, filio, cujus & generosissima indoles magnoque Principe dignæ virtutes, & in *Muratorianos* labores merita, exquisitis laudibus condecorantur. Dedicationis formulam excipit *Jo. Bandini de Bartholomæis Historia Senensis, ab A. 1402 usque ad 1422, continuata a Franc. Thomasio, ejus pronepote, & a Petro Russo, usque ad A. 1468;* Opus rerum magis delectu, & elegantia sermonis Latini, quam pagina-

rum

rum numero, æstimandum. Habet hic Respublica Senensis rerum suarum inde ab A. 1402 ad 1468 narrationem continuam, etsi, Scriptorum forte negligentia, paucis in locis interruptam, certe nimis adstrictam. Non unius hominis labor est, sed, quæ inde ab A. 1402 ad 1422 memorantur, *Jo. Bandino de Bartholomæis*, quæ ab A. 1422 ad 1428, *Franc. Thomasio*, quæ ab A. 1428 ad 1440, *Petro Russo*, insigni Philosopho, denique, quæ ab A. 1440 ad 1468, eidem, quem modo diximus, *Thomasio* debentur. Hujus Historiæ Codicem MStum, unde hic transscripta exhibetur, acceptum tulit Cel. Editor *Huberto Benvogliento*, Patricio Senensi, ei ipsi, cujus ad *Historicos Senenses* Præfatio legitur *Tomo XV* hujus *Collectionis*, unde scilicet eorum, quæ ad fata & doctrinam *Bandini*, *Thomasii*, & *Russi*, pertinent, cognosci bene multa possunt. Subsequuntur hunc libellum *Commentarii Comitis Jacobi Picinini, sive Diarium rerum ab ipso gestarum A. 1452, fervente bello inter Venetos, & Franciscum Sfortiam, Mediolanensium Ducem; Autore Porcellio, Poeta & Scriba Alphonsi primi, utriusque Siciliæ Regis.* Habes hic brevem belli, quod A. 1451 & 1452 *Francisco Sfortiæ*, Principi Mediolanensi, fuit cum Senatu Veneto, historiam, eamque tam suaviter & venuste compositam, ut animum pascere lectoris vel morosissimi possit, cumque parum in rebus ipsis, quæ enarrantur, momenti insit, suum tamen levissima quæque a facundia scribentis decus mutuentur. Fuit enim ingenio *Porcellius* minime vulgari, & Latine excellenter doctus, ut, quicquid scriberet, & nativo vigore, & sermonis elegantia, placeret. Adhæc iis omnibus, quæ refert, ipse spectator adfuit, ab *Alphonso*, Rege Siciliæ, Venetorum partes sustinente, ut in ipsis Venetorum castris belli omnes vicissitudines & successus notaret, stipendio conductus. Quod *Jacobi Picinini*, fortissimi Venetorum ducis, etsi patri suo *Nicolao* haudquaquam paris, nomen in fronte libri inscriptum legitur, id factum a *Porcellio* honoris causa, tum ob virtutem ejus militarem, quæ in hoc bello maxime eminuit, tum ob collata in se beneficia, hospitiumque in castris sibi præstitum. Nec desunt in ipso Opere præclarissimorum facinorum, quibus

Digitized by Google

bus famam ille suam posteritati commendavit, descriptiones magnificæ ac Rhetoricis pigmentis exornatæ, eruntque, qui non satis ad historicam simplicitatem accedere existiment illustrem illam *Scipionis* appellationem, quam velut bene gestarum præmium ab Autore tulit dux ille sat nobilis, etsi forsan nobilior, nisi in ipso ætatis flore, annorum vix 36 cursum emensus, Neapoli, Regis *Ferdinandi* fraude nefaria, & clandestino *Francisci Sfortiæ* consilio, periisset. Codicem, unde petiti sunt hi Commentarii, eumque nec inspectum antea, nec cognitum, cuiquam, cum Cel. Editore communicavit *Jo. Horatius Albrizius*, Patricius Bergomas. Ad cujus calcem cum unum aut duo folia desiderentur, nec hæc aliunde supplere licuerit *Muratorio*; jacturam hanc æquo animo ferre decet Lectores, idque hoc magis, quo levioris, quæ desunt, esse momenti videntur. Nam, quæ ipsum Venetorum bellum spectant, hic prorsus habentur integra, ut abesse cetera absque magno libri detrimento possint. Autorem libri quod attinet, nomen ei *Porcelli*, seu *Porcellii*, fuit, a porcellis ita dictum, quod, cum inelegantius formatum putaret, forsan postea cum mitiore *Porcelii*, quod ipsum habet Codex *Albrizii*, commutavit noster Historicus. Non, quod *Vossius*, &, qui eum secuti sunt, alii, perhibent, ætas ejus in annum 1370, sed, quod ex Opere præsenti manifesto apparet, in annum maxime 1452 & sequentes, incidit. Patriam habuit Neapolim, &, quod ipse nos in his Commentariis docet, *Secretarii* in Aula Regis Neapolitani munus obiit, ceterum exquisitæ vir doctrinæ & ingenii limatissimi, Poeta tolerabilis, & excellens Historicus, Historiis tamen, quam Carminibus, scribendis aptior, etsi hæc ipsa lauream ei, insigne Poetarum decus, acquisiverint. Præter Historiam, quam hic sistit *Muratorius*, aliud hujus scriptoris Opus, in membrana scriptum, quod Partem alteram dicere præsentis possis, in Bibliotheca quadam Veronensi latet, ita quidem inscriptum: ***Commentariorum secundi anni de gestis Scipionis Picbinini, exercitus Venetorum Imperatoris, in Hannibalem Sforciam, Mediolanensium Ducem, ad Serenissimum Principem, Franciscum Foscari, Venetorum Ducem,***

per Clariss. Historicum & Poetam laureatum, Porcellium, Neapolitanum. Quod, cum facile appareat, historiam continere eorum, quæ anno altero gesta sunt inter *Sfortiam*, Mediolanensem Principem, & Senatum Venetum, non minus, quam præsens Opusculum, dignum putandum est luce publica. Neque dubium est, in Operibus hujus Autoris MStis, quæ quatuor Voluminibus distincta, ornarunt olim Bibliothecam Ducum Urbinatum, postea, ut suspicatur Cel. *Muratorius*, cum ceteris Urbinatibus MStis translata in Vaticanam, ejus generis multa esse, quorum lectio & voluptati esse eruditis, & emolumento, possit. Pergimus ad *Poggii Historiam Florentinam, a Jo. Baptista Recanato, Patricio Veneto, jam pridem in lucem editam, notisque & Autoris vita illustratam, nunc vero ab eodem auctam, & recognitam.* Historia hæc, Latine composita a *Poggio*, scriptore incomparabili, & scribendi arte vix superiori ætate sui similem habente, non nisi anno demum 1715 Venetiis, opera *Jo. Bapt. Recanati*, in lucem exiit, etsi multos annos ante cognita eruditis fuerit interpretatio ejus Italica, a *Jacobo*, *Francisci* filio, adornata. Quod vero ejus nunc iterum edendæ consilium ceperit *Muratorius*, id tum dignitate ac præstantia Operis factum, tum quod videret, apprime eam facere ad supplendos rerum Florentinarum scriptores reliquos, *Sozomenum, Ginum & Nerium Capponios*; & *Villanos*, jam olim in hac *Collectione* publicatos, quorum si Opera inter se conjungas, omnibus numeris absolutam habes Florentinæ Reipublicæ Historiam, nec novam facile eorum, quæ *Aretinus* olim & *Boninsegnius* dedere, a *Muratorio* editionem expetes. Adhæc bonam rem putamus, quod cum industria *Muratorii* suam conjunxit Cl. *Recanatus*, notasque, quibus ornatam olim prodire jussit *Historiam Poggianam*, partim recognovit accurate & emendavit, partim accessionibus locupletavit haud contemnendis. De vita & scriptis *Poggii*, non opus esse putavit, ut quidquam adderet in Præfatione, *Muratorius*; quandoquidem copiosam satis & lectu admodum jucundam *Poggii* Vitam ejus Historiæ præmisit *Recanatus*, quam & ipsam, nunc politius limatam, in fronte Operis collocan-

locandam duxit Cel. Editor. Illud tamen ignorare Lectores suos noluit, non nisi *Poggii* hujus opera factum, ut integræ jam legantur *Quintiliani Institutiones Oratoriæ*, quæ mutilæ valde multisque modis corruptæ ambulaverant olim inter eruditos. Earum Codicem vetustiorem tenet Bibliotheca *Ambrosiana*, ad cujus calcem legitur *Epistola Poggii ad Joannem, Amicum suum*, quam, utpote nemini eruditorum, quod scimus, adhuc cognitam, Præfationi suæ integram subjunxit *Muratorius*. Addit, in eadem Bibliotheca exstare ingens Volumen *Epistolarum Poggii*, quas, si non omnes, certe partem maximam, eruditis putat innotuisse nondum. Denique & illud ex Cel. *Muratorio* discimus, prodiisse A. 1721 doctissimi *Recanati* librum, *Osservazioni Critiche ed Apologetiche*, oppositum Cl. *Jacobo Lenfant*, qui, cum A. 1720 Amstelodami ederet *Poggiana*, non omni ex parte visus est assensum præbere *Recanato*, ab hoc ideo notatus publice, & maximorum errorum postulatus. Ducit nos hujus *Tomi* filum ad *Joannis Ferrariensis, Ordinis Minorum, Excerpta ex Annalibus Principum Estensium ab A. 1409 ad 1454*, ex Codice Bibliothecæ Estensis huc translata. Pertinent hæc ad supplendos *Annales Estenses*, nec non *Jacobi de Delayto de Rebus gestis Nicolai III, Marchionis Estensis*, Commentarium, huic *Collectioni* jam olim a Cel. Editore illatos. *Excerptorum* nomen Autor Operi inscripsit, quod ex variis illustrissimæ domus Estensis annalibus, ab Autore scriptis non uno, hoc quicquid est libelli, congessit. Sed verius, quæ hic proferuntur, *Excerpta Excerptorum* dixisset Editor, quippe quæ *Excerptorum* non nisi particulam, *Nicolai* nempe *III*, Marchionis Estensis, nec non Principum clarissimorum, *Leonelli* & *Borsii*, res ab A. 1409 ad 1454 gestas continent. Satius enim duxit *Muratorius*, expromi hic ea, quæ in hac *Collectione* videri nova possent, quam, si Opus integrum, inde ab antiquissimis domus Estensis temporibus deductum, exhiberetur, Lectoribus partim fabulas, partim ex *Annalibus Estensibus* & *Delayti Commentario* jam cognita, apponi. Præmisit hæc prodromi instar majoris & molis & dignitatis Operi, rerum ab

Digitized by Google

A. 1409 ad 1454 in Ferrarienſi Republica geſtarum hiſtoriam complexuro, cujus proxime edendi nobis in Præfatione ſpem facit. De *Fratre Joanne Ferrarienſi* parum aut nihil ex illius ævi monumentis conſtat, nec, quod ſcimus, de ejus doctrina, niſi ex præſenti libro, exiſtimari poteſt. A *Leonello* Principe datum ei in Academia Ferrarienſi Philoſophiam docendi munus publicum, ex ipſo hic docemur, nec expertem elegantiorum literarum fuiſſe, ipſa ſermonis, quo hic utitur, concinnitas & elegantia teſtatur. *Excerptis* his adjunctam a Cel. Editore vides *Bartholomæi Platinenſis vitam Nerii Capponii*, jam olim *Tomo XVIII*, quo hujus *Capponii de Rebus Florentinorum* Commentarii exhibentur, a Cel. Editore promiſſam, nunc a Marchione *Alexandro Capponio*, ex *Nerii* ſtirpe oriundo, perlubenter cum ipſo communicatam. Suo merito in *Collectione* iſta locum hæc invenit, quod hiſtoriam illorum temporum mirifice illuſtret, & imaginem ſiſtat partim præclari civis, partim excellentis Hiſtorici. Fuit enim & in rebus gerendis dexteritas hujus *Capponii* plane ſumma, & doctrina minime vulgaris, ut copioſius, præeunte *Muratorio*, diximus in *Actis A. 1732 p. 565 ſeq.* Autorem hujus vitæ Editor dicit *Barth. Platinam*, nihil diverſum ab eo, cujus exſtat *de Vitis Pontificum* Opus eruditum, & *Hiſtoriæ Mantuanæ Commentarios* paulo poſt commemorabimus. Non dubitare de eo nos ſinit Codex hujus Vitæ MStus, quem Marchioni *Capponio* ſuppeditavit Bibliotheca *Strozziana*, in cujus fronte inſcriptum legitur nomen *Platinæ*; ut mirandum omnino ſit, de hiſce *Platinæ* in *Capponium* meritis commune prorſus ad hunc uſque diem ſcriptorum vel diligentiſſimorum ſilentium fuiſſe. Scribendi Operis autor ei fuiſſe creditur *Ginus*, *Nerii* filius, conſervandæ memoriæ paternæ cupidiſſimus. Huic ipſi in Præfatione commendatum cupit laborem ſuum, & inter ſcribendum ſemper ei ad manus fuiſſe *Capponiorum de Rebus Florentinis Commentarios*, Lectori diligenti facile apparet. *Vita Capponii* opportunum comitem nacta eſt *de Vita Jannotii Manetti, clariſſimi civis Florentini, ab A. 1396 ad 1459*, libellum *Naldi Naldii, Florentini*; cujus & a ſuavitate orationis, & a digni-

tate

Digitized by Google

tate argumenti, magna esse commendatio potest. Vitam enim & laudes doctissimi Italorum, *Jannotii Manetti*, cujus *Historiam Pistoriensem Tomo XIX* ex MSto dedit *Muratorius*, & proxime dabit *Nicolai V*, *summi Pontificis*, *Vitam*, ita hic memoratas celebratasque vides, ut, quod desiderari possit, nihil sit, & ingenium ubique ac industriam Autoris facile agnoscas. Nec obscurum hujus *Naldii* inter eruditos nomen fuit, quippe *Marsilio Ficino* & *Angelo Politiano*, ut ex illius *Epistolis*, hujus *Carminibus*, constat, carissimi, & inter Poetas illius ætatis non postremo loco nominandi. Codicem hujus *Vitæ* MStum, unde huc translata est, ipsius forte *Naldii* scriptum manu, Florentiæ tenet *Bonagiunta Manettus*, a quo facile impetratum cum Cel. Editore communicavit *Franciscus Marmius*, Eques S. Stephani, Vir humanus, & *Muratorii* sui studiosissimus. Accedimus jam ad Opus compositissimum, etsi minime novum, cujus paulo ante fecimus mentionem, *Bartholomæi Sacchi*, *Cremonensis*, *e vico Platina*, *vulgo appellati Platinæ*, *Historiam urbis Mantuæ, ab ejus origine*, *usque ad A. 1464*. Eam, jam olim promissam a *Joanne Oporino*, Typographo Basileensi, sed non nisi a *Petro Lambecio* anno demum 1675 Vindobonæ, cum Notis in anteriorem *Libri I* partem, primum editam, paucis vero Italorum ad hunc usque diem cognitam, denuo cum his ipsis Notis in hac *Collectione* publicandam duxit Editor, ne, cum aliæ omnes Italorum Respublicæ nobilissimæ antiquitatum suarum in hac *Collectione* monumenta legerent, uni Mantuanæ, de quo gratias haberet *Muratorio*, nihil esset. Et, quamvis non ignoraret ipse illam alteram *Marii Equicolæ*, annum circiter 1521 scriptam, sed vulgatam demum A. 1610, Mantuanæ urbis historiam, non indiligenter compositam, quin ita comparatam prorsus, ut non uno in loco vel emendando, vel supplendo *Platinæ* commode possit inservire, tamen, cum is ipse sermone usus sit vernaculo, eoque parum eleganti, &, quod præcipuum est, ad recentiorem ætatem propius accedat, non ei postponendum putavit *Platinam*, ejus quippe & sermonis & ætatis scriptorem, quæ huic *Colle-*

ctioni

ctioni convenire omnium maxime videretur. At, quæ ejus est in his rebus fides & solertia, cavere simul jubet lectores, ne nihil in hoc scriptore vituperandum putent. Nam, quod partim in rebus antiquissimis levia & inutilia persequitur, nec ab erroribus satis sibi temperat, adhæc, quæ inde a primis Reipublicæ incunabulis ad annum usque 1146, hoc est, ad *Conradi Suevi* tempora, Mantuæ gesta sunt, memoratu non indigna, plane reliquit intacta, denique de illustrissimæ gentis *Gonzagæ* dignitate & in Italiam meritis ne verbum quidem attulit, in eo multum eum abesse a diligentis scriptoris laude judicat. Qua occasione, forte non satis opportuna, acriter reprehendit impudentiam scriptorum quorundam, qui, vetustissimæ gentis *Gonzagæ* dignitatem & merita posteritati tradituri, turpissimis fabulis vetustatem ejus & splendorem obscurarunt. Quæ si quis nosse plenius cupiat, ex ipso *Muratorio* discat, nec, quæ videntur esse ab hoc loco alieniora, ut fusius edisseramus, a nobis poscat. De Autore Historiæ, *Platina*, tot eruditorum laudibus celebrato dudum, nec cuiquam facile ignoto, vel tribus verbis dixisse, sufficiat. Floruit is per integrum fere Seculum XV, natus in vico *Platina* A. 1421, & mortuus Romæ A. 1481. Omnia potius de eo, quam prænomen ejus, scire nobis certo datum est, *Baptistam* aliis, aliis *Bartholomæum* appellantibus. Et verior quidem sententia posterior videtur, cui & novum robur addit *Muratorius*, in *Ambrosiana* Bibliotheca Codicem latere MStum testatus *Dialogi* hujus Autoris *de Flosculis linguæ Latinæ ad Lælium*, & in Urbinate alium *Vitæ Pii, Pontif. Max.* in quorum fronte antiquis literis inscriptum sit nomen *Bartholomæi*. Cetera, quæ ad munera publica & doctrinam *Platinæ* pertinent, larga manu suppeditat *Francisc. Arisius* in *Cremona literata*. *Historiam Mantuanam* excipiunt *Antonii de Ripalta*, *Patricii Placentini*, *ejusque filii*, *Alberti*, *Annales Placentini ab A. 1401 ad 1484*. Ex quo Cel. Editor publici juris fecit in hac *Collectione Chronicon Placentinum Joannis de Mussis*, ab A. 222 ad 1399 deductum, totus in eo fuit, ut, sicunde se ipsi ostenderet scriptor aliquis

Pla-

Placentinus, in enarranda Seculi ſequentis hiſtoria occupatus, eum ſimiliter in decus urbis antiquæ protrahere e tenebris, & illi *de Muſſis* addere comitem poſſet. Nam, quæ ad ipſum miſerat Cl. *Apoſtolus Zenus*, Opuſcula bina, alterum *Ricobaldi Ferrarienſis, de Origine urbium Italiæ, & ipſius Italiæ primo incolatu*, refertum fabulis ac ineptiis, alterum *Petri de Ripalta, de Antiquitatibus & Actis memoria dignis, factis & occurrentibus in Lombardia, & ſpecialiter in Placentia*, non ultra annum 1374 excurrens, nec quidquam continens, quod non diligentius expoſitum a *Joanne de Muſſis* legatur, haudquaquam ejus eſſe pretii putavit, ut ex eorum lectione multum commodi expectandum ſit eruditis. Nec vota ejus fortuna fefellit; quippe obtulit ſe ei *Antonii* & *Alberti de Ripalta*, patris & filii, *Chronicon Placentinum*, ab A. 1400 ad 1484 perductum, quod ſuo inſtituto putaret accommodatiſſimum. Sed, cum ad illud deſcribendum convertiſſet curam ſuam, factum eſt, ut *inopinatus* (utimur ipſius verbis) *ac moleſtus turbo inſurgeret, qui ipſi e manibus non ſine grandi fragore Codicem excuteret, & una cum eo ſpem omnem evulgandi eriperet.* Neque tamen ſic penitus commoda noſtra intervertit invidia hominum; quin potius evenit ſucceſſu temporis, ut partem ejus *Chronici* ad Editorem transmitteret Cl. *Franc. Ariſius*, Cremonenſis, Ordinum patriæ ſuæ, ut vocant, Conſervator, nec ita multo poſt ille ipſe, quo exciderat ante, integer *Chronici* Codex in manus ipſius rediret beneficio S. Rev. *Alexandri Chiappinii*, Placentini, Abbatis ac Viſitatoris Canonicorum Regularium Lateranenſium. Ita ereptum injuriæ ætatis plenum optimarum rerum Opus vides, in quo patri *Antonio* rerum inde ab A. 1400 ad 1465 geſtarum hiſtoriam, reliqua ad annum uſque 1484 filio *Alberto*, qui & Opus integrum in ordinem redegit, utriſque rerum ſuo tempore geſtarum ſcriptoribus, accepta ſunt ferenda. De horum vita & fatis ex ipſo *Chronico* haurire licet quamplurima. Et *Antonius* quidem, cui frater fuit *Jacobus*, ad A. 1447. quo Placentia *Franciſco Sfortiæ* in prædam ceſſit, de ſe ipſe refert, cum civibus ſuis ab hoſte captum, ſed poſt quatri-

triduum vinculis & urbe patria dimissum, nec, nisi exactis diebus tribus & viginti, cum omni domo sua reversum. Supremum vitæ annum habuit 1463, *Vir*, testimonio *Alberti*, *magnæ rerum experientiæ, intellectus, & prudentiæ, qui multa ornate, graviter, & copiose, scripsit tam in Historia, quam Epistolis & Carminibus, ut nullo unquam tempore ab officio scribendi, legendi, orandi, aut aliquid boni operis peragendi, vigiliis, jejuniis, & eleemosynis vacaverit.* Nec quidquam parenti doctrina & factorum gloria filius *Albertus* cessit. Is, pueritiam ingressus nondum, A. 1447 a *Sfortiano* milite in captivitatem adductus, inde evasit feliciter, a patre postea cum fratre *Michaele* studiorum causa in Academiam Ticinensem missus. Totum se, nihil moratus tenuem rerum suarum supellectilem, in ea urbe primum, deinde Ferrariæ, Bononiæ, ac Taurini, elegantioribus literis, nec non Pontificio ac Civili Juri, dedit, & in his tantos tempore brevissimo progressus fecit, ut jam A. 1465 laurea Doctorali donatus, *Jurisconsulti summi, Oratoris eloquentissimi, diligentissimi*que *Antiquitatum scrutatoris*, nomen acquisiverit. In Academiam Placentinam merita ejus haud vulgaria fuere. Nam, cum A. 1471 multa in eam, vel palam, vel per insidias, tentaret, & ex manibus extorquere ei lauream Doctoralem conferendi jus illustre laboraret vicina Ticinensis, solus fere hos conatus autoritate sua irritos effecit. In Tabulario Academiæ Placentinæ asservantur *Orationes* ejus MStæ binæ, miræ prorsus suavitatis, altera *coram Galeatio Maria Sfortia, tunc Mediolani Duce, & Placentiæ Domino*, altera *ad Bartholomæum de Meliis, Placentinæ Civitatis Prætorem*, habita. Et, compositam ab eo *Placentinæ civitatis historiam*, hac ipsa longe locupletiorem, inde ab antiquissimis ad recentiora tempora res hujus urbis memorabiles enarrantem, pervulgatum est fama, nescimus, an satis certa. Ceterum, in nobilissimis Placentinæ urbis numeratam olim *Ripaltarum* domum, tum aliunde, tum ex ipso hoc *Chronico, Turrim Nobilium de Ripalta* memorante, certo constat. Postremo omnium loco comparent tria *Petri Candidi Decembrii*, doctissimi Italorum, qui cum paucis

cis Seculo XV bonas literas in Italiam reduxit, Opuſcula, *Vita* nempe *Philippi Mariæ Vicecomitis, Mediolanenſium Ducis tertii*, tum *Vita Franciſci Sfortiæ, quarti Mediolanenſium Ducis, rerum ab A. 1401 uſque ad 1462 hiſtoriam continens*, denique *in Funere Nicolai Picinini Oratio, ſive geſtorum ejusdem bellicoſiſſimi Ducis hiſtoria.* Primum ex his jam olim A 1625 prodierat Mediolani, ſed multum pretii accedit huic editioni novæ ex adjectis Supplementis & Lectionibus variantibus, quas ſubminiſtravit Cl. *Argelato* Codex ejus Hiſtoriæ MStus, mendis purgatus pariter ac locupletiſſimus, ex Bibliotheca Monachorum Ciſtercienſium *S. Ambroſii*, qui Mediolani ſunt, mutuo acceptus. Reliqua duo lucem nunc primum vident. Et *Vitæ* quidem *Franciſci Sfortiæ* Codex vetuſtiſſimus ad hunc uſque diem Lutetiæ Pariſiorum latuit in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi, unde, non renuentibus Gallis, transſcriptam, ad *Muratorium* miſit *Dominicus Vandellius*, Mathematicæ jam in Academia Mutinenſi Profeſſor. Ut hiſtoria hujus *Sfortiæ* plena eſt rerum memorabilium, ita multum decoris ab artificio ſcribentis accepit, etſi, quæ hic leguntur, longe fuſius ſingula copioſiusque tradita ſunt a *Jo. Simonetta* in libro ſingulari, quem brevi nos Cel. *Muratorius* ab ipſo jubet expectare. Exſtat in Bibliotheca Eſtenſi Italice converſus liber *Decembrii* a *Polismagna* quodam, ſed cujus nullam Editor, cum Latina ſuppetant, habendam rationem putavit. Non æque comparatum eſt cum *Vita Nic. Picinini*, imperatoris ſtrenui, & præter *Sfortiam* nulli forſan in Italia ſecundi, cujus non verba Latina, ſed interpretationem ejusdem *Polismagnæ* Italicam, hic legimus, hauſturi hæc, quæcunque ſunt, ex ipſo fonte, ſi liceret nobis, lubentius. Ejusdem *Decembrii de Laudibus Mediolani Oratio*, ab eodem *Polismagna* reddita Italice, aſſervatur in Bibliotheca Eſtenſi, ſed in qua nihil ineſſe ſingulare viſum eſt Cel. Editori, præter pauca, quibus victoriam *Philippi Mariæ*, Ducis Mediolanenſis, in Venetos reportatam, Autor commemorat, ad calcem hujus *Tomi* adjecta. Quam vero is olim *ad Excuſationem Rebellionis Genuenſium Reſponſivam* ſcripſit, hanc alio tempore daturum

ſe integram pollicetur. De Autore horum librorum, non niſi iis ignoto, qui prorſus ſunt in re literaria hoſpites, ne nihil dicamus, dicemus pauca. Natus A. 1399, patre *Uberto*, *Joanni Mariæ Vicecomiti*, Mediolanenſi Duci, ab Epiſtolis, viro & erudito & eloquente, ab ineunte ætate ad ipſum uſque vitæ finem, quem habuit A. 1477, totus fuit in liberalibus ſtudiis, & inter primos fuit, qui linguam Romanorum veterem purgare barbarie ſordibusque ſuis conarentur. Scripſit *libros*, ſi Epitaphio ejus credendum, *ſupra CXXVII, vulgaribus exceptis*, partim editos jam pridem, partim adhuc ſub tenebris gementes. Adhæc primum in *Nicolai V*, Pontificis, tum in *Philippi Mariæ Vicecomitis*, Ducis Mediolanenſis, denique in *Alphonſi*, Regis Neapolitani, aula munera obiit ſplendidiſſima, & in his nemini non probavit dexteritatem ſuam ac prudentiam.

EXAMEN DU PYRRHONISME, ANCIEN & moderne, &c.

h. e.

EXAMEN PYRRHONISMI VETERIS ET RECENTIORIS; Autore JO. PETRO DE CROUSAZ, *Academiæ Gallicæ Scientiarum Socio, Sereniſſimi Principis Haſſo-Caſſellani, Friderici, Præceptore, & R. M. Sueciæ a Conſiliis Legationum.*

Hagæ Comitum, apud Petrum de Hondt, 1733, fol.
Alph. 8 plag. 8, Tabb. æn. 2.

MAgnam ſibi nominis celebritatem cum aliis, cuiusmodi ſtatuit complura, ingenii monumentis paravit *P. Balius*, tum inprimis libro, uti dicitur, Lexico, hiſtoricæ, criticae, philoſophicae, quin univerſae, qua patet, eruditionis apparatu tam cumulate inſtructo, ut in hoc uno, quantum efficere poſſit, videatur expertus. Quantum autem cunque præclaro hoc opere fuerit nobilitatus, haud exiguum tamen eo

Digitized by Google

eo existimationis detrimentum fecit. Instinctu enim naturæ, quam in hoc propemodum uno maleficam nactus erat, ad Scepticismum ferebatur Noster, qui quidem, volutatis assidue Scepticorum, *Sexti* praecipue *Empirici*, scriptis, multo inhæserat altius, quam ut occultari amplius posset. Hinc in eodem illo Lexico de ratione satis tenuiter subinde existimabat, utpote quam natura sua ita comparatam esse arbitrabatur, nulla ut de re certam firmamque assensionem habeat, sed potius, Penelopes haud dissimilis, telam, interdiu contextam, noctu iterum dissuat. Scepticorum contra rationes, subtilius limatas, novis firmare præsidiis studiose connitebatur, veritatemque, uno quidem loco a dubitationibus naviter assertam, altero, secus sentientium argumentis solertissime exaggeratis, revocare in incertum studebat, ac de re quavis tanto acumine in utramque disputabat partem, prorsus ac si cum Arcesila aut Carneade de principatu contendere vellet. Nimia autem hæc atque inconsulta certissima quævis convellendi libido, quanquam a pluribus jam dum fuerit notata, ac, prout usus ferebat, quadam animadversione excepta; nemo tamen unus extitit, qui eam in *Balio* vivo ac superstite coercere aut reprimere dedita opera studuerit. Immo, quod magis mirari poteras, ne post fata quidem viri, quisquam has in sese partes suscipere conatus est, ut tot tantique momenti veritates, dubitationibus ejus lacessitas, in tuto collocaret. Celeberrimo igitur Operis, quod præ manibus habemus, Autori hæc provincia reservata esse videbatur. Qui quidem fama edoctus, periculosas *Balii* opiniones, in Lexico libro dispersas, multorum sese animis insinuare, eædem ut mature evellantur, adornata longiore Pyrrhonianarum hypothesium refutatione, efficiendum esse putavit. Hac mente ad legendum Lexicon, nunquam ante hoc tempus cum cura sibi, quod ait, evolutum, reliquave Opera *Balii* perlustranda accessit, in eoque inprimis elaboravit, ut argumentationes, hinc inde dispersas, in certos distribueret locos, concisiusque proponeret, quæ pro sua facundia latius edisseruerat *Balius*. Cuius quidem laboris, neque levis profecto, nec sine tædio suscepti, fructus iis aliquando constabit uberius, qui, jactis hisce funda-

 men-

mentis, confutationem errorum *Balianorum* suis absolutam numeris superstruere tentabunt. Talem enim sese dedisse, quæ ejus est modestia, confirmare non audet, ut qui satis habeat facem prætulisse quibusdam, qui alias dubitationum involuti tenebris, a via aberrassent. Atque ex ea re veteres etiam Scepticos non intactos dimisit, quorum fere omnium, *Sexti* inprimis, acumina, operose retudit, eodemque loco excussit, quæ hanc in sententiam commentatus erat *Balius*. Ast nolumus detinere longius Lectores nostros in limine, sed eos potius ad contuendum opus ipsum haud inelegans propius adducemus. Divisum est illud in Partes tres; quarum prima *de Pyrrhonismo generatim* exponit, altera in *Philosophiam Sexti Empirici*, hypotyposium & contra Mathematicos libris comprehensam, inquirit, tertia *opiniones Balii, Pyrrhonismo faventes* excutit. Nos potiora ex singulis capita delibabimus. *Partis I Sect. I* occupatus est Autor Cel. ut, quid Pyrrhonismus sit, qualesque sint ejus defensores, accurate definiat. Quod ut obtineat certius, fingit sibi Philosophum ex Indorum gente, rerumque inter eruditos in Europa gestarum plane ignarum, quicum colloquatur, cui exponit, quanta etiam cunque Systematum copia sit, esse tamen quosdam, qui de certitudine rerum omnium dubitent. Hæc dum ille miratur, immo, utrum prorsus fieri possint, dubitat, distinguere eum jubet illud, quod quis præ se ferat, cum eo, quod intus statuat, tum id, quod omni fiat tempore, ab eo, quod per vices contingat. His præstructis, ostendit, nec impossibile, nec improbabile esse, ut quis subinde acerrime propugnet, nihil firmiter cognosci posse, idem tamen mox ita sentiat, agatque, ac si eandem, quam reliqui mortales, pro-
Pag. 3. fiteretur sententiam. Immo intimos mentis humanæ pertentanti recessus appariturum esse censet, quanta iis insit ad Pyrrhonismum proclivitas. Quanquam autem Indo suo tale genus hominum, quale descripserat, videatur monstrosum omnino, a quorum nos commercio longissime removere oporteat, ei tamen uberius commonstrat Noster, quare id nec
5, 6. fieri possit, nec, ut fiat, opus sit. Quo latissime ostenso, exquirit,

quirit, quantum corrupti inter Christianos mores ad stabiliendum Pyrrhonismum conferant, quantaque is capiat incrementa eo, quod sola doctorum autoritate innixi, de veritate religionis persuasi sint quamplurimi, ipsi vero circumspectius ejus examen negligant. Reversus post hæc, unde fuerat digressus, quanam ratione cum Pyrrhoniis sit agendum, edisserit, quos admodum leniter tractandos esse optime monet, maximeque omnium ab irrisione, acerbitate, ac contemtu, abstinendum esse, judicat, quo facilius, nisi res plane sit desperata, in viam reducantur. Quibus omnibus maximo verborum apparatu disputatis, breviter tradit, qualem sibi mente concipiat Pyrrhonium. Esse scilicet hominem, contrarias Pag. 13.
semper partes tuentem, non, quo instruatur de veritate, sed ut ejus lumine, pulverem ante se excitando, tanto minus collustretur: eundem tamen varium & mutabilem esse; si quid enim perversis suis appetitionibus sit conforme, eandem, quam alii teneant, philosophandi rationem sequi, seque ita gerere, ac si de omnibus certissime convictus esset. *Sectio II* destinata est causis edisserendis potioribus, ex quibus Pyrrhonismus plerumque nascatur. In his numerat 1) intempestivam, omnesque pervagatam disciplinas, libidinem conjecturas proponendi, &, quod pejus est, pro exploratis venditandi veritatibus. 2) Affectationem scientiæ insignis, &, qui hinc prodit, pruritum disputandi. Hic, uti jam olim Græcos præcipites in Pyrrhonismum dederat, inter Christianos homines tum maxime invaluit, cum Theologia, illatis in eandem terminis obscuris & ut plurimum inanibus, spinosis quæstionibus augeretur. Quo loco digreditur Autor ad percensenda gravissima damna, ex præpostera contradicendi cupiditate orta, qua juvenum animi in Academiis subinde imbuuntur. Refert huc 3) ambitionem, immoderatamque honorum cupiditatem, qua incensi plures studiis operam navant, satisque proinde habent, nosse, quæ in ea provincia, in qua honores ambiunt, pro vero haberi soleant, quæ quadantenus memoria complectuntur. At hi, dum de rebus arduis rogati sententiam, vel tacent, vel nihil ad rem accommodatum respondent, multos

Margin: 15. (beside "nismus plerumque nascatur"), 18. (beside "veritatibus. 2)"), 20. (beside "qua juvenum animi")

adducunt, ut omnia, quæ credunt, aut profitentur, pro falſis
habeant. 4) Perverſam rationem ſtudendi, ſine ordine &
judicio initam, unde levitas deſultoria, inconſtantiaque in
ſentiendo oriuntur; 5) anguſtam, qua plures laborant, mentem;
hac enim præditi, deſperant primo, ſe quid percepturos
eſſe, poſtea ſenſim percipi illud omnino non poſſe
opinantur; 6) nimium ſciendi ardorem, quo flagrantes, provolant
ad condenda ſyſtemata, quæ mox ipſi deſtruunt; 7) laborum
impatientiam, junctam cum opum acquirendarum
Pag. 26. cupiditate; 8) mentem a religione averſam, atque ad Libertiniſmum
credendi proclivem, quo loco media ſuggerit,
quibus, ne malum hoc ſerpat latius, caveri poteſt; 9) ma-
30. lam methodum docendi, in ſcholis receptam. Ubi denuo ad
controverſias eruditorum dijudicandas digreditur, earumque
vanitatem, quam ſæpe oſtendunt, multo ſale perſtringit, tandemque
ante oculos ponit, quo modo & ii eruditorum, qui
nominis dignitatem vere tuentur, Pyrrhoniſmo ſuppetias ferant.
Meretur utique tota hæc Sectio, perquam ſelectis obſervationibus,
iisque eleganter admodum ac urbane conceptis,
refertiſſima, attentius conſiderari; adeo, quicquid de ea dixerimus,
minus erit. *Sectio III* remedia præſcribit, quibus adhibitis,
tum caveri poteſt, ne mens noſtra in morbum tam gravem
incidat, vel effici, ne contagio ſerpat, inficiatque plures.
40 ſeq. Primarium autem remedium eſt, ut amorem illum, quo ad
cognitionem veri omnes natura ferimur, ſtudioſiſſime foveamus,
immo magis in dies accendamus. Hoc enim inflammati,
facili opera nihil eorum non evitabimus, quæ, uti ſupra dictum
eſt, Pyrrhoniſmo ſtabiliendo utcunque inſerviunt. Hanc
cauſam Autor particulatim perſequitur, ac ubique oſtendit, nihil
repugnare, quo minus mentes teneræ amore veritatis, ordinis,
virtutis, honeſtatisque, imbuantur mature. His vero ſic
diſputatis annectit locos *Bælii*, ubi eandem fere tuetur ſententiam,
tum eos, quibus a ſe ipſe diſſentit, quos non ſine re-
57. ſponſione dimittit. Jam *P. II Sect. I*, congeſtis in unum, quæ
ſparſim protulerat primo hypotypoſium libro *Sextus Empiri-*
61. *cus*, qualis ejus ſit philoſophia, ſummatim exponit. Tum
Sect.

Sect. II, qua in primum hypotyposium librum inquirit, præmisso charactere *Sexti*, ex ipsa Scepticorum philosophandi ratione probat, se de causis & remediis Pyrrhonismi apposite pronuntiasse. Postea Scepticorum indolem iterum ante oculos ponit, repugnantias eorum sophisticasque cavillationes uberius enarrat, denique autem concludit, parum ingenuos eos esse. Dum enim studiosissime elaborant, ne quid percipiant evidenter, aliis simul, ne iis ludibrium debeant, persuadere tentant, perpetua hac fluctuatione eam sese animi tranquillitatem quærere, immo etiam impetrare, in qua consequenda, dogmaticorum quicquid est, operam frustra collocet. *Sect. III* discutit Autor, quæ *L. II* hypotyp. continentur, quibusve nullum omnino veritatis dari criterium, oppugnatis, quæ hanc in sententiam afferuntur, argumentis, evincere studebat *Sextus*. Hinc, intermixto sæpius charactere Scepticorum, *Sexti*que præcipue, de differentia idearum sensualium & intellectualium, de vi syllogismi in cognoscendo vero, de usu definitionum, de toto, parte, genere, specie & accidentibus, suo modo libere fuseque disputat. At nos hic & in posterum summa tantum capita indicasse satis habebimus, cum, quo minus singula strictim enarremus, paginarum angustia prohibeat. *Sectio IV*, tertio hypotyp. libro opposita, confutationem dubiorum instituit, contra causæ primæ corporumque existentiam a *Sexto* formatorum, ubi *Balii* etiam acumina retundere conatur. Hinc extensionem materiæque in infinitum divisibilitatem asserturus, repetit, quæ pro hac confirmanda in Geometricis Institutionibus jam olim attulerat. Quo facto, doctrinam de motu longius traditam contra *Sexti Balii*que objectiones defendit, tandemque sophismata *Sexti* de quiete, loco, tempore, existentia numerorum, differentia boni & mali, de possibilitate artis systematisque regularum, dissolvit. Tali modo *Sect. V Sexti* contra Mathematicos Opus aggreditur, existentiamque entis supremi in tuto collocat. Deinde tricas illas expedit, quibus *Sextus* doctrinas insignes de unitate, certitudine, tum in ideis nostris, tum in rebus externis, de signis, existentia corporum, de motu ejusque causa,

Pag. 67. 85. 152.

causa, de certitudine matheseos, de puncto, linea, circulo &c. involverat. Ubique autem vanas Scepticorum exceptiones ostendit, atque eos, protractos e latebris, acrius adoritur. Et hæc quidem *Parte II* continentur. Progredimur ad *Partem III*, quæ tota confutando *Bælio* destinata est. Ac principio quidem Autor religiose confirmat, se bonitate tantum causæ fretum, hanc sibi provinciam imposuisse. Neque vero sibi fraudi esse putat, quod mortuo demum *Bælio* veritatem religionemque tuendam susceperit. Tot enim & inter ipsos eruditos principes esse ait, qui ejus partibus faveant, ut vel propterea tanto majori cupiditate perficiendi operis fuerit incensus. Ceterum *Sect. I* ea profert in medium, quæ ad cognoscendam indolem *Bælii* characteremque facere possunt. Duo autem fere, si Autorem nostrum audimus, sibi proposuisse videtur *Bælius*, dum animum ad scribendum appulit. Primo, ut mentem, intricatissimis oneratam dubitationibus, ab omni spe cognoscendi veri dejiciat. Tum, ut rationem cum fide adversa fronte committens, pervincat, absurdissimas quasque de Deo sententias eadem sese probabilitate commendare, atque illas, quæ unitatem entis optimi, providentissimi, sapientissimique stabiliant. Utramvis arripias opinionem, habiturum te esse, credit, quibus premaris, incommoda, quæve te ab eadem alienum reddant, habiturum vero e contrario commoda, quibus facile trahi possis, ut in eam propendeas. Sic, infirmata ratione, quo magis bonæ mentes in rebus ad religionem moresque pertinentibus corrumpantur, corrasit operose *Bælius*, quod demum cunque nequiter dictum factumque erat unquam, scribendique genere usus est tam libero, tam petulantique, ut sæpius ne obscœna quidem verba
Pag. 199 seq. devitaret. Hanc proinde licentiam, pestiferam sane ac perniciosam, graviter reprimendam sumsit Autor, ac luculenter ostendit, tantum abesse, ut pro ea excusanda solidi quidquam attulerit *Bælius*, ut potius pluribus locis aliter rectiusque sentiendo, sese ipse condemnet. Maculas hasce, atque item alias, haud sane leviores, quibus Opus suum, cetera egregium, consperserat *Bælius*, complures, dum viveret, jam perviderunt, quas ut elueret, conscripta apologia peculiari, operam,

Digitized by Google

ram, quam poterat, omnem impendebat, ſed in caſſum eundem laboraſſe, integra *Sect. II* commonſtrat Autor. Quo Pag. 239.
facto, *Sect. III* de Pyrrhoniſmo *Bælii*, ejusque periculoſis conſequentiis, exponit, opiniones ejus de proſpera, uti dicitur, adverſaque fortuna ſub examen revocat, tum vero, expenſis, quæ in ſcientias infert Pyrrhoniſmus, damnis, oſtendit, ideas religioni contrarias exterminari ſine ope rationis minime poſſe. Poſtea denique patefacit, in fumum abire omnia, quæ pro cauſa ſua tuenda adducit *Bælius*, cujus crebræ repugnantiæ oſtenduntur latius, animique character ex epiſtolis ejus evolvitur. Hujus autem Pyrrhoniſmi generatim adhuc conſiderati ſpecialius examen, qua diſciplinas partim, partim
qua doctrinas præcipuas ingreditur, atque ex ea re *Sect. IV* 342.
Logicum Bælii Pyrrhoniſmum excutit. Ad *tria* autem fere *Capita* reduci poſſunt, quæ hic diſputat Autor. 1) Oſtendit, dari evidentiam in cognitione, rebusque cognitis, qua de certitudine convincamur; 2) nulla ratione eos ſeſe excuſare poſſe, qui oculos ab ejus lumine abſcondant, eamque ſubruere conentur; 3) totam ſic everti humanæ naturæ indolem, quæ ſibi etiam relicta, hanc evidentiam agnoſcat, ac eam ducem ſequatur. Collatis hinc inter ſe pluribus *Bælii* locis, oſtendit, eum hanc, quam alibi omnibus modis evertit, evidentiam, ipſum ſatis agnoviſſe, ſuaque ſcribendi judicandique, quam tenuit, ratione, probaſſe ſæpius, veritatis aliquod crite-
rium omnino dari, &c. *Sect. V* de Pyrrhoniſmo *hiſtorico* 368.
agit, ac, expromtis primo notis, quibus de veritate narrationis vel teſtimonii certiores reddamur, fontem quendam detegit, ex quo idem frequenter emanet. Fieri enim ſæpius, ut de circumſtantiis quibusdam, magnum in re ipſa momentum habentibus, eo quidem tempore, quo id commodiſſime fieri poterat, nos haud ſufficienter inſtruamus, quoniam eas ad nos minime pertinere credimus. Tum vero media diſtinguendi verum a ficto ex ipſo *Bælio* profert, ac luculenter probat, ex minutarum quarundam hiſtoriolarum incertitudine male concludi ad convellendam hiſtoriæ univerſæ firmitatem.
Pyrrhoniſmum *Phyſicum Sect. VI* tanto minori apparatu 382.

 proſli-

Digitized by Google

profligat, quanto plura hanc in ſententiam jam ſupra dixerat, cum Phyſices certitudinem contra inſultus *Sexti*, cujus fere objectiones tantum recoquit *Balius*, defenderet. Paucis igi-
Pag. 387. tur de extenſione differit, *Balium*que falli probat, dum ex qualitatibus ſenſibilibus, quæ re vera in corporibus ſæpe non inſunt, licet nobis ineſſe videantur, concludit, extenſionem nullam eſſe. Dehinc motus exiſtentiam denuo aſſerit, ac *Balium* ſophiſtam agere oſtendit, dum negat, certos nos reddi poſſe, de finibus partium univerſi, aut de ratione, quamobrem tales, nec aliæ, productæ ſint. Promovet Autor pedem *Sect. VII* ad Pyrrhoniſmum *moralem*, in qua expendit, quæ *Balius* de pudore naturali, & regulis, quibus matrimonia inter nos definiuntur, differit. Inprimis vero operam dat, ut appareat, officia plurima nobis natura cognita eſſe, male autem *Balium* nos, ſicubi fallamur, aut hæſitemus, ablegare ad Scripturam, ſi ratio omni facultate, verum Scripturæ ſenſum pervidendi, uti is exiſtimat, deſtituta eſt. Porro ex eo, quod ipſe *Balius* confirmat, gentiles veram virtutis notionem habuiſſe, uti etiam *Socratis, Antonini, Epicteti, Phocylidis*, exemplis patet, regulas morum ipſis cognitas fuiſſe, inſignis illum levitatis arguit, quod nihil in doctrina morali rationi exploratum eſſe credat: cum tamen alibi confiteri cogatur, vera dari oportere principia, quibus eadem innitatur, ac ipſemet ſolide condoceat, honeſtum a turpi eſſentialiter diverſum eſſe. Amplius autem Philoſophiæ ac religionis in rebus moralibus conſenſum adſtruit, *Balii*que objectiones, ex Theologorum placitis depromtas, refellit. *Sect. VIII* objectiones *Balii*, quæ caput *de exiſtentia Dei* attingunt, ſub examen revocat. Ac primo quidem argumentum a conſenſu gentium depromtum rectius inſtruere conatur, ſtatumque cauſæ format; deinde, quid ſit vox naturæ, explicat, atque ex ipſis iterum *Balii* verbis arguit, eum neceſſitatem cauſæ intelligentis agnoviſſe. Poſtea, Deum eſſe ens optimum & liberum, a quo tantum ordo univerſi dependeat, comprobat, ac
420, 431, percommode oſtendit, formas plaſticas, a multis adoptatas, at
433. *Balio* ſuſpectas, exiſtentiam Dei non infringere, ſed confir-

firma-

Digitized by Google

mare, cum iis a fautoribus hujus hypotheſeos exiſtentia neceſſaria minime tribuatur, atque adeo cauſam ſuperiorem eamque intelligentem ſupponant. Convertitur porro ad creationem ex nihilo, unitatemque Dei contemplandam, ac diſputat pluribus, quatenus de eadem antiquiores Philoſophi perſuaſi fuiſſe videantur, ac tandem latius perſequitur, unitatem Numinis haud difficulter concipi probarique poſſe. Ul- Pag. 435.
timo demum loco activitatem creaturarum, originem eſſentiarum, recte explicat, *Baliique* acumina, tum argumentis, tum ſuis, ubi rectius ſenſerat, verbis, configit. *Sect. IX* ſen- 451.
ſum receptæ inter Metaphyſicos complures ſententiæ, quod *conſervatio continuata ſit creatio*, perveſtigat, eamque totam rejicit. Magno verborum apparatu, neque nullo acumine, negotium hocce perſequitur, dubiisque, huic hypotheſi jam alias oppoſitis, majus addere robur ſtudet. Imo, ſi ſecun- 456.
dum literam accipiatur, providentiæ divinæ eam adverſari contendit, merito propterea a Theologis quibusdam, ipſomet etiam *Balio*, alicubi rejectam. Quæ *Balio* cum *Ja-* 460.
quelotio hac de hypotheſi interceſſerit controverſia, enarrat uberius, ac dehinc ad cauſarum occaſionalium ſyſtema digreditur, quod quidem gloriam Dei minime illuſtrare, aut ex- 465.
tollere, condocet, reverſusque ad propoſitum, nihil in ſententia, quam impugnaverat, ineſſe oſtendit, quo ſe tueri jure poſſint Pyrrhonii. Adjungit his omnibus verba Autoris, qui *tentamen de providentia* haud ita pridem evulgavit, quæ ad hunc locum pertinent. Sunt in hac Sectione omnino multa eleganter & appoſite cogitata: poſſent autem circa eadem nonnulla haud inutiliter moneri, quæ tamen, cum hic locus ea non capiat, taciti præterimus. *Sect. X* dubia *Balii* cir- 472, 478.
ca doctrinam *de anima* proſternit. Principio probat, ens extenſum cogitare non poſſe, quod ipſius *Balii* conſenſu confirmat, ac demonſtrat, in atomis etiam *Leucippi &c.* cogitationem locum non habere. Spiritualitatem animorum atque immortalitatem ex eorum libertate inprimis deducit, diverſam indolem animæ brutorum & hominum, diverſumque in utrisque cogitandi modum, ante oculos ponit, ac fon-

 tes

tes objectionum, contra immortalitatem animæ formatarum, obſtruit ſolicite, tandemque *Socratis* quædam de eadem pronuntiata in medium affert, unde, eam natura cognoſci poſſe, concludit. Quanto majoris momenti ea ſunt capita, quæ Pyrrhonicis tricis infeliciter ſatis implicuiſſe *Bælium*, ſequentibus *Sectionibus* Autor noſter oſtendit, tanto quidem breviores nos in recenſendis ejus cogitatis erimus, utpote cui nihil fere relictum fuiſſe videtur, quam ut novo induerit habitu, quæ inde ab aliquo tempore ſolertius fuerunt limata.
Pag.490. Paucis igitur indicabimus ea, quæ *Sect. XI* & reliquis continentur. In hac vero, quæ de *libertate* exponit, primo, quid voluntatis, quid libertatis nomine ſignificetur, declarat, atque hanc a *Bælii* objectionibus, quomodocunque id fieri poterat, aſſerit. Pluribus proinde ſuo modo, cujus jam alibi ſpecimina dedit, hic diſputat, neque gratiam efficacem, neque futurorum præſcientiam contingentium eam evertere. Quo facto, commoda dogmatis de libertate, ejusque incommoda, quod fataliſmum tradit, (quem tamen in recentiorum quorundam placitis fruſtra quærit) inter ſe confert, hunc autem omnibus
313. viribus debellare inſtituit. Pari ſeſe virtute præbet *Sect. XII*, qua de *felicitate hominum* agit, quamque *Bælius* comparando cum malis, quibus affligimur, fere nullam eſſe judicaverat. Eleganter demonſtrat, libertatem, qua nos donatos eſſe, bonitati divinæ minime repugnat, fontem eſſe felicitatis, quandoquidem ea ſola exquiſitiſſima illa voluptate nos demulcet, quam ex bono facultatum noſtrarum uſu perſentiſcimus; perſuaſionem autem de *fataliſmo* omnis ſolatii expertem eſſe. Nunquam non ſuppetere homini media atque adminicula ſeſe felicem reddendi, facile parabilia. Ipſos, quibus ſubinde excruciamur, dolores, errores aliorum & noſtros, inæqualem gradum dependentiæ mutuæ, perfectionis & felicitatis, mixturam boni & mali, tam phyſici, quam moralis, viciſſitudinem denique eventuum, effecta eſſe ſapientiæ bonitatisque divinæ. Quemlibet ſibi ſuam quacunque ratione miſeriam conciliare. Fruſtra ergo & ſtolide impatientes nos eſſe malorum, quæ nobis eveniant, cum non cogitemus, mul-

to

Digitized by Google

to plus boni, quam adversi, nobis accidere, &c. *Sectione XIII* Pag. 543.
Balium, divinam impugnantem *providentiam*, suis persequitur vestigiis, nec quidquam eorum intactum dimittit, quæ ullo modo huc referri poterant. Plura sunt graviorave hujus doctrinæ momenta, quam ut brevi recensione exhauriri queant; adhæc tam frequentibus acutissimorum Philosophorum agitata controversiis, ut nemini eruditorum obscura esse possint. Præstabit ergo, summatim tantum observasse, Autorem nostrum in multis quidem tritam iniisse viam, pro suaque facundia exaggerasse responsiones, quæ communiter suppeditari solent; at eundem etiam in nonnullis propius ad eam philosophandi rationem accessisse, qua *Leibnitius* contra *Balium* usus est. Merito autem miramur, qui factum fuerit, ut ne unico quidem verbo magni hujus fortissimique adversarii, qualem expertus est *Balius* unquam, mentionem injecerit, cum tamen in advocandis aliorum, qui contra *Balium* calamum strinxere, nominibus non adeo alias parcus fuerit. Multa hanc in rem dici poterant, sed temperamus nobis hoc magis, quo facilius apparebit cuivis, humani quid hoc loco passum esse Autorem, dum maximam ingenuitatem præ se ferre videtur. *Sect. XIV* perniciosas *Balii* 595.
opiniones confutat, quæ *influxum religionis in societatem* attingunt. Excutit hic quæstionem de tolerantia atheorum, semel iterumque edisserit, quid religio tam ad probitatem morum, quam ad ipsam virtutis excellentiam, conferat, ac exinde perversas *Balii* comparationes atque argumentationes convellit; denique repugnantias ejus captiosasque quæstiones acriter persequitur. Notissima habentur, quæ hanc in sententiam allata sunt a tam multis *Balii* adversariis, quibus adeo, dum vix novi quidquam addiderit Autor, percensendis merito supersedemus, ac ex ipso fonte hauriri, quibus lubet, ea malumus. *Sect. XV Dialogum Maximi & Themisti* sub 721.
incudem revocat, ac responsiones parat dubiis, quæ sparsim in eodem vel recoxerat, vel primum formaverat, *Balius*. *Sect. XVI* inquirit in quosdam locos, ubi de nonnullis, quarum in veteri Testamento mentio fit, personis judicaverat

Digitized by Google

Bælius, quæ, cum hujus præcise loci non sunt, dimittimus. *Sectio* denique *ultima Huetii* de imbecillitate intellectus humani librum aggreditur, ac ea subruit subsidia, quæ pro Pyrrhonismo stabiliendo ille congesserat. Merentur ea omnia curatius expendi: hinc ad ipsum potius librum, diligenter manibus versandum, cupidos harum rerum Lectores, bona eorum cum venia, ablegamus.

THE SACRED CLASSICS, &c.

h. e.

AUTORES CLASSICI SACRI DEFENSI ET illustrati. Volumen secundum, idemque ultimum, quod priori adjecit A. BLACKWALL, M. A.

Londini, apud C. Rivington, 1731, 8 maj.
Alph. 1 plag. 2.

Cujus elegantissimi Scripti *prius Volumen ad A. 1729 p. 158 seq.* recensuimus, ejus jam alterum, quod nuper demum ex Anglia accepimus, more nobis recepto enarrabimus. Nemo nobis vitio vertet, quod in hoc excitato Indicis nostri loco nullam secundi Voluminis adhuc exspectandi injecerimus mentionem. Doctissimus etenim *Blackwall* nihil ejus rei orbi pollicitus erat erudito, si ab eo discesseris, quod *Vol. I p. 99* nonnullas nominet Dissertationes, quas, ut tertiam laboris sui partem constituant, editurum se spoponderat. Quo magis mirati sumus, cum novum hoc Volumen ad nos perferretur, idque dignissimum suo quodam jure censemus, ad cujus lectionem hac brevi commemoratione eos, qui sacrarum literarum studio ducuntur, invitemus cohortemurque omnes. Præmissa est Præfatio, eaque satis ampla, in qua *necessitas* pariter atque *utilitas novæ cujusdam sacrorum librorum conversionis* ostenditur. Ipsum autem Volumen *tribus* constat *Partibus*, quarum *prima* uberiorem demonstrationem proprietatis, munditiei, ac genuinæ eloquentiæ, sacrorum novi Testamenti Scriptorum, *altera* Dissertationem de falsa divisione Capitum ac Versuum, deque vitiosis versionibus divini Codicis, & *tertia* deni-

Digitized by Google

denique tractationem de variis novi fœderis lectionibus continet. In *Partis* igitur *primæ Capite I falsis Hebraismis*, ineptis *Solæcismis*, aliisque sermonis vitiis, sacram Novi Testamenti linguam cum cura liberare perrexit Cl. Autor. Hac occasione magnos viros, *Cameronem*, *Vorstium*, *Grotium*, *Capellum*, *Heinsium*, *Gatakerum*, *Priceum*, *Tanaquillum Fabrum*, aliosque, non sine censura dimisit, variasque Novi Fœderis locutiones falso suspectas cum pure Græcis composuit. *Cap. II* ostendit initio elegantem *Articulorum* usum in novo Instrumento obvium. Concedit deinde, Scriptores divinos singulares quosdam dicendi modos in deliciis habuisse. Urget vero etiam, id quod nemo ei non dare cogitur, optimos Græciæ Autores, ut *Platonem*, *Herodotum*, *Euripidem*, *Xenophontem*, *Æschylum*, *Aristophanem*, *Thucydidem*, suas proprias loquendi rationes usurpasse. Quam in rem locos eorum idoneos excitat testes. Varietatem *hinc dialectorum*, quæ in Evangelistarum atque Apostolorum scriptis moderate adhibentur, oblectationi atque instructioni variorum Græciæ incolarum mirifice inserviisse, contendit. *Marcus*, demto augmento, πεποιήκεισαν pro ἐπεποιήκεισαν, *Ionica* & *poetica* usus dialecto, dixit *XV*, 7. At enimvero *Plato* etiam atque *Demosthenes*, Scriptores Attici, eadem uti dialecto non dubitarunt. Ille enim μηχανώμην loco ἐμηχανώμην, hic vero καθῆτο pro ἐκάθητο collocavit. *Matthæus XXVI*, 69, ἦσθα pro ἦς posuit, secundum *Æolicam* dialectum. Eadem vero *Aristophanes* quoque usus est *Plut. v. 970*. Cetera omittimus exempla. *Tandem* observat Cl. *Blackwall*, eadem significantissima proverbia, easdem elegantes sententias morales, atque expressiones magna valentes virtute, in sacris quidem & profanis Autoribus Classicis, in his autem multo commodius, majori verborum delectu, & argumenti longe gravissimi habita ratione, inveniri. Instituit, his dictis, multarum ejusmodi locutionum sacrarum cum exteris, quibus probatissimi Scriptores usi sunt, comparationem. Ex his unam deligemus. *Paulus*, τὰ στίγματα, inquit, τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματί μου βαστάζω, *Gal. VI*, 17. Cum hoc confert

Pag. 1-46. 55-63. 63-120. 68.

fert oraculo doctissimus Anglus noster antiquam consuetudinem quorundam servorum, in ædem *Herculis* in *Ægypto* exædificatam, tanquam in asylum, confugientium, si quidem hujus Dei notis essent notati. Quorsum hic pertinet *Herodoti Gron. 2 p. 129* locus: *ἦν δε ἐπὶ τῆς Ἠϊόνος, ὃ καὶ νῦν ἐστὶ Ἡρακλέος ἱρόν. ἐς τὸ ἢν καταφυγὼν οἰκέτης ὅτεῳ ἀνθρώπων ἐπιβάληται στίγματα ἱρὰ, ἑωϋτὸν διδοὺς, τῷ Θεῷ οὐκ ἔξεστι τούτου ἅψασθαι.* In eo vero cum Cl. Autore nos haud facimus, quod Apostolum ad illum præcipue Ægyptiorum morem & hunc *Herodoti* locum respexisse arbitratur. Divus Apostolus non dicit *ἔχω habeo*, sed *βαστάζω, circumfero* stigmata &c. *ὥσπερ ἐπὶ τροπαίοις μέγα φρονῶν, ἢ σημείοις βασιλικοῖς. Οὗτος ἐπι τοῖς τραύμασι ἐναβρύνεται, καὶ καθάπερ οἱ σημειοφόροι, τῶν στρατιωτῶν, οὕτω καὶ οὗτος ἀγαλλιάζεται τραύματα περιφέρων.* *Chrysostomi* verbis emphasin Paulinam exprimit *Blackwallus*, qui & sacras morales sententias multo graviores omnium esse Philosophorum effatis, lectissimis declarare exemplis, consultum ratus

Pag. 123 est. His enarratis, perrecturi sumus ad *Partem* hujus Vo-

141. luminis *secundam*, in cujus *I Capite* de inconvenienti Novi Testamenti in Capita & versus distinctione haud inscite disseritur. Sic, exempli gratia, sedecim priora *Cap. XX Matth.* commata cum *Cap. XIX* debent cohærere. *Cap. III Epist. ad Coloss.* a commate decimo octavo usque ad *IV Caput* legendum, quo officia parentum ac liberorum, maritorum & uxorum, dominorum & servorum, in una serie ponantur. *2 Cor. VII* versus primus cum ultimo antecedentis Capitis connectendus commate. Consimili ratione *Jo. VII* postremus versus consequens debet inchoare Caput. Quinque priora *Apoc. XXII* commata cum *XXI Capite* adhuc cohærent, sextus autem versus Caput inchoat novum. Jam ineptam versuum divisionem, quæ culpandæ sacræ dictionis quibusdam causam dedit, considerabimus. Sic commata 10, 11, 12, *Capitis XX Matthæi*, in una, eaque continua, serie lecta, elegantem constituunt periodum: neque vox *λέγοντες* a præcedentibus versibus commode separatur. Ita *Matth. XXI*

alter

Digitized by Google

alter cum primo verſu arctiſſime cohæret. Si Præfatio ſive
Introductio, quam *Lucas* ſuo præmiſit Evangelio, in una le-
gitur connexione, plena, eademque pervenuſta, hinc efficie-
tur periodus. *Matth. XXI, v. 15 & 16, Luc. X, 41 & 42,*
Luc. XI, 11 & 12, Matth. X, 29, 30, Jo. VIII, 3, 4, 5, Luc.
XIV, 28, 29, 30, Col. I, 9, 10, 11, 12, Jo. XIII, 2, 3, 4, 5, Matth.
XXVI, 59, 60, 61, Hebr. X, 19 - 25, 1 Theſſ. II, 10, 11, 12,
Col. II, 1, 2, 3, in una legendi connexione, vulgataque ſectio
removenda. In *ſecundo* hujus ejusdem Voluminis *Capite* non- Pag. 142.
nulli errores, qui in communibus Græcis N. T. converſioni- 160.
bus Latinis, ut *vulgata, Bedæ, Piſcatoris, Caſtalionis, Dan.*
Heinſii, in *tertio* vero, eodemque poſtremo, hujus Partis *Capi-* 161 - 214.
te, quædam aberrationes, in Anglica verſione occurrentes, in-
dicantur. *Matth. I, 1, VI, 64, VII, 9, Marc. XIV, 3,*
Luc. VIII, 27, XXII, 42, XXIII, 15, Eph. VI, 16, Apoc. III, 14, Rom.
VIII, 34, Jo. VII, 28, 2 Pet. III, 11, 12, Act. XIII, 36, XXIV, 3,
2 Cor. IV, 6, Jud. v. 9, Hebr. XIII, 7, 2 Theſſ. I, 6, ut alia
mittamus loca, exempli gratia, in hunc retulit numerum.
Tertia, quæ nos ad ſe vocat, *Pars* lectu digniſſimam de va- 217 - 357.
riantibus Novi Teſtamenti lectionibus continet diſquiſitionem.
Tria ſunt, ex mente Cl. *Blackwalli,* earum genera. Sunt enim 219.
quædam nullius momenti, quippe quæ nullam, neque Gram-
maticæ analogiæ, neque ſenſus, efficiunt mutationem. Aliæ
levioris ſunt ponderis: aliæ denique majoris momenti eſſe
ſolent, cum ipſas orationis locutiones, & ſenſum, atque adeo
doctrinam, aliam reddant. Ad *primum* genus hæ pertinent 281.
inter ſe nonnunquam permutatæ voces, καὶ ἐγὼ, κἀγὼ,
ἡμῶν, ἡμᾶς, ἡμῖν - - ὑμῶν &c. Sic *1 Cor. XV, 31,* perinde
ſive legas ἡμετέραν, ſive ὑμετέραν, *Hebr. XI, 4,* λαλεῖται - -
λαλεῖ, *Col. II, 12,* βαπτίσματι - - βαπτισμῷ, *Luc. XXII, 44,*
θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντες - - καταβαίνοντος, *Luc. VIII,*
32, ἀγέλη χοίρων βοσκομένων - - βοσκομένη, *Col. II, 4,* μή
τις - - μηδεὶς. *Alterius* generis ſunt, παραθήσομαι - - παρατίθη- 282 ſeq.
μι - - τίθημαι, *Luc. XXIII, 46,* ἐτροποφόρησεν - - ἐτροφοφόρησεν,
Act. XIII, 18, ζήσωμεν - - ζήσομεν, *Jac. IV, 15,* ἐρχομένῳ - -
ἐχομένῳ, *Act. XIII, 14,* παραβουλευσάμενος - - παραβολευσά-
μενος, *Phil. II, 30,* λούσαντι - - λύσαντι, *Apoc. I, 5.* Exempla 294 ſeq.

tertii generis hæc ſumus in medium prolaturi: *Jo. VII, 34.*
εἶμι & εἰμὶ. *Gal. II, 5.* ex verbis: οἷς ὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξα-
μεν, quidam Codices manu exarati negantem ejiciunt parti-
culam ὐδέ. Hanc eandem *Gal. I, 2,* omittunt, quam tamen
ipſa oratio utrobique requirit. *Matth. XIX, 17.* genuina eſt
lectio: τί με λέγεις ἀγαθὸν; ὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς, ὁ
Θεός. Varians hæc eſt: τί με ἐρωτᾷς περὶ τῶ ἀγαθῶ;
εἷς ἐςιν ὁ ἀγαθός. *Jo. VII, 8,* vera probataque lectio ita ſe
habet: ἐγὼ ὔπω ἀναβαίνω εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην. *Chry-
ſoſtomus* autem ὐκ ἄρτι in textu legit, bonum & ſuo inge-
nio accommodatum hinc ſenſum enodaturus. Eo conſilio
Pag. 318. pauciores maluit conſectari Codices. Non officiunt hæ ce-
teræque variantes lectiones ipſis veritatibus, quæ in ſacro Co-
dice proponuntur. Ejusmodi corruptionem nullo tempore
319. novum potuit experiri Teſtamentum: 1) non vivis adhuc A-
poſtolis. Si qui primi hujus ævi hæretici fraudes & interpola-
tiones tentaſſent, ipſi divini Autores toti orbi Chriſtiano eas
fuiſſent indicaturi, falſaque & interpolata ſuppreſſuri exem-
pla. *Joannes* ſuum Evangelium, tanquam nobilem de opti-
mi magiſtri ſui vita, rebus geſtis, divinis ſermonibus, morte,
& modo, quo cum diſcipulis ſuis, antequam ſublimis in cœ-
lum abierat, verſatus eſt, hiſtoriam contexuit. Iſtud reliquis
tribus Evangeliorum Scriptoribus ſupplementi adjecit loco,
quo completam *hiſtoriam* exhiberet *Evangelicam.* Scripſe-
rat ille hiſtoriam ſuam nonaginta ſex circiter annis poſt C.
N. ipſiusque mors ſeculum claudebat Apoſtolicum. Oppo-
nebat ſe hæreticis, quos ſua tulit ætas, incredibili fervore; id
quod *Cerinthi* & *Ebionis* conſtat exemplo. Quodſi igitur
auſi hi, vel alii etiam, eſſent novas depravare tabulas; non-
ne hic primus ac magnus orbis Epiſcopus ea e medio fuiſſet
320. ſublaturus, totamque ea de re *Aſiam*, atque adeo univerſam
Chriſti civitatem, commonefacturus? Neque 2) in iis, quæ
Apoſtolicum conſecuta ſunt, ſeculis corruptionem licuiſſet in
ſacros Novi Fœderis Codices intrudere, quin ea ſtatim fue-
rit patefacta. His etenim temporibus maximus verorum ac
genuinorum exemplorum numerus per univerſum, quacun-
que patuit, orbem Chriſtianum fuit undique diſperſus. Au-
then-

thentica Evangeliſtarum & Apoſtolorum ſcripta, *Tertulliani* ævo, quod in quartum incidit ſeculum, in archivis celebratiſſimarum condita ſervabantur Eccleſiarum. Poſt hæc tempora 3) fieri haud poterat, ut *divina* illa *originalia* de- Pag. 321.
pravarentur, cum innumera exempla, incredibili accuratione deſcripta, per omnes cogniti tum orbis partes eſſent divulgata. Linguam Græcam populi plerique omnes intelligebant; multæ etiam converſiones in peregrinas exſtabant linguas, nec non explicationes, notæ & homiliæ plurimorum Commentatorum. *Origenes, Ammonius, Pierius, Pamphilus, Euſebius, Athanaſius*, tot incomparabiles veritatis Chriſtianæ defenſores, de ſacro Novi Fœderis Codice integre incorrupteque conſervando præclare inſigniterque meriti ſunt.
4) *Judæi, profani Deorum cultores, hæretici, Mahometani*, 325.
non niſi perraro, contra ſacrum Novi Teſtamenti Canonem dubia obducturi, variantes in auxilium vocant lectiones. Tum vero illis etiam ſine negotio fit ſatis. 5) Conſenſio commu- 329.
nis Criticorum, in civitate Chriſtiana viventium, omnium vere eruditorum, & omnis ævi omniumque nationum Theologorum, quacunque fuerint indole, & quibuscunque faverint opinionibus, nos jubet credere, variantes Novi Teſtamenti lectiones ſenſui aut propoſito, quod in eo humano generi manifeſtando divina reſpexit providentia, haud ſane quidquam afferre detrimenti. Pertinet huc elegantiſſimus
ille locus, quem in editionis *Wetſtenianæ*, Amſtelodami pu- 330.
blicatæ, Præfatione p. 7 invenire licet: *verum illud ſatis mirari nequeo, inter tot myriades variantium tot numerari nugas, ſtribligines, exſcriptorum ſphalmata, non ſolum manifeſtiſſima, ſed etiam portentoſa, imo &, quod ſtupeo, craſſiſſima menda typographica: ita, ut exploſis omnibus iſtis titivilitiis atque paleis, nec centeſima quæque ſuperſit lectio alicujus momenti. At cum* & hæ pleno eruditorum conſenſu *nil habeant, quod* ſenſui textus recepti obſtet, *nedum* aperte con-
tradicat, *id ejus* avthentiam mirifice probare *judico*. 6) Ma- 352 ſeq.
xima pars optimorum ac vetuſtiſſimorum Manuſcriptorum, & omnium librorum, qui formis deſcripti exſtant, publicati a

Digitized by Google

Romano-Catholicis, a Christianis Ecclesiæ Anglicanæ, Lutheranorum, Calvinistarum, & Christianorum, quacunque appellentur ratione, (si quidem hoc venerabile nomen promereantur,) in re ipsa, in quavis essentiali parte, sive mystica moralisque, sive historica sit, consentiunt. Si qua in re differunt, non de variis lectionibus, sed de diversis sacri textus interpretationibus, disputant. Omnes urgent, genuinam lectionem suæ favere parti & opinioni, si modo, qua decet, accuratione explanetur: ea de re certi sunt, aut saltem hoc sibi flagitant dari. Sed nolumus, salivam lectoribus moturi, plura exscribere. Atque hoc tanto quidem libentius supersedemus labore, quanto lætius accepimus, Cl. *Wollium* jam in eo esse, ut Latinam horum Voluminum conversionem paret, optatis nostris, quæ in prioris Voluminis enarratione publice declaravimus, satis facturus. Hanc ille versionem sua simul cura sic adornabit, ut totus hic liber Latinus, suo tempore proditurus, *Critica & Hermeneutica Novi Testamenti sacra* jure meritoque appellari queat. Cui labori ut Deus gratia sua auxilioque propitius adsit, in votis habemus.

HISTORIA PERSECUTIONIS VANDALICÆ, IN duas Partes distincta, opera & studio Domini THEODORICI RUINART, *Presb. & Monachi Benedict. e Congregatione S. Mauri. Prima Veneta Editio, a mendis quamplurimis expurgata.*

Venetiis, typis Josephi Bettineli, 1732, 4 maj.
Alph. 2 pl. 2.

Quam Persecutionis Vandalicæ Historiam, notis & observationibus illustratam, anno nonagesimo quarto superioris seculi Parisiis vulgavit *Theodoricus Ruinartus*, Presbyter & Monachus Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri doctissimus, eam anno superiori Venetiis primum recusam, editione præsenti exhibuit *Josephus Bettinelli*, Typographus. Liber *duabus* absolvitur *Partibus*, quarum prior

Vi-

Victoris Vitensis Opusculum, præstantissimum antiquitatis Ecclesiasticæ monumentum, complectitur, quo persecutionis, quam sub Genserico & Hunnerico, Vandalorum Regibus, passa est Africana Ecclesia, Historia *quinque Libris* habetur: *Posterior* ipsius *Ruinarti* de ortu, progressu, & fine illius persecutionis Commentarium continet, juxta seriem Regum e variis monumentis studiose digestum, quem copiosus sequitur totius Voluminis Index. Utriusque *partis* argumentum, & quam præclare de orbe erudito hoc Opere meruerit Cl. *Ruinartus*, late jam exposuimus in *Actis Tomi II Supplement. Sect. IX p. 407 seq.* Quare, ut quid addamus, opus non est, nisi, quod præsens editio inscripta fuerit Illustrissimo ac Reverendissimo D. *Joanni Archi Episcopo Minotto Othobono*, Episcopo Patavino, quod post Præfationem Typographi eidem præmissa fuerit *Vita Theodorici Ruinarti*, præfixa *Tomo V Annalium O. S. B.* Autore *Renato Massuet*, Congreg. S. Mauri Monacho & Presbytero, tandem, quod ipse Typographus hac editione secunda non parum gratiæ apud eos inierit, quibus primæ illius Parisinæ impetrandæ non æque facile dabatur copia.

OSTEOLOGIE, &c.

h. e.

OSTEOLOGIA, TRACTATUS PRIMUS, IN quo consideratur unumquodque os ratione partium, ex quibus componitur, cavitatum, quæ inibi existunt, & articulationum cum aliis ossibus, per JOANNEM BAGETUM, Magistrum Chirurgum Juratum Parisiensem, atque Anatomiæ & Chirurgiæ Demonstratorem.

Parisiis, apud Ludovicum D'Hotelfortium, 1731, 12 maj.
Plag. dimid. 27.

Quanquam plures jam extant, qui ossium doctrinam data opera exponunt, libelli; hanc tamen *Bageti* Osteolo-

ologiam ſua neutiquam laude defraudandam eſſe, exiſtimamus. Non autem omnia ea, quæ ad argumenti amplitudinem pertinent, ſimul ſemelque effundere in animum induxit, ſed, Opuſculo in *tres Tractationes* diviſo, in *prima* hac de oſſibus ſine ulla partium molliorum ratione habita agit, *altera* autem inſertiones muſculorum, & *tertia* oſſa cum ſuis ligamentis & cartilaginibus exhibebit. In hac primo de oſſibus generatim diſquirit, eademque in ſceleto denominat & enumerat. Deinceps *Art. I* de partibus & eminentiis, *Art. II* de cavitatibus, *Art. III* de articulationibus eorum generatim diſſerit, poſtea autem ad quodvis humani corporis os ſigillatim, ejusque ſitum, figuram, magnitudinem, eminentias, cavitates, articulationes & uſus declarandos progreditur. Omnia vero juſto ordine, diſtincte, perſpicue atque accurate, enarrat, ut non dubitemus, pergratum iis fore hoc Opuſculum, qui exactiorem oſſium notitiam amant. Plura pro inſtituti noſtri rationibus dicere non attinet.

JOANNIS HENRICI LINCKII, LIPSIENSIS, Acad. Nat. Cur. Cæſ. & Soc. Reg. Lond. Sodalis, de Stellis Marinis Liber ſingularis. Tabularum æ nearum Figuras, exemplis nativis apprime ſimiles, & Autoris Obſervationes, diſpoſuit & illuſtravit CHRISTIANUS GABRIEL FISCHER, Regiomontanus. Accedunt EDW. LUIDII, DE REAUMUR, & DAV. KADE, hujus argumenti Opuſcula.

Lipſiæ, apud Jocobum Schuſterum, 1733, fol. chart. aug. Alph. 1 pl. 10, Tabb. æn. 42.

Quodſi, vino vendibili non opus eſſe ſuſpenſa hedera, vulgatiſſimo proverbio recte dicitur, non erit, cur multa atque copioſa ampliſſimi hujus Operis, quod Illuſtriſſimæ Scientiarum Societati, apud Londinenſes florentiſſimæ, dedicatum fuit, laudatione perfungamur. Ipſa enim argumenti

menti indoles, nomenque Autoris, compluribus rerum naturalium cultoribus non incognitum, lectores alliciet facile earum rerum cupidos, allectosque Operis lectio per rerum varietatem & delectum retinebit magna cum voluptate, nec sine plausu commendationeque dimittet. Is etiam externus ejus est habitus, ut cum chartæ præstantia, tum literarum figurarumque æri incisarum, atque hinc inde textui ornamenti gratia insertarum, nitore, Tabularum denique æ-nearum cum nativis exemplis convenientia atque elegantia, cum libris exterorum splendidissime excusis certare queat, gloriamque artis typographicæ in nostris terris satis tueatur. Non cujusvis erat, marinarum stellarum collectionem ejusmodi adornare. *Linckius* vero, quod commercio utitur amplissimo florentissimoque, ad diversa usque maria protenso, amicosque habet, ex officina sua, celebri Germaniæ pharmacopolio, in omnes Europæ partes egressos, pluriumque celeberrimorum Virorum, qui amant rerum naturalium studium, amicitia & observationibus, liberaliter communicatis, fruitur, par fuit operi, provinciamque, ab omnibus fere derelictam, laudando consilio suscepit. Quapropter non satis ipsi fuit, de iis tantum stellis, quas olim in Angliæ & Bataviæ littoribus collegerat, tractare, sed & undique terrarum, ab Italis, Gallis, Danis, Suecis, & Russis, conquirendas illas putavit, successu quidem adeo felici, ut, cum omnes ab Autoribus descriptas expeteret, plures ordinariis, & aliis plane non commemoratas, consequeretur. Unde, cum missa illi essent varia specimina, habito delectu, optima semper retinuit, eorumque multis impensis schemata non depicta, sed & æri incisa, procuravit, collatis semper Autoribus, quibus similia erant exempla descripta, ut data occasione fasciculus aliquando eorum lucem videret. Quas cum stellarum tabulas, insignes plane & nativis exemplis perquam similes, una cum Autoris observationibus, in *Linckiano* Museo instructissimo cerneret Cl. *Fischerus*, dignum existimavit argumentum, quod elaboratum magis & perpolitum in manus hominum traderetur. Requisitus ipse laborem hunc subiit, Observatio-

nes-

nesque & tabulas in ordinem redegit, stilumque operi accommodavit. Nemo autem hac collectione exactam absolutamque Stellarum Marinarum historiam, nedum physiologiam, expectet. Hanc enim dare nunquam Cl. Autori fuit propositum. Nec unus, isque Lipsiensis, operi sufficeret, ad quod plurium conjunctis viribus operæ conferendæ essent. Dignoscere tantum fuit animus Stellarum Marinarum species, ut, quid simile, quidve dissimile, in petrefactis esse videretur, intelligeret, aliisque ad judicandum exponeret. Idcirco etiam nonnullas Stellarum petrefactarum tabulas vere curiosas paraverat, eidemque fasciculo addixerat. Enimvero Cl. *Fischerus* in antecessum præternaturalia naturalibus, dubia certis, miscenda haud esse ratus, autor fuit suasorque Cl. *Linckio* pluribus ex causis, ut tabulas has a libro removeret. Hoc enim genus olim enarraturos plane alia methodo & subtiliori philosophia indigere fatetur, ac in præsenti libello sectati essent. Interim tamen publico nomine curiosos omnes harum rerum possessores rogat, ut suarum Observationum schemata & descriptiones, sive Actis publicis, sive privatæ *Linckianæ* collectioni, committere haud graventur, quo huic etiam argumento major lux accendi in posterum queat. Offert *Linckius* edendi Operis universi sumtus curamque, *Fischerus* autem futuræ scriptionis laborem non recusat. Quantum vero ad præsens Opus attinet, *Fischerus* stellarum differentias, a *Linckio* aliisque observatas, memoriæ & judicii facilioris causa ad summa genera revocavit, atque in species ultimas usque dispescuit, datis nominibus propriis, additaque eorum expositione ex propriis tam generum, quam specierum, notis, quibus exempla obvia facillimo negotio dignoscuntur. Si quando vidit, alicui stellarum speciei Autores addidisse observationem, aut singularem historiam, hanc negligere, damnum, suo vero loco, si brevitas conveniebat, inserere, aut, si amplitudo id vetabat, paucis allegatam appendicis loco libro ipsi subnectere, commodum reputavit, ut ex hac scriptione tanquam ex indice constaret, quousque in hac Historiæ Naturalis parte processum esset. Tabularum ænearum

Digitized by Google

rum elegantia ut insignem Operi splendorem conciliat, ita nulla est ex illis, cujus archetypon, sive proprium, sive alienum, Autor oculis suis non usurpaverit ipse, & pictori imitandum proposuerit. Utriusque, cum observantis, tum imitantis, diligentiam satis se demirari non potuisse, ait *Fischerus*, doluitque, tantum figurarum turbatum fuisse ordinem. Sed excusatio Autoris veniam omnino meretur. Præterquam enim quod Autor tantum stellarum exercitium adfuturum non præviderit, &, expensarum ratione habita, Chalcographo relinquenda fuit schematismorum dispositio, ut de constanti singularum tabularum pretio convenirent. Qualiscunque autem hæc figurarum confusio textui neutiquam est impedimento. Ejus enim occasione schemata levi numerorum allegatione facile evolvuntur. Sed age propius ad ipsum Opus accedamus. *Caput primum* de Stellis Marinis in genere agit, quod tamen valde imperfectum esse, ipse Cl. *Fischerus* in Præfatione fatetur, quoniam plerarumque specierum anatome, physiologia, & historia, desiderari adhuc solet, sine quibus vane de genere philosophia instituitur. In siccis multa obliterantur, quæ filum ratiocinandi præbere queunt. Exempla museorum monadica quis audet cultro subjicere? Ea de causa ab externis criteriis distinxit stellas, physiologiamque ab iis, qui domi recentes observare poterunt, expectat. Postquam itaque indicavit, Stellæ Marinæ nomine intelligi animal molle, multifidum, cujus ex centro aliquot lobi instar radiorum circuli, seu ita dictæ stellæ, divergunt, evoluta etymologia, homonymia, & synonymia, tres hos characteres, omnibus stellis communes, perpetuos, & infallibiles esse asserit, corpus multifidum, os centrale sub corpore, corporis lobos, æquis intervallis circa centrum per rectas velut inde deductas distributos. Corporis partem pronam dorsum, supinam ventrem appellat. Utriusque autem structura admodum variat. In omni stella notat sceleton medium esse clathratum, ad speciei normam ex articulis, non numero tantum, sed & qualitate & figura, diversis, constructum. Fabrica hæc cute externa tegitur, nunc tenuiori, nunc craf-

 siori,

ſiori, nunquam tamen adeo dura, ut cum oſtracodermatibus comparari queat. Si quæ durities hujus cutis eſt, callum potius, quam teſtam, imitatur, minusque recte ſtellæ ab *Ariſtotele* & *Æliano* oſtracodermatum claſſi adſcribuntur. Partes principes & omni ſpeciei convenientes nullæ aliæ reperiuntur, quam truncus & lobi. Trunci nulla conſtans & generica conformatio, præter oris inibi ſitum ordinarium, nec loborum figura ſemper ſibi ſimilis, nullumque ſenſus alius manifeſtum, quam tactus, organum eſt. Ad motum progreſſivum quædam ſpecies plane ineptæ cenſentur. Oris centralis figura, collatis ſpecierum exemplis, hæc obſervata fuit. Partis pronæ lobi, in centrum acutis angulis conniventes, conſtituunt orificium, in totidem velut labia fiſſum. Singulis labiorum extremitatibus inſiguntur dentes acuti aliquot, quibus eſca capta inciditur. Ab hoc ore ad ſingulos lobos canalis abit, ſ. meatus verſus extrema anguſtatus. Reliqua pro ſpecierum diverſitate diſcrepant. Poſtquam eos, qui has ſtellas concharum carne minutiisque teſtaceis veſci, & naturæ fervidæ admodum & velut comburentis eſſe, ſibi perſuaſerunt, ſalſe admodum perſtrinxit & refutavit, ad conſtituendas proximas & generum & ſpecierum differentias progreditur, ex ſolo corporis & loborum diſcrimine repetitas. Nimirum corpus ſtellarum quarundam multifidum tot patet canalibus in ventre, quot numeramus lobos. Aliæ autem radios exſerunt clauſos teretesque. Hinc generatim in *fiſſas* & integras dividit. In fiſſis lobos ordinarie quinque, ſæpe plures, vel pauciores, numeramus. Reſultat hinc fiſſarum ſtellarum claſſis triplex, numero radiorum diſterminata. *Prima* ſtellarum, quæ lobis paucioribus, quam quinque, *altera*, quæ lobis præciſe quinque, & *tertia*, quæ pluribus, quam quinque, lobis radiat. In ſtellis integris pariter ad radiorum numerum reſpicit. Erit igitur claſſis prima quinque radiorum, qui inſtar totidem proceſſuum vermiformium divergunt. Hinc vermiformes vocantur. Secunda ejusmodi proceſſibus conſtat quinque pluribus, a quibus quoniam circa utrumque latus, novis aliis proceſſibus transverſalibus inſertis,

ſertis, ſubtiliſſimis velut villis veſtiti ſunt, recepta de ſtellis cœleſtibus denominatione, ſtellas crinitas vocat. Tertia aſtrophyta comprehendit, ſeu Stellas Marinas, proceſſibus teretibus fruticum inſtar a maximis ad minima frutificantes. Hoc obſervato diſcrimine, methodum ſequentem in enarrando univerſo genere adhibet, ut 1) in quavis claſſe ex radiorum differentiis ſpecialibus genera, ex ſpecialioribus ſpecies intermedias, ex ſpecialiſſimis ſpecies ultimas conſtituat, 2) ut tam generibus, quam ſpeciebus, luculentas & faciles definitiones nominales, tum ex propria, tum ex aliena Autorum fide dignorum experientia adſcribat, 3) ut, quicquid de ſingulis ſive generibus, ſive ſpeciebus, huc uſque obſervatum & confuſe traditum fuit, melius digerat, juſteque ſuis locis adſcribat, ut ſine aberratione a primo ſubjecto affectiones ſingulas demonſtret, nec, quod ſpeciei tantum convenit, communi Phyſicorum lapſu univerſaliter de genere prædicet. *Caput* itaque *ſecundum*, idque ampliſſimum, in *duas* abit *Sectiones*, quarum *prior* de ſtellis fiſſis agit, quarum partes huc uſque cognitæ primo generatim deſcribuntur, & deinceps *claſſes tres*, 1) *ὀλιγάκτις*, ſtellarum pauciorum, quam quinque, radiorum; 2) *πενταχτινοδος*, ſtellarum quinque fidarum; 3) *πολυσαχτινοδος*, ſtellarum multifidarum, exponuntur. Ad *Claſſem primam* hæc genera referuntur: Triſactis, Tetractis; ad *alteram* vero hæc: Pentagonaſter, Pentaceros, Aſtropecten, Palmipes, Stella coriacea, Sol marinus, Pentadactyloſaſter; ad *tertiam* denique hæc: Ἑξάκτις, Ἑπτάκτις, Ὀκτάκτις, Ἐννεάκτις, Δεκάκτις, Δωδεκάκτις, Τρισκαιδεκάκτις. *Sectio poſterior* ſtellis integris deſtinata eſt, qua pariter *tres Claſſes*, 1) ſtellarum vermiformium, 2) ſtellarum crinitarum, 3) aſtrophytorum, continentur. Ad *Claſſem primam* hæc genera: Stella lumbricalis, Stella ſcolopendroides; ad *ſecundam* hæc: Δεκάκνημος, Τρισκαιδεκάκνημος, Caput meduſæ; ad *tertiam* hæc: Arachnoides, Aſtrophyton coſtoſum, Aſtrophyton ſcutatum, pertinent. Sub ſingulis harum Claſſium generibus variæ deinceps ſpecies enarrantur & deſcribuntur,

 quas

quas tamen hic recensère, longum nimis foret. Quod restat, *Caput III*, de Stellarum Marinarum causis efficienti & finali, docet, has stellas non a casu fortuito, neque per æquivocam generationem, sed æque ac reliqua animalia imo mundum a Deo productas, finesque, a Deo intentos, maximam quidem partem adhuc incognitos, eo tamen commoda vera, quæ ab his proficiscuntur, referenda esse, hominumque etiam usui inservire, cum mediate, tum vero etiam immediate, quando plures stellarum species edules habentur. Sed & in Medicina locum inveniunt. *Rondeletius* & *Lobelius* inprimis emplastris contra hernias admiscuerunt. Suffimenti autem ex Stellis Marinis, cum aliis rebus parati, usibus contra uteri strangulationem, languorem morbi pestilentis, & epilepsiam, non adeo magnificæ laudes, idque merito, tribuuntur. Non minus & *Tzezes* ridetur, qui contra magicas artes has stellas commendat; & *Galenus*, qui ad disperdendos pilos collaudat. Insulsissimus denique fuit *Kiranides*, qui Magstachium suum, s. Dæmonem fortunæ, ejusmodi stellæ & testudinis sacrificio conciliare, collocutorem exoptatum invitare, & ante pedes præsentem observare, sategit. Denique varios usus recenset, quos rerum naturalium collectores sua sibi curiositate constitutos habent. Appendix continet 1) *Edwardi Luidii*, apud Oxonienses Cimeliarchæ Ashmoleani, Prælectionem de Stellis Marinis Oceani Britannici, nec non de asteriarum entrochorum & encrinorum origine, habitam quondam in prædicto museo, & ab Autore doctissimo, *Breynio*, Medico Gedanensi florentissimo, communicatam *Oxonii* A. 1703. Primo in ea Autor breviter attingit, quæ veteres de Stellis Marinis tradiderunt; mox sibi, ad littora Britanniæ res naturales indaganti, decem occurrisse species, sex coriaceas, reliquas geniculatas, commemorat, de iisque binis speciebus primo generatim agit, postea singulas earum species cum locis natalibus enumerat, quarum etiam duo aut plura exempla Societati loco longioris descriptionis coram exhibuit. De origine asteriarum &c. hanc affert opinionem, nonnullam asteriam esse Stellam Marinam, quæ decempeda vocatur, lapideam, aut fossilem; nonnullam

stella

Digitized by Google

ſtellarum,quas coriaceas dixit, figuram exprimere. Encrinos eſſe ipſi videtur radiorum decempedæ fragmentum,ariſtis ſpoliatum, & in lapideam materiam verſum. Entrochus varias ſtellarum partes conficit. Alius enim Stellæ Marinæ anſellam conſtituit; alius arboreæ cujusdam ſtellæ radiorum fragmenta refert. Corpora autem marina petrefacta non per diluvium ad ea loca, ubi inveniuntur, eſſe delata, ſed iis ipſis locis prognata, jam olim ſtatuit Autor, opinionemque ſuam duobus novis argumentis confirmare ſuſtinet. Secundum Appendicis locum tenet Nobilis *de Reaumur* Obſervatio de Stellis Marinis, inſerta Hiſtoriæ Academiæ Scientiarum Regiæ *A. 1710 p. 634* edit. Belg. hic latine verſa, atque ejusdem Obſervatio altera, de Stella Marina, cujus radii caudis lacertarum aſſimilantur, ex Hiſtoria Academiæ Scientiarum Regiæ *A. 1712 p. 172* edit. Batav. latine verſa, ex qua proinde hic nihil excerpemus. Tertio loco ſiſtitur *Dav. Kade*, Medicinæ Doctoris, & Practici Gedanenſis feliciſſimi, Stellæ Marinæ quinque radiorum, Holſaticæ, colorisque violacei, anatome, quæ cum ad internam harum ſtellarum conſtructionem rectius cognoſcendam multum omnino valeat, non abs re erit, iconem eo pertinentem cum explicatione hic repetere.

Explicatio Figurarum.

Tab. I Fig. 1. — TAB. V Fig. 1.

Stella Marina ſupina

a) *Membrana corrugata, os animalis conſtituens.*
b) *Papillæ, ſ. cornua.*
c) *Aculei.*

Fig. 2. — Fig. 2.

a) *Tuberculum verrucæ ſimile.*
b) *Veſica humore turgida.*
c) *Viſcus laciniosum, arbuſculam quodammodo referens.*
d) *Corpora parva pyramidalia lacinioſa.*
e) *Veſiculæ cornubus continuæ.*
f) *Vertebræ.*

 Fig. 3.

Digitized by Google

Fig. 3.

TAB. V Fig. 3. a) *Foramen magnum pentagonum.*
b) *Tuberculum cum duplici canale.*
c) *Ossa quadrangularia cum suis ossiculis.*
d) *Os quadrangulare cum suis ossiculis coalitum.*

Fig 4.

Fig. 4. a) *Foramina, quae vertebrarum lamellae incurvae conficiunt pro papillarum transitu.*
b) *Aculei circa foramen magnum centrum respicientes.*

Fig. 5, 6.

Fig. 5, 6. *Unam ex vertebris, flamellas, eandem constituentes, a latere exhibent, cum ossiculis, & iisdem impositis aculeis.*
a, b) *Ossicula, quibus modo unicus, modo duo insistunt aculei.*
c) *Situs ossiculorum, respectu vertebrarum.*

Fig. 7.

Fig. 7. *Tria ossicula ejusdem ordinis cum suis aculeis.*

Fig. 8.

Fig. 8. *Os vertebrae sinistrum*
a) *Locus, ubi ossicula cum aculeis junguntur vertebris.*
c) *Sinus, ex quo, dum sinui lamellae juxta positae apponitur, oritur foramen pro transmittenda papilla.*

Fig. 9.

Fig. 9. *Os quadrangulare, cum annexis ossiculis minoribus.*

LE ODE DI ANACREONTE, NUOVAMENTE tradotte, &c.

h. e.

ANACREONTIS ODÆ, RECENS A VARIIS Poetis illustribus in Italicum sermonem translatae. Collegit atque edidit PHILIPPUS ARGELATUS.

Mediolani, apud Josephum Richinum Malatestam, 1731, 8.
Plag. 15.

Nu-

Digitized by Google

TAB. V ad 429 et 430

Stella Marina Holsat.



Digitized by Google

Digitized by Google

Nuptias nuper celebranti Mediolani Excellentiſſimo Comiti, *Philippo Archinto*, domumque ducenti Excellentiſſimam itidem Comitem, *Juliam*, ex gente *Borromea*, gratulandi officium, tanquam Patrono de ſe optime merito, exhibiturus Cl. *Argelatus*, in animum induxit ſuum, tædas illas illuſtres ſcita quadam Poematum elegantiſſimorum, typisque exſcripta recens, collectione exornare. Hoc dum agit, & ab amicis iſtiusmodi ſymbolas ſtudioſe conquirit, offeruntur ipſi inter alia a familiari ſuo, Cl. Doctore *Claudio Nicolao Stampa*, *Anacreontis Odæ*, a variis præſtantiſſimorum in arte poetica præſentis ævi hominum calamis in vernaculum ſermonem converſæ. Equidem jam ſuperiori tempeſtate curatum fuit a variis, ut Italico ore loqui diſceret *Anacreon*; neque ſine omni prorſus Autorum ſucceſſu, lectorumve intelligentium plauſu. Confidit tamen Editor, ſuperaviſſe majorum induſtriam, ac forte etiam doctrinam, poſteros, nec illibenter plane lectum iri hanc Συλλογὴν, ad *Anacreonticum* ſtilum, & metri etiam genus, vernacula utplurimum feliciter ſatis attemperata, & plenum potiſſimum ſimul Autoris ſenſum rotundis verbis repræſentante. Præmiſit Cl. *Argelatus* brevem *Anacreontis* notitiam, ex *Bælii*, etſi non hic indicati, Indice Hiſtorico, tit. *Anacreon*, quoad omnia momenta excerptam; & venuſtum ejusdem Cl. *Stampæ* Poema *Anacreonticum*, quo Νεογάμοις donum hoc literarium commendatur.

C. A. H. EMENDATIONES EMENDATIONUM, Anno ſuperiori in his Actis p. 290 ſeq. propoſitarum.

Quæ vera ſit ſcriptura *Taciti Annal. XII, 53, 1*, non ſolum *Gundlingius* diſputavit in cognominibus Diſſertationibus, & quidem *P. XXXVI Obſ. I p. 1 ſeq.* ſed jam antea *Gravina Lib. II de Orig. Jur. Civ. §. 31 p. 543 ſeq.* ut illos omittam, quorum de hoc loco ſententias exhibet *Jac. Gronovius* in ſua editione *Taciti*. Mihi hunc in modum verba *Taciti* videntur refingenda:

da: *Statuiturque, ut, quæ ignaro domino ad id prolapsa, in servitutem sui consensisset, ei qui nati essent, pro libertis haberentur. Ei qui nati essent*, inquit, hoc est, qui ei feminæ nati essent, sive, quos ea paritura esset. Voluit nimirum legislator, ut, si ingenua fœmina amore servi capta ei nuberet, ac dominus nesciret, eam esse ingenuam, tunc liberi ex ea conjunctione nati nec pro servis, nec pro ingenuis, haberentur, sed, quod medium est inter servum & ingenuum, pro libertis: ut scilicet ex tali procreati conjugio aliquid maternæ ingenuitatis haberent, & simul aliquid paternæ servilitatis.

In *Velleji Paterculi Lib. II Cap. 31* verissima est emendatio *F. B. Carpzovii*, in *Walchiana* ad hunc locum annotatione producta: *& per omnia major cive habebatur*. Fortasse scripserat *Vellejus civi*. Nam & sic ablativo casu non semel dixit ipse *Cicero*. Hæc ut scripseram, inspexi novissimam *Paterculi* editionem, a Cl. *Burmanno* adornatam, deprehendique, etiam *Nic. Heinsio* in mentem venisse *Carpzovianam* illam lectionem, ac ipsi *Burmanno* valde visam esse veram.

In ejusdem libri *Cap. 45* hæc verba: *Idem* (Cicero) *intra biennium sera Cn. Pompeji cura, verum*, (id est, *sed*) *ut cœpit, interrita, votisque Italiæ ac decretis senatus, virtute atque actione Annii Milonis, Tribuni plebis, dignitati patriæque restitutus est*; ex omni parte sana sunt. Fefellit viros quosdam eruditissimos vocula *ut*, quam non viderunt positam hic esse pro *postquam*. *Restitutus*, inquit, *est Cicero sera quidem Pompeji cura, sed, ut cœpit*, (id est, *postquam* vel, *quamprimum Pompejus cœpit eam curam suscipere*,) *interrita*, cum scilicet *Pompejum* nullum periculum valeret absterrere a reddenda *Ciceroni* salute.

Monenda hæc paucis duxi, sperans, me rem fecisse gratissimam iis, qui, lectis ad tria ista loca conjecturis doctissimi *J. C. S.* criticis, videre quidem sibi visi sunt, emendationes illas non esse veras, nec tamen videre potuerunt meliora. Nec dubito, ipsum Cl. *S.* lectionum mearum veritatem agniturum esse, &, nihil nunc superesse in tribus his viis salebrarum, gavisurum.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Octobris Anno MDCCXXXIII.

ΕΥΣΤΑΘΙΟΥ, ΔΙΑΚΟΝΟΥ ΠΑΡΕΚΒΟΛΑΙ εἰς τὴν Ὁμήρου Ἰλιάδα.

h. e.

EUSTATHII, DIACONI, A SUPPLICIBUS LIbellis & Oratorum Magistri, postea Archi-Episcopi Thessalonicensis, Commentarii in HOMERI Iliadem. ALEXANDER POLITUS, Florentinus de Cl. Reg. Scholarum piarum, nunc primum Latine vertit, recensuit, Notis perpetuis illustravit. Accedunt Notæ ANTONII M. SALVINI V. Cl.

Tomus I & II.

Florentiæ, apud Bernardum Paperinum, 1730 & 1732, fol. maj. Tom. I Alph. 6 plag. 3, Tom. II Alph. 6 plag. 9.

Inter multos variosque Ordines, quos inter Pontificios jam ab aliquo tempore obtinuisse novimus, etiam ille est suo jure referendus, quem ab erudiendis in Christiana doctrina atque in literis pueris Scholarum Piarum appellare consueverunt. Initium huic Ordini dedit *Josephus Calasanctius*, nobili apud Tarraconenses in Hispania genere prognatus, & a Matre Dei cognominatus; huncque ut pauperibus pueris pie

docteque erudiendis præesse voluit, ita Clericorum Regularium pauperum Matris Dei Scholarum Piarum appellatione insignivit. Atque ex hoc ipso Ordine est, cui hanc præstantissimam *Eustathii* & editionem & interpretationem debemus, *Alexander Politus*, qui licet variis molestiis, quæ in Præfatione, *Tomo I* præmissa, expositæ satis copiose leguntur, retardatus fuerit in *Eustathio* suo vertendo atque edendo, eas tamen omnes felici tandem constantia superavit, ita, ut non solum duos *Eustathii Tomos* priores jam publicaverit, sed reliquos etiam proxime evulgaturum se esse confidat. Qua in re si fidem aliquando suam liberaverit *Politus*, eo majorem apud harum venerum amatores gratiam inibit, quod primus *Eustathium* Latinum fecerit. Quamvis enim *Vincentius Marinerius Valentinus*, Bibliothecæ Regiæ Escurialensis Præfectus, tum carmina omnia *Homeri* singulis Latinis versibus interpretatus esse, tum Scholiorum *Eustathii* in *Homerum* interpretationem elucubrasse dicatur; ea tamen omnia non magis lucem adhuc viderunt, quam laudatissimum *Ludovici XIV*, Galliæ Regis, consilium expectationi publicæ respondit, quo id muneris eruditis quibusdam Viris, præpositis magnis præmiis, commissum fuit, ut *Eustathium* Latine verterent. Ipse vero Doctiss. *Politus* in edendo *Eustathio* summam omnino industriam collocasse exinde intelligitur, quod, licet MStis fere destitutus, textum tamen, quam fieri potuit, accuratissime exscribendum curavit. Nam, quemadmodum constat, codices *Eustathii* MSS. ad paucissimos omnino redactos esse, ita duos tantummodo nactus est ex Bibliotheca Medicea, in membrana scriptos. Quorum alter grandiori sua mole in Volumina duo secretus ac distinctus, qui *Eustathianos* in *Iliadem* Commentarios continet, vetustior sane est, &, quantum ex ductu ac forma literarum colligere potuit Cl. *Politus*, æqualis illorum temporum, quibus scripsit *Eustathius*. Suppleta identidem sunt in hujus Codicis margine, vel, ubi margo minus sufficit, in membranulis etiam separatis, ea, quæ inter scribendum, ut sæpe contingit, prætermissa aut relicta fuerunt. Codex alter, qui Commentarios habet in *Odysseam*, est a manu prorsus recentiori, quem ex Codice illo, qui fuit *Bessarionis* Car-

Digitized by Google

Cardinalis, quique hodie aſſervatur in Bibliotheca Veneta, deſcriptum exiſtimavit Bibliothecæ Mediceæ Cuſtos, *Antonius M. Biſcionius*. Cum vero nec hunc Codicem conſulere licuerit Doctiſſ. *Polito*, nec illum, quem *Adriano Junio* Bononiæ Pepopolum, principis in ea civitate familiæ, benignitas utendum aliquando impetravit, non potuit purum ac liquidum *Euſtathium* ex ipſis fontibus, quod maluiſſet, haurire, ſed coactus fuit editionum rivos, cœnoſos aliqua ex parte, ut fatetur ipſe, ac turbidos, conſectari. Itaque ſecutus eſt in exprimendis *Euſtathii* verbis inprimis editionem Romanam, a *Nicolao Majorano* maxime procuratam, ita tamen, ut alteram illam, a *Frobenio* & *Epiſcopio*, Typographis, Baſileæ typis exſcriptam, nonnunquam præferre nequaquam dubitaverit. Sic *p. 11 n. 6* pro ὠνόμαθαι Ἰλιάς, quod habet editio Romana, ex *Frobenio* correxit ὠνόμασαι, & eadem pagina *n.* 7 cum *Frobenio* expreſſit περὶ τῶν Ἰλιέων, etiamſi legatur παρὰ τῶν Ἰλιέων. Et, quando *Frobenius p. 649 n.* 4 verba παρὰ τὸ μικρὸν ita emendavit, ut παρὰ τὸ μακρὸν legendum cenſeret, id recte eum feciſſe arbitratur Cl. *Politus*. Sic *p. 737 n. 3* nomen ὀπήτεας ita correxit *Frobenius*, ut exhiberet οἰέτεας, & eadem pagina *n. 5*, pro ἀπὸ τεῦ ἔχουσι, ſubſtituit ἀπὸ τοῦ ἔτους, quod utrumque in textum recipiendum ſibi exiſtimavit Editor. Eadem ratione *p. 886 n. 3* ex *Frobenio* pro ὥσπερ repoſuit ἤπερ, & *p. 888 n.* 2 cum *Frobenio* legendum duxit ταυτόν ἐστι τὸ βαστάζειν, pro ταυτόν ἐστι τὸ ἐβάσταζεν. Atque hæc quidem & alia complura, quæ in hac noviſſima editione ex *Frobeniana* Romanæ ſunt prælata, Cl. *Politum* adduxerunt, ut in Præfatione *primi Tomi* non ſibi duxerit religioni, *Frobenianam Euſtathii* editionem Romana ſua dicere aliquanto correctiorem. At, cum ſæpius annotaverit, utramque hanc editionem perperam in referenda lectione *Euſtathii* convenire, ipſe, neceſſitate ſententiæ coactus, utramque reliquit, & ex ingenio plerumque emendavit, etiamſi in conjecturis ipſi textui inſerendis ceteroquin ſit parciſſimus. Quocirca *p. 4 n. 3*, quamvis & Romana & Baſileenſis editiones haberent ὁ ποιησάμενος, ex conjectura Viri Cl. *Nicolai Buti*, Piſtorienſis, edidit ὁ πονησάμενος, præſer-

tim cum hoc ipsum paulo post ab *Eustathio* de eadem re adhibeatur. Et, quando *Frobenius* cum Romana *p. 23 n. 3* scribit ὁμοίως τὸ ἀεικίζω, & *p. 194 n. 6*, ὁμοίως τὸ ἀγάννιφος Ολυμπος, *Politus* recte omnino hoc in loco edidit ὁμοίως τῷ ἀγάννιφος Ολυμπος, & in illo ὁμοίως τῷ ἀεικίζω. Sic *p. 18 n. 2* recte disjunxit voces perperam conjunctas in Exemplari Romano, restituto ὑπὸ καθηγητῇ in locum ὑποκαθηγητῇ. Eleganter etiam *p. 317 n. 5*, pro vulgari γίνεται ἐπιῤῥήματος exprimendum curavit γίνεται ἐπιῤῥήματα. *p. 319 n. 1* pro Τάρκων ex *Virgilio* Τάρχων, *p. 612 n. 11* pro καλεῖται, καλοῦνται, pro λέγεται, λέγονται, pro γράφεται, γράφονται, itemque κεῖνται pro κεῖται. Simili modo emendavit *p. 624 n. 12* Οννεαί, *p. 808 n. 1* ἀποβόυλευτον, & *p. 832 n. 8* γερωκομεῖν, & hoc quidem per γηροκομεῖν, illud vero per ἀπροβόλευτον, & istud denique per Ορνεαί. Ex quibus omnibus cum de ingenio Cl. Editoris judicari satis potest, tum ex iisdem facile intelligitur, quantum hæc nova editio, etiam qua textum ipsum, Romanæ ac Basileensi antecedat, etiamsi Doctiss. *Politus* id sibi non semper sumserit, ut suas conjecturas in ipsis *Eustathii* verbis expresserit, sed satis habuerit, easdem in Annotationibus subjectis breviter indicare. In ipsa vero interpretatione *Eustathii* Latina ita versatur Cl. Editor, ut non solum sensa omnia *Eustathii* Latinis sententiis exprimeret, verum etiam ut singula ejus Latine redderet atque explicaret, neve quidquam prætermitteret, quod *Eustathius* quomodocunque attigisset. Qua tamen in re id maxime dedit operam, ut loquendi genus adhiberet, quantum posset, Latinum, quod nempe, tametsi e Græco conversum, tamen non nimis Græcitatem redoleret, sed gustum qualemcunque haberet sermonis Latini. Atque id quidem felicissime factum a *Polito* fuisse, omnes, qui ejus legent interpretationem, fatebuntur, quippe quæ & pura est, & sententiam *Eustathii* plane exprimit, exactamque Autoris cognitionem tam Græcæ, quam Latinæ, linguæ perspicue demonstrat. Itaque expressit quidem ille, tanquam fidus diligensque interpres, verbum a verbo, ita tamen, ut, quia plura sunt etiam ejusdem significationis ver-

Digitized by Google

verba, alia aliis magis minusve clara, idem sæpe pluribus verbis exposuerit, ad sensum verborum clarius efferendum. Sic *p. 7 Cap. 5* verba, καθάπερ ἔπος ἁπλῶς μὲν ὁ λόγος, reddidit, *sicuti* ἔπος *generatim quidem verbum est, vel sermo*, & ibidem verba, ἰδίως, ἔπος ὁ ἔμμετρος λόγος, vertit, *speciatim vero* ἔπος *oratio est metrica, seu numeris vincta*, & *p. 219 Cap. 215*, τῶν φίλων τῷ Ἀχιλλεῖ, *inter amicos necessariosque*. Sed, licet cumulatio dictionum idem sonantium sæpe minus necessaria videatur fuisse, tamen eam tunc recte adhibitam existimamus, cum vocabula Græca, inprimis Grammatica, Latine circumscripsit, e. g. *p. 18 Cap. 2* verba, ὅπερ καὶ ἐν ταῖς ἠθοποιΐαις γίγνεται, *ut fit, quando per ethopoeiam alieni mores exprimuntur*, recte interpretatur & eleganter, & *p. 19* parecthesin per eam, quæ præmitti solet, propositionem exponit. Sic *p. 681 Cap. 116* adverbium ἠθικῶς quidem vertit *ethice*, sed tamen ad illustrationem statim adjicit, *sive accommodate ad humanos mores*. Nec vitio novæ huic ac primæ *Eustathii* interpretationi merito dari poterit, quod in ea deprehendantur nova quædam vocabula, ubi præsertim Grammatica tractantur, quorsum pertinent *p. 7 Epopœia*, *p. 17 Gramma*, *p. 20 Polyonyma*, *p. 97 Parisosis*, reliqua. Sed quamvis, ut omnibus artibus, sic etiam Grammaticæ, quasi privata ac sua concedenda sint vocabula, sine ulla tamen ratione & causa Cl. *Politus* Græca retinuit, quando *p. 798 Cap. 209* verba, ὡς καὶ τὸ βατταρίζειν καὶ τὸ τραυλίζειν, ita exponit, *sicuti etiam* τὸ βατταρίζειν, *battarizare, seu balbutire*, & τὸ τραυλίζειν, *travlizare, seu linguam blæsam habere*. Quæ enim aures, Latinæ linguæ paululum assuetæ, ferent illud *battarizare*, & *travlizare*, nullum præterea sensum in animis legentium per se relinquens? Quod vero ad Annotationes Doctiss. *Politi* attinet, quas in totum *Eustathium* adornavit perpetuas, eæ partim inserviunt lectioni *Eustathianæ* vel restituendæ vel emendandæ, partim faciunt ad eundem Autorem ex aliorum monumentis illustrandum. Itaque, quam potuit, diligentissime illos scriptorum locos adduxit, ad quos *Eustathius* ipse in Commentariis suis provocat, quosque ad exponendum Poetam usurpavit. Quo tamen in genere illud forsitan lecto-

res paulo accuratores in Annotationibus Cl. *Politi* desideraverint, quod raro admodum Autorum libri simul & Capita, sæpius vero eorum nomen, vix libro addito, nedum Capite, tantummodo nominentur. Sed id quidem facile Cl. Editori donandum existimamus, quia, ut ipse in Præfatione *Tomi I* fatetur, multa sunt illius annotata αὐτοσχέδια, neque ita ab eo elaborata, quasi eruditionem importune affectaverit. Unice id sibi propositum habuit, illustrare *Eustathium*, &, quod difficultatem unquam facesseret, nihil præterire. Qua in re etiam ita se gessit, ut eo majore laude sit ferendus, quod supervacanea de industria omiserit; nec Opus per se satis amplum ad rem non pertinentibus adauxerit. Facere illud, si ex unguibus leonem licet cognoscere, nullo negotio potuisse videtur, cum etiam in his, quas in publicum emisit, observationibus eruditionem suam exquisitam abunde declaraverit. Sæpe enim, licet brevissimis, data occasione alios emendat Autores, vel eorum lectionem confirmat. Sic *p. 7 n. 4* apud *Lucanum V v. 126 & 187* pro *Phemonoe* vel *Phæmonoe* legendum conjectatur *Phœbonoe*, ita, ut filia Apollinis dicta quasi sit *Phœbi mens*, quemadmodum Minerva a *Platone* vocatur Θεονόη, *Dei mens*. *P. 549 n. 10* copiosus est in loco *Strabonis* emendando, quem nec *Palmerium*, nec *Xylandrum*, integritati restituisse arbitratur, simulque locum quendam ex *Ovidii Metamorphosi* explicat nova posita distinctione. *P. 548 n. 4* *Holstenius* notatur, quod oraculum illud Ἄρνη χηρεύουσα μένει Βοιώτων ἄνδρα, ita correxerit, ut pro χηρεύουσα ipse affirmaret omnino legendum esse χαιρώνεια, cum vel ex *Homero* constet, urbem aliquam desertam eleganter dici viduam. *P. 549 n. 6* omnes illos *Statii* Poetæ interpretes falli contendit, qui *Alcmenam, Herculis* matrem, natam esse scribunt in Bœotiæ civitate Mide, cum non Bœotia, sed Argolica, fuerit. Quando *Lud. Kusterus* Πελληνικοὺς χιτῶνας apud *Suidam de veteribus & attritis vestibus* explicat, ea *Politus* explicatione *p. 616 n. 14* nihil judicat absurdius aut a veritate alienius, cui de palliis malacis & crassioribus videntur lænæ Pellenicæ per adagium usurpatæ. Quid? quod ipsum suum *Eustathium* nonnunquam lapsum fuisse in annotationibus probat

bat Cl. Editor. Falſum enim eſſe dicit, quod loco quodam *Stephani* minus intellecto Harma populum facit Atticæ, æque ac quando *p. 793 n. 1* tres Phrygias agnoſcit, unam magnam, alteram parvam, & tertiam denique Olympenam, cum Phrygia parva Olympenam etiam complectatur. *P. 431 n. 2* magno eruditionis apparatu contra *Victorium* evincit, teſſerarum ludum non diverſum fuiſſe a κυβεία, nec ipſas teſſeras a cubis diverſas. Sed, quo crebriores & interdum longiores ſunt ipſius *Politi* in *Euſtathii* Commentarios Annotationes, eo pauciores e contrario ac breviores inveniuntur *Antonii M. Salvini* Obſervationes, quæ, licet ſint teſte *Polito* pleræque ex tempore & opere inter legundum tumultuario ſcriptæ, eæque ad primos tantum libros *Iliadis*, dignæ tamen, quæ legantur, cum ex iis facile judicari queat, quanto *Salvinus* ingenio, quamque peritus Græcæ pariter ac Latinæ linguæ fuerit. Sic *p. 20 n. 2* recte *Euſtathium* notat, quod ὀρέγω exiſtimet *appeto* ſignificare, cum notet *porrigo*, & ὀρέγομαι demum notionem obtineat *appeto*. Nec videmus cauſam, cur ab h. l. diſceſſerit Cl. *Politus*, etiamſi alias id potiori jure feciſſe videatur, *p. 357 n. 6*, *p. 777 n. 7*, alibi. Atque hæc quidem in præſenti ſufficiant. Reſtat, ut, quæ unoquoque Tomo contineantur, paucis doceamus. *Primus* igitur complectitur Commentarios *Euſtathii* in *Iliados* librum *primum* & *ſecundum* uſque ad Bœotiam, ſeu enumerationem navium, in *ſecundo Iliadis* libro deſcriptam ab *Homero*, perpetuis Cl. *Politi* Annotationibus & interpretatione Latina, adjectis hinc inde *Salvini* Obſervationibus illuſtratos. His præmittitur, præter *Politi* imaginem æri inciſam, & Dedicationem ad *Joannem Gaſtonem I*, magnum Etruriæ Ducem, Præfatio ad Lectores, breviter inſtituti laboris exponens rationem, quam excipit Commentarium *Alex. Politi* ad Viros clariſſimos, *Georgium Jabſonem*, & *Joannem Gibſonem*, de *Euſtathio*, ejusque ſcriptis, nec non editiones priores *Euſtathii* in *Homerum*, & doctorum Virorum de eodem judicia & teſtimonia. Subjungitur his denique *Aſcanii Perſii* Index in *primum Iliadis* librum Græco-Latinus & Latino-Græcus, ſecun-

cundum exemplum ſpeciminis, A. 1597 Bononiæ editi. Quæ omnia uti ipſi *Euſtathio* in *Tomo I* præmittuntur, ſic eidem ſubjicitur in calce ejusdem *Tomi* duplex Index, quorum alter Græcus Græcas continet in *Euſtathio* obvias locutiones, alter vero Latinus eſt rerum & verborum maxime memorabilium. *Tomus ſecundus* habet *Euſtathium* in *Homerum* a Bœotia *Iliadis II* uſque ad finem *Iliadis III.* Præmittitur hic iterum, poſt imaginem Editoris æri inciſam, & Dedicationem ad *Clementem XII*, Pontificem maximum, Præfatio, cui inſerta eſt quædam Epiſtola *Victorii* ad *Benedictum Varchium*, qua agit de Codice quodam *Euſtathii.* Præfationem ſequitur *Herodoti Halicarnaſſenſis* de genere & vita *Homeri* hiſtoria, ex recenſione atque interpretatione *Alexandri Politi.* Atque hæc nova *Herodoti* de vita *Homeri* interpretatio palmam omnino dubiam illi reddere videtur, quæ eſt in editione *Herodoti Gronoviana*, ut de Annotationibus eidem ſubjectis nihil dicamus. In fine hujus Tomi iterum additus eſt, ut in primo, Index duplex, & Græcus, qui dictiones in *Euſtathio* præcipuas complectitur, & Latinus, rerum & verborum maxime memorabilium. His denique omnibus accedit coronidis loco M. *Wolfgangi Seberi*, Sulani, Index vocabulorum in *Homero*, nævis, quibus laborat, quodammodo purgatus. Cum vero nimis excreſcere Volumen hoc videretur, viſum eſt Cl. Editori *Seberi* Indicem in *Partes duas* dividere, earumque alteram ad *Tomum tertium* reſervare, ita tamen, ut, ſervata numerorum ſerie in utraque parte, integrum ſit utrumque iterum conjungere. Ceterum nihil ſibi videtur reliqui feciſſe Doctiſſ. *Politus* ad ſplendorem aliquem *Euſtathio* ſuo comparandum, vel chartæ & typorum elegantia, vel vitiis typographicis evitandis. Id enim vere affirmare poſſumus, tanta eſſe hos Tomos accuratione, tam in Latinis, quam Græcis, exſcriptos, ut lapſus operarum rariſſime conſpiciantur, qui Lectoris induſtriam ullo poſſint modo retardare. Itaque non dubitamus, quin *Euſtathius* cum propter interpretationis elegantiam & Annotationum eruditionem, tum propter typorum præſtantiam, ſuos habiturus ſit fautores.

RE-

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES AB ANno Æræ Christianæ D ad MD. Collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS, Sereniss. Ducis Mutinæ Bibliothecæ Præfectus.

Tomus XXI.

Mediolani, ex Typographia Societatis Palatinæ, 1732, fol. Alph. 7 plag. 6.

Quem modo de manibus deposuimus, *Tomo* Operis *Muratoriani vicesimo* addimus sequentem statim, eumque omnium, qui ad nos venerunt, recentissimum, ne, quæ omni ex parte tuentur dignitatem suam & præstantiam, vel ipsum novitatis pretium amittant culpa nostra. Adeo grata nobis est illius Operis pervestigatio, cujus *Tomus* nullus frustratus est spem nostram, aut famam imminuit editoris sui. Frontem hujus *Tomi* exornavit Societas Palatina splendida Dedicatione ad Eminentiss. Principem, *Andream Herculem*, S. R. E. Cardinalem *de Fleury*, illustrissimum hodie in Gallis nomen, cujus & in rebus gerendis prudentia, & in hanc ipsam *Scriptorum Italiæ Collectionem* merita eximia, non solum commemorantur strictim, sed pro merito laudantur etiam. Inter Scriptores, quos *Tomus* iste complectitur, primo omnium loco comparent *Laurentii Bonincontrii*, *Miniatensis*, *Annales*, *ab A. 1360 usque ad 1458.* Mireris statim amplitudinem tituli, ita comparati, ut rerum per universum orbem intra seculi spatium gestarum historiam promittat. Sed alia omnia nos docet ipsa libri inspectio, intra Italiæ, & in ea Florentinorum maxime, se fines continentis. Neque tamen de universi Operis ratione satis constare potest ex his, quæ hoc in loco nobis exhibentur. Codex enim, unde petita ea sunt, MStus, impetratus Cel. *Muratorio* ab *Andrea Buonaparte*, Patricio & Canonico Miniatensi, ex genere *Bonincontriorum* oriundo, historiam Italiæ ab A. 903 ad 1458 continebat Libris decem,

ſatis quidem diffuſam, ſed, quod ad antiqua, partim fabuloſam, partim rerum ſingularium, quæ non certius cognoſci aliunde poſſint, perpaucula habentem. Horum itaque partem maximam, nullo quippe uſui futuram lectoribus, ſuis tenebris relinquendam ratus Editor, ea ſaltem, quæ Seculi XIV annos ultimos, & præcipuam Seculi XV partem ſpectant, hic publici juris fecit. Nullam ejus Operis notitiam habuere *Voſſius*, & reliqui Scriptores Florentini, ſicut nec alterius, quod idem Autor ſcripſit *de Ortu Regum Neapolitanorum, & rerum undique geſtarum, ad ſplendidiſſimum Equitem Antonellum de Petratii*, Libris IX diſtinctum, cujus Codicem MStum Mediolani jam tenent Manachi Ciſtercienſes *S. Ambroſii Majoris*, ex Muſeo *Joannis Blanchinii* in Bibliothecam ſuam translatum. Hiſtoriam hanc, ſcriptam ſub *Ferdinando I*, Rege Neapolitano, & in rebus Italicis copioſiſſimam, diu dubitavit *Muratorius*, an præferret Operi præſenti, res ſæpe easdem, & iisdem pæne verbis, enarranti; ſed, cum eam non niſi ad annum 1436 protendi, nec fabularum nihil proferre, & præterea carere intelligeret vita Regis *Alphonſi*, Neapolitanorum præclariſſimi, quam ſcilicet *cum ceterorum Principum geſtis alio Volumine inſerturum ſe*, ibidem promittit, habere ſibi viſus eſt, cur non æque fructuoſam eruditis horum Commentariorum, quam *Annalium*, fore lectionem judicaret. Et erunt multi, qui, vel audito nomine Autoris, librum hunc excipiant avidiſſime, ſperentque de eo bona omnia. Sunt enim inter eruditos celebratiſſima, etſi vulgaribus Biographis, quæ eorum eſt oſcitantia, parum cognita, *Laurentii Bonincontrii*, ſublimioris doctrinæ Scriptoris, merita. Majorem tamen ex ſcientia aſtrorum, quam hiſtoria, famam acquiſivit, clarus inprimis *Commentariis in Manilii Poetæ Aſtronomica*. nec non *Rerum naturalium & divinarum Libris tribus*, genere carminis heroico ſcriptis, *Opuſculo*, ut nonnullis vocatur, *pæne divino*, & quo meruit, ut *Gyraldo portentoſæ cujusdam doctrinæ vir* diceretur. Meminit etiam *Faſtorum* libri, Baſileæ editi A. 1540, *Draudius* in *Bibliotheca Claſſica*, ſed cujus teſtimonium non ſufficit unius. De vita ejus dicemus, quantum

tum in promtu est. Lucem adspexit *Bonincontrius* A. 1410 d. 7 Cal. Martii in oppido S. Miniati, quod est in ditione Florentinorum situm, civium partim numero, partim splendore, nobile, de cujus antiqua pariter ac hodierna conditione erudite disserit in Præfatione *Muratorius*. Patrem habuit *Bonincontrum Bonincontrium*, qui A. 1387 unam ex triremibus Pisanis contra Turcas duxit, avum *Nicolaum*, cui uxor fuit *Francisca Ciacconia*, denique proavum *Bonincontrum*, qui A. 1351 *Joanni Vicecomiti*, Mediolani Domino, a Consiliis fuit, postea Pisis Jura interpretatus est publice usque ad annum vitæ ultimum 1371. Conspicui & generis, & munerum, dignitate memorantur majores ejus, quos ipse in his Annalibus inter principes civitatis refert, etsi nec dissimulet, A. 1202 cum nobilissimis quibusque patria ejectos. Fortunam non per omnem vitam expertus est secundam satis; quin annum ætatis vix primum & vigesimum ingressus, in exilium ire jussus est a Florentinis, indignantibus factum patrui ejus, *Laurentii*, qui nomine civium suorum *Sigismundum* Imperatorem de restituenda in libertatem urbe patria supplex solicitaverat. Ita, cum remotus a suis, certam nusquam rerum suarum sedem inveniret, *Francisci Sfortiæ*, clarissimi posthac Mediolanensium Ducis, castra secutus, desperata per annos complures arma circumtulit, donec A. 1436 in obsidione Montis Falisci vulnus sibi inflictum sensit gravissimum ac pæne mortiferum. Tum anno Jubilæi 1450 religionis ergo Romam migravit, posteaque in aulam *Alphonsi I*, Regis Neapolitani, se recepit, nec inde, quod verosimile est, ante extremum vitæ diem abiit. Ejus Regis gratiam conciliasse ei videtur peritia astrorum haud vulgaris, qua superiorem sua ætate neminem, paucos forte aquales, habuit. In *Chronico Carionis peritissimus apud Neapolitanos Astrologus, & Praeceptor Pontani*, dicitur. Præ ceteris ætatis suæ eruditis arctissima ei cum *Marsilio Ficino* intercessit familiaritas, & epistolas ab eo accepit frequentes, quarum unam, ita prorsus scriptam, ut sine rubore vix legi potuerit a *Bonincontrio*, lectoribus Cel. Editor integram hic exhibet. *Annalibus Bonincontrii* Cel.

Editor subjecit *Joannis Simonetæ Libros XXXI Historiæ de rebus gestis Francisci I Sfortiæ Vicecomitis, Mediolanensium Ducis, ab A. 1421 usque ad 1466.* Notior est hæc Historia, ejusque dignitas, quam ut a nostris præconiis novum expectare decus possit. Ea, A. 1479 Mediolani primum edita ab *Antonio Zarotto*, ita se probavit eruditis, ut jam A. 1486 ex ejusdem Typographi officina editio ejus altera exierit, quam secuta est ibidem A. 1490 & Venetiis A. 1544 *Christophori Landini*, Florentini, nec non in eadem urbe A. 1543 *Sebastiani Fausti* Interpretatio hujus Operis Italica. Neque adeo dubitavit Editor doctissimus, quin rem facturus sit & civibus suis, & quibus curæ sunt elegantiores literæ, gratissimam, si Operi tam excellenti, & omnium laudibus tam digno, post duorum fere Seculorum intervallum, denuo in hac *Collectione* locum concederet. Et sane vix unquam liber prodiit, in quo maximorum Principum res gestæ æque copiose ac diligenter, æque graviter ac magnifice, æque eleganter & ad veteris Latii genium accommodate, sint expositæ, ut fortissimi omnium, quos habuit Italia, imperatoris ac Ducis, *Francisci Sfortiæ*, historia in Opere præsenti. Nam, quod ad res ipsas attinet, nihil facile prætermisit Autor, cujus memoriam conservari, & ipsius *Sfortiæ*, & posteritatis, interesset; ut, si cum his conferantur, nihili æstimanda sint, quæ de eodem Principe *Franc. Philelphus* in Carmine *Sfortiados*, *Bernardin. Corius* in *Historia Mediolanensi*, & *Petrus Candidus Decembrius* in *Vita Francisci Sfortiæ*, nuper *Tomo XX* hujus *Collectionis* publicata, hisque plures, commemorarunt. Nec parum Operis pretium illud auget, quod ad scribendam Historiam Autor ipsius jussu *Sfortiæ* se convertit, eidemque inde ab A. 1444 ad 1466, quo ad Superos ille abiit, in amicissimis fuit, dignus adeo, cui in rebus ipsis fides tribuatur ab omnibus. Habet autem nova hæc *Commentariorum Simonetæ* editio id præ vetustioribus illis præcipui, quod depromta est ex ipso Codice Autoris avtographo, in communes usus liberaliter suppeditato a Comite *Antonio Simoneta*; in quo cum aliena, velut Censoris cujusdam, manu expuncta alia, alia emendata, de-

deprehenderet, eandemque limam postea in editis agnosceret *Muratorius*, noluit is, quæ ipsius *Simonetæ* essent, ignorare lectores suos, quin, si qua in his non momenti esse nullius intelligeret, ea in Notis suo quæque loco adjecit. In eo præterea rem admodum laudabilem præstitit, quod errores, si quos hic animadverterat, Chronologicos, non insuetatos illius Seculi scriptoribus, emendavit accurate, & suo res quasque anno, suo etiam, si fieri id posset, die, distinxit. Dicendum jam de Autore libri breviter. Patria ei Cachurium, leve oppidum, pater *Antonius Simoneta*, Calaber, patruus *Angelus Simoneta* fuit, qui A. 1426 a Secretis esse jussus *Francisco Sfortiæ Vicecomiti*, &, qua fuit in rebus gerendis dexteritate, Legationibus ad Venetos A. 1440, nec ita multo post ad *Alphonsum I*, Apuliæ & Siciliæ Regem, functus est amplissimis. Ejus ossa Mediolani condita sunt in Carmelitarum æde, additumque tumulo elogium:

Angelus hic situs est inter clarissimus omnes
Simoneta viros meritis & laudibus unus.

Fratres *Joannes* habuit *Cicchum* & *Andream*; ex quibus *Cicchus* fortunam per aliquot annos expertus est sibi tam amicam, ut in ejusdem *Francisci Sfortiæ* primum, tum, post hujus e vita excessum, in *Galeatii Mariæ*, Ducis, &, hoc ipso interemto, in *Joannis Galeatii* aula secreta regni administraret, &, quod *Bona*, *Joannis Galeatii* tutrix, ejus prudentiæ multum confideret, partem ferret imperii maximam. Postea vero A. 1479, cum in Mediolanensem Ducatum involasset *Ludovicus Sfortia*, is *Cicchum*, in publica commoda magis, quam e re esse sua intelligeret, intentum, crudelissime habuit, & diu detentum in vinculis, ipsa tandem, nullo non indignante hoc facinus, vita privavit. Eadem, etsi non æque acerba, fata fuere *Joannis* nostri, qui Ducibus Mediolanensibus fuerat ab Epistolis. Hunc similiter *Ludovicus* in vincula conjectum, & diu graviter vexatum, tandem A. 1480 Vercellis exulem abire jussit. Mediolanum tamen postea reversum, ibidemque mortuum, ex sepulchrali Inscriptione colligas, quam hujus urbis Templum Gratiarum ostendit:

D. OP. M.
JOHANNES SIMONETA
SFORTIANAE HISTORIAE CONDITOR
DIVI FRANCISCI SFORTIAE FILII ET NEPOTIS
SUBINDE SECRETARIUS
INNOCENTIAE ET PROBITATIS CULTOR
ET IN UTRAQUE FORTUNA MODESTISSIMUS
HIC CUBAT
HOC SEPULCRUM HAER. SEQUATUR.

In matrimonio habuit *Catharinam Barbavariam*, nobili oriundam genere, ex qua filios genuit numero plures. In his clarissimi fuere *Jacobus* & *Alexander*, natu maximus; alter a *Clemente VII* primum ad Pisaurensem, postea a *Paulo III* ad Perusinum Episcopatum & supremam Purpuram evectus, alter a *Carolo V* Imperatore A 1526 Comitis Palatini honoribus donatus, illustris nobilissima filiorum progenie, *Ludovici*, Cardinalis, & *Hieronymi*, Comitis ex cujus sanguine præclara *Simonetarum*, qui hodie Mediolani florent, domus originem ducit. Habet etiam Auximum duos jam ex *Simonetarum* gente illustres viros, *Rainerium*, Archi-Episcopum Nicosiensem, ejusque fratrem, *Fridericum*, Comitem, quorum genus si non cum illo, quod Mediolani sedem fixit, conjunctum est necessitudinis vinculo arctissimo, habendum tamen utique in antiquissimis, & nobilitatem suam tam propriis, quam majorum suorum, meritis tuetur. Properandum est nobis ad *Christophori a Soldo, civis Brixiani synchroni, Annales Brixianos, ab A. 1437 ad 1468*; quos primum nunc edit *Muratorius* ex vetusto Bibliothecæ Estensis Codice. Exstare etiam in Bibliotheca Regis Christianissimi horum Annalium Codicem MStum, a *Boivinio* olim relatum sibi testatur *Muratorius*. Non nullius pretii scriptor est; nec, post *Malvetium*, cujus *Chronicon Brixianum Tomo XIV* hujus *Collectionis* legitur, cognovisse hunc, pœnitebit quemquam. In memorandis rebus Brixianis accuratus est, & fide dignus, quæque de bellis illis atrocissimis, Seculo XV universam fere Italiam pervastantibus, non uno in loco refert, singularia sunt, nec ubivis obvia. Orditur narrationis

tionis suæ filum ab A. 1437, idque ad annum usque 1468 deducit. Sermone usus est eo, quem civitas Brixiana habet vernaculum, eoque prorsus populari, a *Petro Hercule Gherardio*, amico *Muratorii*, in concinniorem, & cultiori Europæ magis usitatum, transformato. In scribendo simplicitatis studiosior fuit, quam elegantiæ, satis ob id jucundus, & ad demulcendum lectorem idoneus. Patriam hic *Christophorus* habuit Brixiam, non obscuris natus parentibus. Ipse suo testatus exemplo est, amicum Marti cum Musis contubernium esse, maximam vitæ partem inter armorum strepitum versatus. A. 1439 & 1448 in obsidione Brixiana ipse civium suorum, qui urbem patriam contra vim hostium defendebant, cohortem duxit, & A. 1453, nec non 1466, decreto Senatus Veneti, cum octo lectissimis civibus muniendæ urbis curam suscepit. Hæc & his similia, unde, quis fuerit, & quæ gesserit in civitate, apparet, ex ipso *Chronico* nemini non licet cognoscere. *Annales Brixianos* subsequitur *Chronicon Eugubinum Guernerii Bernii, Eugubini, ab A. 1350 ad 1472*, Italice scriptum. Non id lucem ante viderat, nec inutilis a Cel. Editore in eo nunc vulgando labor insumtus. Nam, cum scriptor, a quo res gestæ Ducum Urbinatum ac Malatestarum scriptis sint consignatæ, adhuc nullus exstet, vel pauca ea, quæ passim de his profert *Guernerius*, esse nobis accepta debent. Petitum est hoc *Chronicon* ex Codice vetusto Vaticanæ, A. 1577 exarato, neque adeo, quod visum antea multis fuerat, ipsius Autoris αὐτογράφῳ, cujus transscribendi copiam impetraverat *Muratorius* per *Marcellum Franciarinum*, Jurisconsultum Eugubinum, nec non *Josephum Tiraboscum*, Senogalliensem, virum eruditum, quem, spes est, propediem editurum *de Historia patriæ suæ* Commentarium. Ejusdem Chronici Codex pervetustus, &, quod suspicatur *Muratorius*, ipsius manu Autoris scriptus, Eugubii in Tabulario publico servatur. Vixit is *Guernerius* sub *Friderico III*, primum Montisferetri Comite, postea Urbini Duce, & hujus castra secutus, turmæque militum præfectus, præclara edidit virtutis militaris specimina. Eidem Principi pietatis ergo solenni formu-

la

la A. 1472, quo & finem feciſſe vivendi videtur, Hiſtoriam hanc eſſe ſacram juſſit, patetque ex inſpectione libri, in deſcribendis his, quæ geſta ſunt a *Friderico*, præcipuam ab eo curam poſitam. Fuere, qui *Guerrerium* dicerent, ſed hos falli putat Editor, de meliore *Guernerii* nomine, quod nihil differt a *Guarnerio* ſeu *Warnerio*, communi olim Marchionibus aliquot Anconitatis, ex ipſo Codice Vaticano edoctus. *Chronicon Eugubinum* excipiunt *Diaria Neapolitana, ab A. 1266 ad 1478*, Italice conſcripta ab Auctore *Anonymo*. Leguntur hic, quæ ab initiis regni *Caroli I*, Andegavenſis, ad annum uſque 1478 in urbe & regno Neapolitano contigere memorabilia. Quibus temporibus cum ad dignitatis & potentiæ ſuæ gradum maximum adſcenderit Neapolitana metropolis; apparet hinc, Neapolitanæ Hiſtoriæ partem hic commemorari præcipuam. Ejus Codicem, manu ſcriptum *Joannis Baptiſtæ Bolviti*, nobiliſſimi olim Antiquarii, Neapoli ſervat *Franc. Valletta*, Jureconſultus, qui, cognito *Muratorii* deſiderio, civi ſuo eruditiſſimo, *Conſtantino Grimaldo*, transſcribendum, & cum Noſtro deinde communicandum, permiſit. Penes cives Neapolitanos hi *Annales* in maximo olim pretio fuere, &, qui ejus regni hiſtoriam ſcriptis complexi ſunt, *Angelus Conſtantii*, & *Jo. Antonius Summontius*, hoc fonte rigarunt agellos ſuos. Stilus, ad dialectum Neapolitanam formatus, venuſtatis parum habet, & ad barbariem proxime accedit. Animadvertimus tamen & hic *Muratorianæ* induſtriæ veſtigia, eidemque multum ſui, quo veſtiti nunc prodeunt, nitoris hi *Annales* debent. Quod ad res ipſas, ſunt illæ ſcitu digniſſimæ, niſi quod in rebus Seculi XIV non ſatis ſibi caverit Autor ab erroribus, ut luculento ſpecimine in Præfatione probat Cel. Editor. Nomen ſuum Autor nos juſſit ignorare, nec de eo quidquam aliunde conſtat. In fronte Codicis MSti legitur: *Li Diurnali del Duca di Montelione*; quod non ita accipiendum, ac ſi Autorem haberent Ducem quendam Montis-leonis, ſed, qui verba hæc ſcripſit, certiores facere nos voluit, transſcripta eſſe hæc *Diaria* ex libro quodam vetuſto, exſtante in Bibliotheca *Hectoris Pignatelli*, primum Comitis, poſtea

Ducis

Ducis Montis-leonis. Quisquis fuerit, nullum supeResse dubium putat *Muratorius*, quin ætas ejus in annum 1450 & sequentes inciderit, retuleritque adeo in hos Commentarios partim ab ipso visa, partim ab æqualibus accepta. His ad latus adjunxit Editor diligentissimus *Joannis Garzonii, Bononiensis*, *de dignitate urbis Bononiæ* Commentarium. Quæ inde a multis seculis incolumem servavit dignitatem & splendorem suum, virosque protulit in omni arte doctissimos. laudum suarum Bononia præconem nacta est, post alios complures, *Jo. Garzonium*, civem suum, eumque inter primarios dignissimosque numerandum. Cujus cum nomen inter eruditos dudum sit notissimum, & ob oculos nobis versentur in universum doctrinarum genus, Historiam maxime, tam exterorum, quam patriam, merita præclara & eximia, conservata nobis in libris *de Vita S. Dominici*, *S. Petri Martyris*, & *S. Thomæ Aquinatis*, item *de Rebus Saxoniæ*, *Thuringiæ*, *Libonotriæ*, *Misniæ*, *&* *Lusatiæ*, porro *de Bellis Friderici*, *Landgravii Thuringiæ*, & *de Rebus Ripanis*, omni posteritate dignissimis; in tenebris adhuc delituit præsens *de dignitate urbis Bononiæ* Opusculum, sicut adhuc delitescunt, quos *de Rebus gestis Thaddæi*, *populi Bononiæ Domini*, *de Vita S. Petronii*, *de Bello Mauritano*, *de Gestis Joannis I Bentivoli*, *de Historia Petri Cassolini*, *de Bello Bononiensium cum Joanne Galeatio*, *Alberto Estensi*, *&* *Francisco Gonzaga*, *de Bello cum Mutinensibus*, *de Bello Veneto*, *de Bello Bononiensium in Claternates*, *de Laudibus & rebus gestis Joannis II Bentivoli*, denique *de Bello ab Alberto Principe cum Federico & Theodorico liberis gesto*, conscripsit, libelli prorsus aurei, cum *Epistolis*, *Orationibus*, & *Declamationibus*; quæ singula Bononiæ in Bibliotheca Instituti scientiarum, nec non alia *S. Dominici*, multa cum cura asservantur. Nos pro eo, quem omnium primum jam exire in lucem gaudemus, partim industriæ *Muratorii*, partim liberalitati Cl. *Jo. Bapt. Bianconii*, S. Theol. Doctoris, & publici Græcarum literarum in Gymnasio Boniensi Professoris, cui acceptum tulit Editor Codicem libri MStum, publico nomine gratias persolvimus. Non deerunt

runt enim, quos juvet ea in compendium redacta hic videre, quæcunque de urbe illa Italiæ nobilissima dici graviter poterant ac magnifice. Historici partes agit Autor, non Oratoris; id quod multum auget fidem ejus, maxime penes exteros. Quin monet Cel. Editor, ne satis quidem ab eo dictum in honorem urbis esse, inprimis eo in loco, ubi viros doctos, ex Bononia oriundos, commemorat. Nec dissimulat, a veritate aberrare eum interdum longius, & manifesto falsa proferre. Sed horum veniam demus scriptori ceteroquin bono, & in quo nulla mali animi suspicio. Genus duxit hic *Garconius*, civis Bononiensis, ex gente Patricia, patre natus *Bernardo*, viro nobili, & integritate vitæ conspicuo. Ingenuarum artium nulla fuit, cui non inde a prima pueritia sedulam navaverit operam; sed præ ceteris Astrologiam amplexus est, nec non Medicinam, cujus & postea A. 1466 docendæ in Academia patria munus publicum obtinuit. Eo munere non abiit ante mortem, quæ oppressit eum A. 1506 d. 5 Calend. Februarii. Sunt, qui humatum in æde S. Martini majoris, & additam sepulchro ejus tabulam marmoream cum honorifica inscriptione, referant; sed fides habenda potius, quem ille discipulum habuit, *Leandro Alberto*, sepultum in templo S. Dominici, testanti. Pergimus ad *Fratris Adami de Montaldo*, Ordinis Eremitarum S. Augustini, perbreve *de Laudibus Familiæ de Auria* Opusculum, scriptum circa A. 1480. Qui cum voluptate id legant, haud fore paucos, auguramur, tum quod jucundum sit, ejus gentis nosse historiam, quæ partim potentia, partim factorum gloria, & illustrissimorum virorum proventu, numeranda est inter Italiæ principes, tum quod multa hic commemorentur, quæ ad Italiam spectent universam, præclarissimis quippe gentis Auriæ rebus gestis superiori ætate insigniter nobilitatam. Publicandum id Cel. Editori pro humanitate sua dedit *Nicol. Dominicus Mutius*, Notarius Collegiatus Genuensis, & publicus Tabularii Genuensis Præfectus. Vir eo nomine publice hic nobis collaudandus. Autor libelli, *Adamus de Montaldo*, circa annum maxime 1480 floruit, nec uno hoc doctrinæ & ingenii monumento eruditis innotuit. Plura de eo ex scri-

Digitized by Google

ſcriptoribus, qui de claris Liguriæ viris egere, petat, qui cupit. Coronidem huic Tomo imponit *Petri Cyrnæi, Clerici Alerienſis, Commentarius de Bello Ferrarienſi, ab A. 1482 ad 1484.* Continet is accuratam belli prorſus graviſſimi, quod *Herculi I* Eſtenſi, Ferrarienſium Duci, cum Republica Venetorum fuit, & in annos tres protractum, plurimis Italiæ Principibus, maxime vero Eſtenſibus, fatale ac pernicioſum fuit, hiſtoriam. Atque ad ejus lectionem eo nos lubentius convertimur, quo certius patet, nullo partium ſtudio ad ſcribendum acceſſiſſe Autorem, ſed, prout geſta ſunt, ita enarraſſe ſingula. Neque enim cum Venetorum Republica, nec cum Ferrariæ Ducibus, quidquam ipſi commercii fuit, ex Inſulæ Corſicæ urbe Aleria oriundus. Eo vero tempore, quo hæc geſta, & ab ipſo conſignata ſunt, commoratus eſt, ut ipſe teſtatur, Venetiis, &, quæ ex certiſſimis nuntiis cognovit, ſtatim retulit in Commentarios. In ſcribendo elegantiæ inprimis ſtuduit, &, ut jucundus eſſet lectoribus ſuis, orationem variis & exquiſitis floribus conſperſit. Transſcripta eſt hæc Hiſtoria ex antiquo Codice Bibliothecæ Eſtenſis, unde nunc primum prodit in conſpectum eruditorum. Ejusdem Codex MStus exſtat in Ambroſiana, quæ Mediolani eſt, ſed quem conferre cum Eſtenſi, jam quidem Cel. Editori non licuit. Ceterum, quam is ipſe *Cyrnæus* reliquit, *rerum Corſicarum Hiſtoriæ* proxime publicandæ liberalem nobis doctiſſimus *Muratorius* ſpem facit, ſimulque, in Præfatione, huic Operi præmittendæ, de vita, doctrina & ſcriptis *Cyrnæi* traditurum ſe diligentius, promittit.

JACOBI GOTHOFREDI, JCTI, OPERA JURIdica minora; ſive Libelli, Tractatus, Orationes, & Opuſcula rariora & præſtantiora, quibus continentur ſelectæ, non modo in Jure, ſed & omni Antiquitate Romana & Græca, Jus antiquum illuſtrante, materiæ. Omnia ab innumeris mendis purgata; cum Icone Autoris, Indice copioſiſſimo, & Præfatione CHRISTIANI HENRICI TROTZ, JCti.

Lugduni Batavorum, apud Jo. Arnold. Langerak, 1733, fol. Alph. 9 pl. 10.

Quod bonus quisque jam diu ex animi ſententia exoptavit, & nos ipſi nuper, neſcimus, qua animi præſenſione, augurati ſumus, ut exſurgat aliquando, qui incomparabilis in arte noſtra herois, *Jacobi Gothofredi*, Opuſcula, quotquot uno faſciculo exhiberi poſſunt, colligeret, publicaretque; id ſalutari nunc & perquam laudabili inſtituto exſecutus eſt Cl. *Trotzius*, JCtus Lugdunenſis, mortuoque, cui id negotii dederat Bibliopola nobiliſſimus, *Jacobo Tentero*, JCto, libellos ipſius, Tractatus, Orationes & Opuſcula, quæ ad partem æqui & boni, aut ad Juris noſtri hiſtoriam, Græcas, Romanasque legum antiquitates, pertinent, eleganter recudi, unoque comprehendi Volumine, curavit, & plena bonæ frugis Præfatione inſtruxit. Juvabit nunc, tum ſingula Opera, tum quæ de iis annotavit Cl. *Trotzius*, ſuo ordine, ſed ea, quam inſtituti noſtri ratio & ipſa jam *Gothofredianorum* Operum celebritas exigit, brevitate, perſequi. Et in ipſo limine, cui non vehementer placeat, quod de *Jacobi* noſtri æque, ac patris, *Dionyſii*, vitæ rationibus longius paulo Cel. Editor expoſuit. Quo quidem tanto majorem ab eruditis gratiam iniiſſe cenſendus eſt, quo magis mirum, non inventum eſſe adhuc, qui de horum τῆς νομικῆς ὀφθαλμῶν vita ex inſtituto commentatus ſit, hac cum maxime tempeſtate, qua ſemidoctorum magiſtrorumque patellariorum vitæ ſolicite enarrari & ad poſteritatem commendari ſolent. Primum ſuo jure hic locum occupant limpidiſſimi illi *quatuor Juris Civilis fontes*, qui XII Tabularum, Legis Juliæ Papiæ, Edicti perpetui, & Sabinianorum Librorum, ordine, fragmentis, hiſtoria, abſolvuntur. Quod ad *XII Tabularum* fragmenta attinet, quæ ad eorum hiſtoriam & explicationem facere viſa ſunt, pluſcula attulit Præfatio *Tomi III Theſ. J. C.* ſed & alia in eam rem non proletaria Cl. *Trotzius* contulit, & eam potiſſimum, quæ eſt de fure nocturno, legem varia multiplicique luce colluſtravit. (Præf. p. 19.) *Juliam de maritandis ordinibus* rogationem primis olim Juris ſtipendiis, eo, qui in his fontibus comparet, Commentariolo ſemet illuſtraſſe, ipſe faſſus eſt *Gothofredus*. Quæ is ſcripſerat, ea ad examen revocavit nuperrimus Juliæ Papiæ ſoſpitator, Cel. *Heineccius*. Aliquot *Heineccianí* libri capita, eam potiſſimum, quæ in *Suetonio*, loco τῶν: *legem ſeverius emen-*

emendasset, substituit *mandasset*, conjecturam, ad curatiorem limam exegit *Trotzius* noster. Sequitur *Animadversionum Juris Civilis* liber, horrendo *Jo. Steckii* Observationum anticriticarum Carmini oppositus, qui cum *Cap. V* Florentinam *L. 15 D. de Usufr.* lectionem a violentis immutationibus vindicet, Cel. Editor *p. 28* integritatem quidem *d. l.* agnoscit, rem omnem tamen alia paululum ratione confici posse contendit. Non finit librorum bonæ notæ numerus, ut singula fusius perlustremus, nec id, arbitramur, res postulat, quod Opera ipsa in posterum in manibus esse studiosis harum literarum, & in succum verti debere, verum sit, sufficiatque, de singulis aliqua strictim annotasse. Quæ in Diatriba *de Cenotaphio Gothofredus* habet, explicationem maxime verborum *Marciani, Magis placet*, pro eo, quod magicæ artis peritis probetur, ut solet alia ætas subinde apportare aliquid novi, ea ab aliis & omnium maxime ab Illustri Viro, *Corn. van Bynkersbœk*, *L. I Cap. 5 Observ. Jur. Rom.* diluta & explosa sunt. Discursus historicus *ad L. quisquis Cod. ad L. Jul. Maj.* consentiente omni JCtorum Senatu, exemplar sufficit iis, qui singulares leges persequi & illustrare satagunt, suaque præstantia meruit, ut, quoties aliquot *Gothofrediana* Opuscula seorsim recuderentur, toties hic illis *Discursus* insertus sit. Quæ sit *L. ἀξίωσις D. ad L. Rhod. Gothofredi* explicatio, quæ ejus de maris imperio sententia, singulari, eoque aureo, libello excussit plenius, posterisque in universa hac quæstione otium fecit, Vir summus, *Bynkersbœkius*. Non omnium quidem eruditorum puncta tulit, & ætatis suæ Philosophiam paulum redolet, liber *de Jure præcedentiæ*; est tamen plenus exemplorum, & multijugæ eruditionis luculentus testis. Non tantum, quod plerisque, qui de hoc argumento scripserunt, commune est, ipsum προεδρίας jus, sed & prærogativæ effectus, & εὑρεμάτικα potissimum, quibus aut potior locus occupari, aut de prærogativa contentio evitari queat, late persequitur, exemplisque, ex omnium seculorum memoria petitis, mirifice illustrat. Tantum non omnia hæc eadem dicenda sunt de eo, qui *de Salario* inscriptus est, libro docto & laborioso, sed nescimus, an ad nostri seculi pa-

Præf. p. 25.

 latum

latum ſic ſatis accommodato. Prudentiæ civilis peritiam Orationes tres loquuntur, quæ proximum locum tenent, quarum *prima*, quam *Ulpianum* inſcripſit, præterquam, quod JCti hujus adverſus eos, qui ancillaris & affectatæ nimium adulationis eum redarguunt, cauſa agitur, quouſque Princeps legibus liber dici queat, & quo eum ſenſu *L. 21 d. LL.* legibus ſolvat, anquiritur, *altera*, *Julianus* dicta, arcanæ verſutiſſimi Principis artes, quibus rem Chriſtianam afflixit, & tantum non peſſum dedit, luculente adumbrantur, *ultima*, *Achæorum* res publica, ejus forma & natura, unio, præſtantia, hiſtoria denique omnis, & interitus, exponitur. Excipiunt has ſex *Libanii Orationes*, additis noſtri Commentariis, quibus, ex omni literarum, Hiſtoriæ ſacræ & profanæ, & Jurisprudentiæ, penu depromtis, eas diſtinxit, tantoque magis hoc ſibi Opere, qui literas amant, omnes devinxit, quanto plus lucis ad ſacræ doctrinæ, & legum, atque ad *Theodoſiani* potiſſimum ævi hiſtoriam, inde ex his Declamationibus accedit. Cumprimis ingenioſe æque ac docte, coram quo Imperatore ſingulæ recitatæ ſint Declamationes, argumentis ex ipſa Oratione petitis evincit, &, cum *Declamatio prima* de patrociniis potentiorum & Ducum militarium, quibus ruſtici adverſus vicorum dominos ad mala quævis perpetranda abutantur, agat, ſimul de vicorum hujus ætatis conditione & jure, ſimul de his patrociniis, docte diſſerit. *Altera* Angarias, non eas, quæ ad curſum publicum pertinent, ſed operas, quas magiſtratus a ruſticis, urbe domum vacuo cum curru remeantibus, ad rudera egerenda exigere ſolent, *tertia* carcerum atque ergaſtulorum anguſtiam, eorumque, qui præfecti illis ſunt, crudelitatem, deteſtatur; *quarta* & *quinta* fere conveniunt; illa ingredientes ſæpiuſcule Judicum domus, hæc generatim aſſiduos apud Judicem, Magiſtratuumque familiari conſuetudine uſos, objurgat. Quæ cum ſingula lata iisdem temporibus lege & autore pleraque & ſuaſore ipſo hoc *Libanio* coercita ſint; facile eſt ad credendum, quantum lucis Noſter nunc *Libanio* ex legum volumine, nunc huic ex Declamatore, fœneratus ſit. *Sextam* Sophiſtæ Orationem, pro templis gentilium

tilium non exſcindendis, *Gothofredus* olim ſeorſim ediderat, ſed nihilo vilioribus ſcholiis inſtructam nunc reliquis junctam. Nihil monere attinet de duabus Diſſertationibus, quæ proxime *Libanium* ſequuntur, quarum altera *de mutatione & augmento monetæ aureæ*, altera *de functione & æqualitate in mutuo* exponit, utraque ad juniorum prudentum limam ſæpiuſcule revocata eſt, æque ac Diſſertatio *de Electione Magiſtratus inhabilis, ad L. Barbarius Philippus 3 D. de Offic. Prætorum*, de qua lege varie ſententias ſuas dixerunt noſtri, nunc ſuam quoque Cl. *Trotzius*. D. *Pauli* verba ad Corinthios *Ep. I Cap. 11* Diſſertatio *de velandis mulieribus* ita immutat, ut in ἐξουσίας locum ἐξουβίας vocabulum ſubſtituat, exuviamque capitis, hoc eſt, velamentum, intelligat, facili quidem & modeſta, ſed profana, criſi, quam recentiores Philologi æque ac plures numero Theologi certatim profligarunt. *De interdicta Chriſtianorum cum gentilibus communione*, deque *Pontificatu Maximo* Chriſtianorum Imperatorum, proxima agit Diſſertatio, ſed quæ, non ſcimus, an Cl. *Trotzio* innotuerit, aut integra omnino, aut qua ad Pontificatum Imperatorum reſpicit, antequam in faſciculum illum *Opuſculorum*, Genevæ A. 1654 excuſorum, migraret, (ſi unquam migravit; vidimus enim exemplaria, quæ non habent,) anno jam 1645 *Julii Pacidii* nomine a *Jacobo* noſtro ſeorſim publicata eſt. Cum *Baronius* communem omnium ſententiam, Chriſtianos etiam Imperatores Pontificis Maximi titulo ſuperbiiſſe, oppugnaſſet, Noſter eam hac Diatriba tuitus eſt: & revocavit ſententiam, ſtudio veritatis, ut ait, & antiquitatis teſtimoniis inductus, *Baronius*. Sed priorem ejus ſententiam ab ſingulis *Gothofredi* objectionibus Vir ſua ætate maximus, *J. A. Boſius*, vindicare conatus eſt, cujus ex inſtituto in eam rem ſcripta eſt eodem titulo Exercitatio. *L. 13 C. de Fidejuſſ.* ad hoc, ad quod a *Triboniano*, ſignificatum τοῦ *ſpondere* non aſſecuto, relatum eſt, argumentum utique non pertinere, quin ad eum locum, quo de requirendis reis agitur, referri debere, docet Diſſertatio *de famoſis latronibus inveſtigandis*. Vicinæ his ſunt *de nuptiis conſobrinorum & de Teſtamento tempore peſtis*

Præf. p. 31.

stis condito, Exercitationes, & claudit agmen minorum Opusculorum *de statu Paganorum sub Christianis Imperatoribus* Commentarius, quem licet & ad *Lib. XVI Tit. X Cod. Theod.* extare verum sit, hic loci tamen locupletiorem se conspiciendum dare asseverat Cl. Editor. Succedit his *de diversis Regulis Juris antiqui*, succi omnino plenus, & ab æquo quovis harum literarum putatore aurum contra æstimandus, Commentarius. In quo quemadmodum id, quod propositum ipsi fuisse Præfatio docet, penitus exsecutus est, h. e. neglecto ipsarum regularum ordine, qui ob singularem tituli *ἀμεθοδίαν* curari non potuit, & suam cuique regulæ lectionem restituit, & singula cujusque verba pensiculate consideravit, & speciem eruit, & fugitivas suo loco reddidit, & concordantes, quas vocant, conquisivit, &, quæ falso concordantes aut repetitæ dicuntur, eas detexit, ipsarumque in foro quotidianum usum demonstravit; ita eo effecit, ut is liber masculæ dextræque Jurisprudentiæ partus ab omnibus habeatur, & soleant, qui ad eundem Titulum accedunt, ex his fontibus in sua prata pleraque derivare Interpretes. Colophonem his omnibus imponit *Manuale Juris*, Opus mole exiguum, sed, si ex doctrina, præstantia & usu ejus rem æstimes, prægrande, quod suo aliquando merito parva Juris mysteria Autor appellavit. Constat Opusculum succincta Juris Historia, Bibliotheca Juris Civilis Romani, sententiarum, ex *Justinianeo* Syntagmate depromtarum, florilegio, titulorum denique *πανδέκτε* & Codicis serie & nexu. Hæc sunt, quæ hoc nobis Volumine exhibentur, & quæ Index rerum sat copiosus & dives claudit & quasi obsignat. Quando vero Cl. Editor spem fecit, Viri magni, quæ restant, Critica Opuscula brevi, accurante Cel. *Havercampio*, visura lucem esse; nostra nunc interest, de reliquis omnibus, quæ *Jacobum Gothofredum* Autorem habent, libris duce *Trotzio* nostro videre. *Tertulliani* Libros duo ad Nationes aliquoties recusis Commentationibus, Prolegomenis, & Indicibus; *Philostorgii Cappadocis* Historiæ Ecclesiasticæ *Libros XII.* quos primus ipse in lucem protraxit, versione, Supplementis, Indice, prolixisque Disser-

Præf. p. 14.

ſertationibus, auxit, & in majore luce collocavit. Vetuſtam *Orbis Deſcriptionem* primus evulgavit Græce & Latine, & priorem, a *Jureto* profectam, verſionem emendavit ſæpiuſcule. *Hermogeniani, Gregoriani*que Codicis fruſta ſcholiis diſtinxit, &, quod ſolum *Gothofredianum* nomen interire unquam vetat, ad Codicem *Theodoſianum* Commentaria, Opus æternum, concinnavit, edendi tamen felicitatem, præventus intempeſtiva & luctuoſa legum cultoribus morte, *Marvilio*, JCto, reliquit. Non attinet quidquam in laudem Operis cedro digni addere, in quo doctrina incredibilis, indefeſſus labor, & felix judicandi vis, quid conjunctæ valeant, expertæ videntur. Nemo enim eſt, qui non virtutes Operis noverit, pauci, qui non ad indagandas legum antiquitates eo opus habuerint, eoque duce feliciter progreſſi fuerint. O utinam exſurgerent modo tandem aliquando digni *Marvilio* ſucceſſores, diuturnoque veterno excuſſo, hunc, quo ſine inſigni noxa carere ars noſtra non poteſt, librum prelo iterum ſubmitterent, ac, ne tam immani pretio in poſterum veneat, efficerent. De *Tutela & Cura* duas Noſtri Diſſertationes extare, *Lippenii* & *Freheri*, ſubleſtæ fidei virorum, periculo traditur. Præter hæc, & quædam *de ſuburbicariis regionibus* ἀποσπασμάτια, & ſi quæ ſunt, quæ evulgavit, alia, affecta etiam nonnulla habuit, ſed quibus deploranda nobis calamitate immortuus eſt. *Caſuale & Antinomicum*, quæ vocat, a ſe editum iri, promiſit ſæpius. *Bene dicta & male dicta Theophili*, in quibus inter nimios, qui ea ætate fuerunt, Paraphraſtæ obtrectatores, & laudatores nimios, arbitrum acturus erat, non duo tantum Codicis *Theodoſiani* & Manualium loca, quod *Trotzius* obſervavit, ſed ipſe ἐκδόσεως *Theophili*, A. 1620 publicatæ, titulus ſpondet, non tamen unquam *Jacobus* exhibuit. Ceterum non temere ſuſpicatur Cel. *Trotzius*, *Gothofredum* de Antiquitatum Romanarum integro Syntagmate cogitaſſe, idque, etiamſi forte non ea, quæ eſt ante *Fontes J. C.* utique tamen, quæ ante *Diſcurſum ad L. quisquis* comparet, Præfatio videtur quodammodo comprobare. Quæ cum ita ſint, in proclivi eſt videre, quam hæc ſe *Gothofredianorum* Opuſculorum

Præf. p. 16.

 inſtau-

Digitized by Google

inſtauratio erudito, qua meliorum partium eſt, orbi probatura ſit, & quantopere cupidis harum deliciarum labellis ſalivam moveat *Wachtleriana Opuſcula* accipiendi, quorum propediem luci exponendorum fidem in ſe recepit *Trotzius.* Nos, præſtantiſſimum hoc inſtitutum in noſtra omnium, qui elegantiorem Jurisprudentiam amamus, commoda redundet, ex animo optamus.

JO. PHILIPPI BURGGRAVII, JUN. D. M. Lexicon Medicum Univerſale, omnium rerum & verborum, ad Medicinam & diſciplinas, illi famulantes, ſpectantium, explicationem ſyſtematicam exhibens. Tomus I, literas A & B ſiſtens.

Francofurti ad Mœnum, ſumtibus Frid. Dan. Knochii, 1733, fol. Alph. 9 plag. 9.

Cum plures omnino diſciplinæ noſtra ætate non ſine multorum applauſu ſub ſchemate Lexici tradi cœperint, neque illa methodus ſuo carere emolumento videatur, ut ſub uno titulo lectoribus, quicquid de unaquaque re in toto diſciplinæ ambitu notatu dignum occurrit, ſiſtatur; ejusmodi Opus in medica arte deſiderari adhuc, animadvertens Cl. Autor, eidem condendo manus laudatiſſimo conſilio admovit. Etſi enim nonnulli proſtent libri, titulo Lexici Medici inſigniti, quos inter *Caſtellianum*, a multis poſtea auctum, ſuam meretur laudem; illi tamen verba magis explicare, quam *res* ipſas tradere, viſi ſunt, cum Noſter potius, non omiſſa verborum explicatione, juſtam rerum, ſub quovis articulo occurrentium, pandere ideam, &, quicquid de iis Medico ſciendum eſt, ſyſtematico nexu explanare, aggreſſus ſit, ſicque uno Opere realem veluti Bibliothecam Medicam exhibere deſtinaverit. Quantum ingreſſus ſit campum Cl. Autor, facile intelligit, qui, Medicinam eſſe ſcientiam, ſanitatem, ſeu, quod idem eſt, integritatem functionum corporis humani præſtantem, perpendit, cumque illud multiplici ratione cum reliquis hujus univerſi partibus concurrat, iisdemque varie alteretur, doctrinam de univerſo in genere æque, ac ſingulis ejus partibus, ſimul

mul jungendam attendit. Ita tamen in primo hujus Operis Tomo, quem jam Lectoribus nostris exhibemus, quique binas saltem Alphabeti literas A & B complectitur, versatus est, ut, plerosque, qui solidiorem rerum tractationem a superficiaria norunt discernere, Autori pariter ac orbi literato de egregio hoc labore gratulaturos, utque cœptam laudabiliter telam feliciter pertexat, optaturos, confidamus. Duces ubique sequitur Viros nostra ætate profundioris doctrinæ laude celeberrimos, in Philosophicis quidem Physico Mathematicis illustrem *Wolfium*, in mere Medicis Physiologicis & Practicis Cel. *Bœrhaavium*, in articulis ad Historiam naturalem spectantibus illos potissimum, qui de industria scrutati sunt rerum naturas, quorumve relatio cum phænomenis accuratissime convenire visa est. Ita tamen in his omnibus se gessit, ut nullius in verba magistri jurasse intelligatur, sed, ubi dissentiant inter se Autores, exposita cujusvis hypothesi, indicatisque fontibus, propriam subjungat epicrisin, liberumque lectoribus relinquat judicium. Quibus subtiliores quæstiones, ad Metaphysicam propius spectantes arrident, illorum desideriis Articuli de *anima*, *anima mundi*, *anima brutorum*, *anima humana*, & *animatione fœtus*, abunde satisfacient, ubi potiores de materiis his, maxime controversis, opiniones nervose exhibentur, quæve potissimum difficultates illarum quamvis premant, exponitur. Nostro in his Ill. *Leibnitii* sententia præ reliquis assensum mereri visa est. In iis, quæ ad universum in genere, ejusque mutationes, spectant, ita versatur Noster, ut primum eorum indolem causasque indaget, deinde eorum relationem ad corpus humanum, indeque expectanda commoda vel incommoda studiose expendat, atque consectaria diætetica & prophylactica deducat, uti illud ex Titulis de *Anno*, *Æstate*, *Autumno*, *Austro*, *Borea*, *Aere*, *Aqua*, innotescit, ubi inter alia, post tractationem aquæ Physico Medicam, explicatamque ejus pro varietate locorum diversitatem, *aquæ simplicis potum*, tanquam saluberrimum, ad corporis æque ac animi alacritatem conservandam, præ cerevisia vinoque, & similibus potuum, quos gulæ causa miscent mortales, speciebus, merito extollit, ejusque

præstantiam rationibus æque ac propria confirmat experientia. Neque machinas, ad demonstranda varia in hoc universo phænomena a recentioribus excogitatas, silentio prætermittit, sed earum inventionem, structuram, usumque, perspicue docet, uti ex *Æolipylæ* & *Barometri* evolutione patet. Disciplinarum ad Medicinam spectantium Historiam separatis quoque Articulis exponit. Ita, dum ad *Anatomen* devolvitur, primo varias occasiones, quibus ad lustranda interiora aditus veluti patefactus sit mortalibus, exponit, quorsum sacrificia, extispicia, brutorum laniationes, vulnera hominibus inflicta, & cadaverum condiendorum consilium, refert, quibus cum aliqua de corporis structura innotuerint, ad eandem exactius scrutandam invitatos credit. Ad Historiam vero ejusmodi contexendam non sufficere aliquam Autorum, qui singulis vixerint ætatibus notitiam, sed, quid quisque invenerit, magis respiciendum contendit, ut sic successivum artis primo rudis incrementum, magis in oculos incurrat, quidve perficiendum restet, pateat. Aliquot Autores, qui tale quid aggressi sint, commemorat, qui vero certas solum periodos sibi delegerunt. Cum vero major Anatomes sit ambitus, quam ut tota ejus Historia hac ratione digesta locum hic inveniat, speciminis saltem loco ideam de Anatomica *Hippocratis* cognitione pleniorem exhibet, ubi, quicquid in ejus Operibus ad Anatomen referendum est, in ordinem digessit, eorum, qui hunc secuti sunt, Autorum labores simili ratione annotandos aliis relinquens. Pleniorem *Botanices* Historiam exhibet Noster, quam intra dimidii seculi spatium magis, quam ante bis mille annis, excultam fuisse fatetur. Ab illo enim tempore Opera *Jo. Bauhini*, *Conr. Gesneri*, *Andreæ Cæsalpini*, *Fabii Columnæ*, *Roberti Morison*, *Jo. Raji*, *Aug. Quirini Rivini*, *Josephi Pitton Tournefortii*, aliorumque in hunc sensim splendorem evecta est, ut parum vel nihil ad illam perficiendam desiderari videatur. De horum virorum, egregie de Botanica meritorum, vita non solum potiora momenta adducit, sed quam quisque ingressus sit in degerendis plantarum generibus viam, exponit. Inprimis vero methodum

Raja-

Rajanam, *Rivinianam* &, *Tournefortianam*, præ reliquis eminentes, quarumve nulla, ſecundum Noſtri judicium, alteram deſtruit, ſed omnes juxta ſe invicem conſiſtere poſſunt, diſtinctis Tabulis, ex ipſis Autoribus deſumtis, copioſe exponit. Cum vero Celeb. noſtri *Rivini* Opus integrum non prodierit, ut nihil tamen in ejus methodo deſiderari queat, digniſſimi ejus diſcipuli, Experientiſſ. D. *Jo. Ern. Hebenſtreitii*, cujus reditum Academia noſtra avide expectat, Diſſertationem, quam Definitiones plantarum inſcriptam, antequam iter in Africam occidentalem Auguſtiſſimi Regis noſtri, glorioſiſſimæ memoriæ, juſſu aggrederetur, auditoribus ſuis reliquit, ſupplementi in methodum *Rivinianam* loco integram adjecit. Quando ad certas corporis humani partes exponendas devolvitur, primum ſtructuram earum accuratiſſime ad ductum recentiſſimorum Anatomicorum deſcribit, atque, ubi perſpicuitatis ratio poſtulare videbatur, Figuras, ex iisdem ſelectas adjicit, inde functiones earundem ſolicite exponit, læſiones varias adducit, quave ratione iisdem ſuccurrendum ſit, tum remediis internis, tum etiam, ſi a cauſa externa violenta pendeant, chirurgicis, dilucide demonſtrat. Ita ſub Titulis *Arteria* & *Aorta* ejus per totum corpus diſtributionem exacte perſequitur, & Tabula ænea, ex *Drackii* Anthropologia deſumta, exhibet; *Azygos* venæ explicatio Anatomico-Phyſiologica, in qua peculiaris ejus Mechaniſmus, ejusque cauſa & emolumenta, exponuntur, attentionem Lectorum mereri omnino videtur. *Auditus organon*, cujus doctrina inter difficillimas omnino referenda eſt, variis Articulis, *de auricula, auditorio meatu, nervo, oſſiculis*, perſpicue admodum expoſitum, & Figuris, ex *Valſalva* potiſſimum, qui ſolidiſſime de eodem ſcripſit, deſumtis, illuſtratum reperitur. Neque minorem in ſtatu corporis præternaturali explicando operam collocavit. Morbi enim cujusque definitione accurata exhibita, hiſtoriam ejus pleniorem contexit, in cauſas ſolicite inquirit, earum ſigna ſuppeditat, obſervationibus, tum propriis, tum alienis, illuſtrat, demumque ſecundum ſingulas cauſas medendi methodum ſubjicit, uti *Aphtharum, variarum Anginæ ſpecie-*

rum, diſtinctius hic evolutarum, ſimilibusque cuivis innoteſcet exemplis. De Chirurgicis non ſolum occaſione variorum vulnerum, certis corporis partibus inflictorum, agit, de quorum ſimul lethalitate ad forenſis Medicinæ illuſtrationem judicium interponit, ſed præcipuarum etiam Operationum Chirurgicarum explicationem accuratam ſeparatis Articulis aggreditur, uti *Arteriotomiæ*, *Amputationis artuum*, *Bronchotomiæ*, Tituli docent. In Materia Medica explicanda copioſus perquam eſt, atque omnium corporum naturalium ad eam referendorum diſtinctam ideam exhibere lectoribus nititur. Si ex animalis regni cenſu ſit, primo hiſtoriam ejus animalis affert, ejusque diverſas ſpecies recenſet, qualitatesque & inde ſperandas virtutes exponit, deinde, quæ potiſſimum partes illorum in uſum trahantur, docet, &, utrum effectus iis aſſignatus veritati reſpondeat, aut ſuperſtitioni debeatur, diſquirit. In vegetabilibus explicandis ita verſatur, ut primo notas characteriſticas cujusvis plantæ ſuppeditet, deinde varias ſpecies alleget, hiſtoriam vegetationis ſubnectat, qualitates & facultates eruat, indeque, quem effectum in primis partim viis, partim ad ſanguinem delatæ, exſerere queant, deducat, varia præparata inde confecta earumque indolem commemoret, quibusve deſtinentur morbis, copioſius explicet. Neque minorem induſtriam in regni mineralis productis oſtendit. Ut enim de *Acidulis* taceamus, quæ tanquam aquæ, quorundam mineralium virtutibus imbutæ, eo referendæ ſunt, quarum non ſolum potiores in Germania recenſet, quibusque conveniant aut diſcrepent phænomenis, commemorat, ſed contentorum etiam originem atque indolem eruit, indeque effectus earum deducit, atque modum iisdem utendi cum neceſſariis cautelis proponit, reliquorum corporum mineralium characteres ſpecificos, locum natalem, e terra eruendi modos, una cum effectu in corpore humano expectando, variaque eorum præparatione, ſtudioſe recenſet. Qua occaſione multa etiam ad Chymiam cum Pharmaceuticam tum abſtruſiorem ſpectantia, curioſorumque palato ſatisfactura, occurrunt. Inter articulos Medico-forenſes, præter

illa

Digitized by Google

illa, quæ de vulnerum lethalitate jam dum adduximus, inprimis sub Titulo *abortus* variæ quæstiones altioris indaginis excutiuntur; v. g. quæstionem, an abortus quocunque tempore provocatio pro homicidio commisso æstimanda sit, negative resolvit, cum fœtui humano definitio hominis, quod sit substantia ex anima rationali & corpore organico, invicem junctis & in actionibus suis conspirantibus composita, non omni tempore competat. Uti enim rudimentum fœtus, per varias mutationes transire debeat, antequam in corpus humanum perfectum evolvatur, ita etiam animam f. substantiam simplicem primo mere sensitivam, seu simpliciter animalem, successive demum, prout corpus magis in fœtum humanum transeat, in statum rationalitatis transformari, contendit; hinc abortum, ante quartum mensem procuratum, neque quoad corpus, neque quoad animam, pro homicidio æstimari posse, inter quartum vero & septimum pro hominis nondum perfecti & maturi occisione habendum concludit. Illud tamen dubium nondum satis expeditum videtur, an non, concessa etiam successiva hac corporis & animæ ex suis veluti elementis evolutione, in applicatione ad causas forenses eandem contraxisse culpam dicendus sit, qui hanc transmutationem corpusculi & substantiæ simplicis semel inchoatam, sicque, nisi violenta ex utero expulsione sufflaminata sit, certo in corpus humanum & animam rationalem ex Creatoris destinatione transituram, intervertit, ac ille, qui fœtum humanum ultimis mensibus e sede sua ejecit. Præter hanc plures quæstiones, ad abortum pertinentes, solide resolvuntur, v. g. an Medico pro salute matris abortum provocare liceat? An dentur remedia simpliciter, & absolute, cum matris salute abortum provocantia? An abortus sterilitatis metum inducat? Facile ex his, quæ de methodo Autoris Clariss in hoc Opere adhibita adduximus, de ipsius præstantia Lectoribus nostris constare posse speramus. Quare, ne limites nobis consuetos excedamus, plura hic ex Articulis specialibus adducere supersedemus, cum rerum inprimis notabiliorum copia difficiliorem reddat selectum, plura etiam in sequentium Tomorum, quorum maturam editionem in multorum emolumentum merito optamus, recensione addere, nobis sit constitutum.

JO.

Digitized by Google

JO. WILH. THEODORI LEICHNERI, PHIL. M. & Dicaſterior. Electoral. Erfurtenſ. Advoc. Ord. Demonſtratio methodi ſuæ Geometricæ, quantitatem liquoris dolio, non pleno, ſitum horizontalem habente, contenti, indagandi, communicatæ in Act. Erud. A. 1730 Menſe Maji.

Artificium hujus methodi fundatur in eruenda ſoliditate ungulæ hyperbolicæ, (cujus nimirum baſis eſt ſegmentum circuli, reliqua autem ſuperficies partim conica, partim hyperbola,) ex cono reſectæ, quam ſequenti modo erui: Sit *CEGF* conus truncatus, dimidium dolium exhibens, compleatur ille per △ *DFG*. Porro ſecetur totus conus mediante plano *AD*, per verticem & baſin circularem coni tranſeunte, erit ſoliditas pyramidis irregularis *ACD*, ad ſoliditatem pyramidis irregulis *ADE*, uti ſegmentum baſeos circularis coni, cujus ſagitta *AC*, ad ſegmentum reliquum, cujus ſagitta *AE*; cum pyramides, ſeu regulares, ſeu irregulares, ejusdem altitudinis, ſint in ratione baſium. Jam vero *ABD* eſt itidem pyramis irregularis, ſed maxime ſcalena, cujus nimirum baſis eſt hyperbola *AB*, reliqua autem ſuperficies partim △ *ABD* (ceu planum conum *CDE* per verticem ſecans) partim ſuperficies conica *BD*. Generatur enim hæc pyramis, dum linea punctum *D* perpetuo ſtringens, hyperbolam *AB* una cum ipſius baſi ſeu ſubtenſa (quæ chorda eſt ſegmenti circularis, cujus ſagitta *AC*) peragrat, & adeo partim ſuperficiem conicam *BD*, partim ante memoratum △ *AD* deſcribit. Sublata autem hac pyramide *ABD* ex pyramide *ACD*, relinquitur ungula hyperbolica *ACB*. Atque ex hoc fundamento fluit calculus methodi meæ pro priori caſu, ubi liquor nondum infra ſupremitatem fundi doliaris *F* ſubſedit. Poſterior caſus, ubi liquoris ſuperficies eſt infra modo dictam ſupremitatem, cum facile redigatur ad priorem, dum in propatulo eſt, portionem dolii *ACFI* eſſe differentiam duarum ungularum conico-hyperbolicarum *AHC* & *FHI*, patet hinc

TAB. VI Fig. 1.

etiam

etiam demonſtratio poſterioris partis methodi meæ, utpote quæ differentiam hanc, utriusque ungulæ ſoliditatem ut antea inveniendo, eruit. Cum etiam facile area hyperbolæ ope logarithmorum erui poſſit, ſi adhibeatur artificium *Hugenii*, quod habetur in Ephem. Erud. Gall. A. 1668 n. 5. praxi etiam ſic ſatis eſt accommoda hæc mea methodus, ſaltim certus ſum, breviorem inveniri haud poſſe, cum in aprico ſit, citra aream hyperbolicam rem confici haud poſſe. Dictum artificium autem *Hugenianum* hoc comprehenditur theoremate: Si Logarithmus differentiæ duarum quarumcunque in hyperbola ad aſymtoton ordinatarum alteri aſymtoto parallelarum addatur ad 0. 3622156868, ſumma erit Logarithmus numeri partium, (quæ continentur in ſpatio hyperbolico intre dictas parellelas, aſymtoton & curvam hyperbolicam comprehenſo,) ſimilium illis, quarum in parallelogrammo hyperpolico (cujus nimirum latera ſunt lineæ ex eodem hyperbolæ puncto ad utramque aſymtoton iisdem παραλλήλως ductæ) continentur 10000000000.

HOROGRAPHIA UNIVERSALIS, SEU SCIAtericorum omnium planorum, gnomonice nova methodo deſcribendorum, pro quovis horologio, ſive Aſtronomico, ſive Italico, ſive Babylonico, ſive Judaico, uniformis atque univerſalis doctrina, ſola triangulorum analyſi breviter expoſita, atque in tres digeſta libros, cum Iſagogicis nonnullis Mathematum, & triplici Appendice, de nautica ſcientia, de militari Architectura, ac de temporum janua; Autore R. P. F. BENEDICTO MARIA CASTRONIO, Panormitano, Ord. Prædicat. ac Matheſeos Profeſſore.

Panormi, ex Typographia Jo. Baptiſtæ Aiccardo, 1728, fol. Alph. 4 plag. 10, Tabb. æn. 19.

Cum in Sciatericis delineandis duplex fere methodus locum habeat, Geometrica & Arithmetica, quarum illa per

plurium linearum ductus, circulorumque interſectiones, analemmatum ope procedit, hæc per triangulorum analyſin, inventis azimuthalibus, ſeu potius verticalibus angulis, atque altitudinibus ſolis, ope ſinuum & tangentium, puncta ſingula calculo inquirit, per quæ lineas duci horarias oportet: ex his Cl. Autor in hoc libro poſteriorem quam diligentiſſime explanavit, eamque alteri omnino præferendam arbitratus eſt. Nam Geometrica methodus, quia tot perpendicularium ac parallelarum anfractibus, nec non permoleſtis circulorum eſt intricata diviſionibus, in quibus exarandis errores aut vitari nequeunt, aut difficulter emendantur, atque alii alios poſt ſe trahunt, non niſi nimio labore ac moleſtia ad exactam praxin reduci poteſt: cum altera his pene omnibus carere tricis Autori noſtro videatur. Eſt autem Opus totum diviſum in *libros tres*: quorum *unus* inſcribitur Iſagogicus; *alter* Horologicus; *tertius* Horographicus. In *primo* præmiſit Autor Iſagogica perquam ampla ex pleriſque Matheſeos partibus, quibus nempe tiro doctior factus, ipſam Horographiam expeditius concipere, ratiocinia ejus ſatius intelligere, & quæ agenda ſunt, jucundius atque facilius exercere valeat. Itaque prima Iſagoge deſumta eſt ex Geometricis; altera ex Trigonometricis, ubi etiam logarithmorum doctrina explicatur; tertia ex Geodeticis; quarta ex Coſmographicis; quinta ex Aſtronomicis & Geographicis. In *ſecundo Libro* agitur de tempore, de diei naturalis varia diviſione, de Horologio antiquo ſeu Judaico, de Horologio Italico & Babylonico, de Horologio Aſtronomico, de diſtantiis horariis, de ſolis altitudinibus atque ejus angulis, tum azimuthalibus, tum verticalibus, pro ſingulis horis cujuscunque Horologii, de horis borealibus, auſtralibus, orientalibus, occidentalibus, diurnis & nocturnis, in quocunque Horologio, ac denique de reciproca Horologiorum converſione. Omnia autem, quæ huc pertinent, problemata trigonometrice ſolvuntur, atque accurate pertractantur. *Libri tertii Sectio prima* de Horographiæ præliminaribus nonnulla proponit, exempli cauſa de gnomone decadico, ſcala & norma, ejusque partibus ad canonem tri-

trigonometricum comparandis, de horarum umbris in plano, de punctis horariis, de latitudinibus & longitudinibus umbrarum; *secunda*, de Sciaterico horizontali; *tertia*, de verticalibus; *quarta*, de inclinatis; *quinta*, de Sciatericis, tum organice, id est, ope organi cujusdam, tum catoptrice, id est, interveniente speculo, describendis; *sexta*, de Sciatericis portatilibus, armillari scilicet universali ad quamvis poli elevationem, & tabellari ad elevationem datam. Jam, quod attinet ad ipsam Autoris nostri novam methodum, quam non sine magno labore a se inventam planeque universalem factam memorat, ea in hoc potissimum consistit, ut umbrarum latitudines & longitudines, ad singula puncta horaria cujusque Horologii in plano signanda, calculo trigonometrico & Tabulis ad id apte confectis rite determinentur. Sit in plano horizontali *AHP* erectus gnomon *EF*, ductaque per *E* recta *VEP*, repræsentet communem sectionem verticalis primarii cum horizonte, eique orthogonalis *AEB* meridianam lineam. Sit præterea recta gnomonis umbra ad datam horam, lucente sole *M*, in plano projecta *EG*: e cujus extremo *G* si recta ducatur *GK*, perpendicularis ad *VP*, jam triangulum consurget *EKG*, rectangulum in *K*, cujus hypotenusa est ipsa gnomonis umbra *EG*: crura vero, *EK*, *KG*, vocantur ab Autore latitudo & longitudo umbræ: quæ quomodo in partibus gnomonis decadici *EF*, pro radio communi assumti, captari debeant, (in quo tota doctrinæ præstantia consistit) quam luculentissime ab Autore docetur. Similiter in plano verticali, si gnomon ad planum rectus *EF* umbram projiciat *ET*, a cujus extremo *T* ad horizontalem *HEO* perpendicularis ducta concipiatur *TD*, erunt *ED* latitudo, & *DT* longitudo umbræ, in proportione seu partibus ipsius gnomonis itidem determinandæ. Postremo Cl. Autor, cum nulla ipsi videretur superesse spes, ob fessas corporis vires & grandævam ætatem, reliquas faciendi publici juris suas in hoc genere lucubrationes, rogatus non dubitavit aliquas addere Appendices, de nautica scientia, de militari Architectura, ac de temporum janua, compendiosa illa quidem, at com-

TAB. VI Fig. 2.

Fig. 3.

 pleta

Digitized by Google

pleta Opuſcula, novam quandam in his rebus doctrinam continentia. In primo Tractatu, poſt expoſitas hypotheſes pro utraque charta, plana & reducta, ſolvuntur problemata plurima chartæ planæ & globo communia, problemata reductiva præcedentium ad globum, problemata priorum omnium reductiva, problemata ſpecialia ad uſum chartæ planæ ſpectantia, & problemata pro charta reducta: quibus accedunt problemata duo, de loco acceſſus navis, vel ex vi peractæ navigationis, vel ex ſolo proſpectu viſæ terræ cognitæ, in utraque charta punctando. Sequitur altera Appendix de militari Architectura; ubi id agit Autor, ut perfectiorem reddat methodum muniendi *Vaubanianam*, in qua diſplicet tum quarundam menſurarum in diverſis poligonis repentinus ſaltus, tum inepta aliarum identitas, tum tot parallelarum moleſta perductio, tum denique partium in aſſignandis ex ſcala menſuris arbitraria potius, quam neceſſaria, depromtio: quapropter hæc vitare incommoda, & uno eodemque dictamine cunctos ſimiliter munire poligonos, nullius ope ſcalæ, nulloque dimenſionum diſcrimine, ſed duntaxat ex propriis cujuscunque poligoni, docet. Reſtat Appendix tertia, in qua ſchematiſmum explicat doctiſſimus Autor, quem partim a figura, partim ab uſu, *Jani portam*, ſeu *temporum Januam*, vocat, quæ nihil aliud eſt, quam Calendarium quoddam perpetuum, Januæ formam præ ſe ferens, cujus ope majores ac mobiles Eccleſiæ ſolennitates, ac luminarium ſyzigiæ, pro quovis anno facile definiri poſſunt. Præcipuum artificium poſitum eſt in duplici arcu, duabus paraſtatis portæ impoſito, quem nos arcum duplici Tabella plana hic exhibemus. Ut igitur Paſcha anni cujuslibet inveniatur, epacta ejus quærenda eſt in alterutra Tabula. Litera Dominicalis ſuperſtans ſemper neglegi debet, quippe Judæis Paſchalis. Ideoque dextrorſum, &, ubi opus eſt, ex una Tabella in alteram progrediendum eſt, donec eadem litera rurſus occurrat. Numerus ei ſuperſtans indicabit diem Martii vel Aprilis, in quem incidit Paſcha anni propoſiti, ſecundum decretum Concilii Nicæni.

Paſcha

Paſcha Aprilis.	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25
Lit. Domin.	G	A	B	C	D	E	F	G	A	B	C	D	E	F	G	A	B	C	D	E	F	G	A	B	C
Epacta.	12	11	10	9	8	7	6	5	4	3	2	1	*	29	28	27	26	25 24							23

Paſcha Martii.	22	23	24	25	26	27	28	29	30	31		
Lit. Domin.	D	E	F	G	A	B	C	D	E	F		
Epacta.	22	21	20	19	18	17	16	15	14	13		

JOANNIS CHRISTOPHORI WOLFII, PASTORis ad D. Cathar. Hamburg. & Scholarchæ, Bibliothecæ Hebrææ Volumen IV & ultimum, complectens Acceſſiones & Emendationes, ad totum Opus pertinentes.

Hamburgi, apud Theod. Chriſt. Felgineri viduam, 1733, 4. Alph. 7 plag. 2.

Exegit ita perenne *Bibliothecæ Hebrææ* Opus S. Rev. *Wolfius*, feliciter! acclamantibus univerſis, quotquot æſtimare illius pretium, ampliſſimæ doctrinæ reconditiſſimæque copiam, notitiarum rariorum præſtantiam, & Herculei fere laboris immenſitatem, ex vero didicerunt. Nos haud illibenter, neque loco poſtremo, accedimus τῶν συγχαιρόντων gregi, de ſumma jam Tomi hujus poſtremi more noſtro diligenter ac candide relaturi. Principe loco occurrunt *Supplementa ad Volumen* Operis *ſecundum*, de quo in his *Actis* ad *Annum 1722 p. 194 ſeq.* dictum eſt abunde. Sequitur novum *ad Volumen primum Spicilegium*, poſt illa, quæ Tomo tertio, recenſito nobis ad *Annum 1727 p. 490 ſeq.* tradiderat jam larga manu Vir Clariſſimus. Concludunt *Indices tres*, ſingulari cura elaborati. *Primus* nomina Scriptorum Ebraicorum omnium, Latino charactere expreſſa, res potiores univerſi Operis *alter*, *tertius* denique titulos librorum Ebraicorum, exhibet, de quibus in ultimo hoc Tomo vel recens, vel repetita vice, actum eſt. Ita autem in hoc negotio ver-

ſatum deprehendimus Autorem venerabilem, ut non minori candore, quam induſtria ac fide, correxerit paſſim atque emendarit ſecus poſita in antecedentibus, ſupplerit imperfectius olim tradita, ac firmarit demum & defenderit novis argumentis ab aliis temere elevata atque impugnata. Præter hæc diſtinxit quaſi gemmulis quibusdam doctiſſimus *Wolfius* hanc ſcriptionem, inſertis paſſim illuſtratisque ſuis Animadverſionibus, excerptis etiam quandoque ſaltim, Opuſculis rarioribus aut ἀνεκδότοις, quorum præcipua hic appellare libet. Ita legitur *p. 336 Joannis Henrici Otthonis Hiſtoria doctorum Miſchnicorum*, ad editionem Belgicam, eandemque rarius obviam, *Adriani Relandi* curate expreſſa. *P. 526 ſeq.* proferuntur quædam ſpecimina ex præſtabili, ſed paucis inſpecto, Opere, quod *Petrus* quondam *Niger*, Ordinis Prædicatorum, ſub indice *Stella Meſſiæ* contra Judæos conſcripſit. *P. 570* conſpiciuntur Philologi ſua tempeſtate excellentiſſimi, *Esdræ Edzardi, Annotationes* ad *Raymundi Martini Pugionem fidei* ex editione *Joſephi Voiſinii.* Delectabit etiam multos occurrens p. 639 ſeq. luculenta notitia atque ſpecimina verſionis Germanicæ perditiſſimi æternisque tenebris digniſſimi libri חזוק אמונה inſcripti, quam confecit olim *Michael Gellingius*, Ex-Judæus. Meruit etiam repeti typis, & *p. 1004* collocari *Gabrielis Groddeckii*, τοῦ μακαρίτου, Profeſſoris Gedanenſis clariſſimi, *Hexecontas*, quam appellat, *Pſeudonymorum Ebraicorum*, paulo ante fata ſuprema Gedani A. 1708 vulgata, & comparata ad augendum corrigendumve illa, quæ antea de eodem hoc argumento in *Theatro Anonymorum ac Pſeudonymorum Placciano* diſſeruerat Vir præſtantiſſimus. Tacemus reliqua, & in ipſo libro curioſe inſpicienda permittimus ſimilium deliciarum cupidis Lectoribus. His ut tanto melius conſtet, qui ad ſe perveniſſet tanta & tam inſignis Emendationum & Supplementorum materiæ copia, monet in Præfatione Cl. *Wolfius*, ære redemtum abs ſe haud ita pridem fuiſſe *Apparatum* univerſum *MStorum Ebraicorum*, qui olim exſtabat in Bibliotheca Ampliſſ. *Uffenbachii*, Conſulis Francofurtani, ſupellectilem item Orientalem

Hin-

Digitized by Google

Hinckelmannianam, & Codices demum quosdam ex Bibliothecis *Schultingiana*, Hafniensi atque aliis, redemtas. Prædicat insuper humanitatem Cl. Viri, *Joannis Gagnerii*, qui liberaliter secum communicavisset luculentam notitiam MStorum Ebraicorum, quos *Bodlejana*, aliæque Oxonienses, ingenti numero asservant; quemadmodum ipse Autor quartum adiit Bibliothecam *Oppenheimerianam* Hanoveræ, ejusmodi libris omnium longe instructissimam, unde haud pauca in usus suos & præsentis Operis augmentum transtulit. Ceterum, cum exstiterint, qui, vel invidia ducti, vel oscitantia abrepti, laborem hunc Cl. *Wolfii* nudum *Compendium* vasti *Operis Bartolocciani* pronunciarent temere, sub finem antecessionis luculenter adhuc docetur, quantum illi a vero aberrent, quantumque sit utriusque Operis discrimen; promittiturque simul edendum aliquando sub *Bibliothecæ Ebraicæ realis* titulo aliud Opus, non minoris usus, quam jucunditatis certo futurum, in quo relatum invenietur, quinam Scriptores, vel Judæi, vel Christiani, de antiquitatibus, doctrinis & ritibus, institutisque Judæorum, vel in genere, vel speciatim, nunc data opera, nunc ex occasione, in libris, qui exstant, commentari susceperint. Hoc ut perficere ex voto possit Vir venerandus, eruditæ civitatis causa & commodo serio optamus.

M. TULLII CICERONIS ORATIO PRO T. Annio Milone emendata & illustrata a CHRISTOPH. AUG. HEUMANNO, cujus & accessit Interpretatio Germanica.

Hamburgi & Lipsiæ, apud Jo. Christ. Langenhemium, 1733, 8. Plag. 15.

Tam longa mora, tamque attente, ac tot instructum subsidiis, se pertractasse hanc *Orationem Ciceronianam* optimam, profitetur Cel. Editor, ut confidat, hanc suam editionem habitum iri superioribus omnibus meliorem ornatioremque. Nec vero arroganter hoc ab se jactari addit, sed fieri id a quovis

vis Philologo eodem & Critico neceſſe fuiſſe, qui æque lente feſtinarit: cum contra, qui totum aliquem ſcriptorem edant præmiſſa exigui temporis perluſtratione, ii, doctiſſimi licet Philologi acutiſſimique Critici, non poſſint non fugitivo uti oculo, multa prætervehi, in emendandoque ſive ingenium ſuum, ſive MStos Codices, ſequi non ſatis conſiderate. Præmittit in Præfatione judicium ſuum de aliorum cum criticis, tum philologicis, ad hanc Orationem Annotationibus. Cumque jam in *Pœcile* ſua, ubi Caput unum hujus Orationis aliquot mendis liberat, ſententiam dixerit de *Gruteri*, *Jac. Gronovii*, *Hotomanni*, *Cruquii*, *Franc. Fabricii*, & *Freigii*, notis, nunc exponit, quod ſentit de Annotationibus *Jani Parrhaſii*, *M. Ant. Sabellici*, *Melanchthonis*, *Barth. Latomi*, *Franc. Sylvii*, *Dreſſeri*, *Nic. Abrami*, *Gravii*, *Cellarii*, & *Verburgii*, imo & de *Aſconii Pediani* eandem in *Orationem* Commentariis. Tum, quod ſuum fuerit conſilium, docet, ut videlicet non ſolum librariorum mendas & Grammaticorum gloſſemata (quorum non exiguum ait occurrere numerum in *Tullianis* Orationibus,) tolleret, verum etiam obſcuriora vulgo literato loca redderet perſpicua. Nullam vero ſuarum emendationum, exceptis iis, quæ clariſſimæ & jam ab aliis Criticis prolatæ probatæque, in textum recepit, ſed eas in notis exhibet, olim demum, poſtquam ſcilicet munitæ fuerint Criticorum ſuffragiis, textui inſerendas. Præterea falſas plurium correctiones refellit, vulgatamque ſcripturam ſubinde tuetur certis argumentis. Addit, hoc quoque ſibi curæ fuiſſe, ut juſtis interpretationibus ornaret Orationem hanc, cum decus hoc nulli ſuperiorum editionum non deſit. Denique ſubjicit Germanicam hujus *Orationis* interpretationem, vicem præſtituram *Minellianarum* Annotationum, imo longe clariorem ac magis perſpicuum facturam Autoris ſenſum, quam vel optima iſtius generis ſcholia. Noſtrum nunc eſſe putamus, ut cum gloſſemata aliquot a Noſtro obſervata commemoremus, tum etiam aliquot emendationes, Lectorum noſtrorum ſubituras judicium. Interpretationes enim vocum phraſiumque, vulgo non ſatis intellectarum, quarum hic reperitur feſtiva copia, brevitatis ſtudio prætermittimus.

Digitized by Google

mus. Statim igitur *Cap. 1* pro *non afferunt tamen Oratotori aliquid*, quod eſt in omnibus editionibus, Noſter reſcribit *afferunt tamen horroris aliquid. Cap. 13* pro *uſitatis jam rebus* legi jubet *ſedatis jam rebus*: ubi meminimus, etiam *Corn. Nepotem* in *Attico Cap. 4* dixiſſe *tranquillatis jam rebus Romanis. Cap. 20* pro *Quid ergo erat moræ & tergiverſationis?* legit *Quid ergo? Erat mora & tergiverſatio. Cap. 21* pro *perculit ab abjecto* ponit *opem tulit abjecto. Cap. 22* pro *ſperata libertas* legendum ipſi videtur *parata libertas. Cap. 30* pro *is vir vere putandus eſt* legendum judicat *is vero vir putandus eſt.* Veniamus ad gloſſemata. *Capitis* igitur *13* ultima hæc verba ejicit: *Quantum odium illius, & in homine injuſto, quam etiam juſti[illegible]? Cap. 14* aſſentitur *Manutio*, pro gloſſemate habenti hæc verba: *Huic ego vos objici pro me non ſum paſſus. Cap. 18* hæc abeſſe jubet verba: *Jacent ſuis teſtibus ii, qui Clodium negant eo die Romam, niſi de Cyro audiſſet, fuiſſe rediturum.* E *Cap. 22* hæc verba exterminat: *De ſervis nulla quæſtio eſt in dominum, niſi de inceſtu, ut fuit in Clodium.* Ultimo e Capite hæc ejicit: *aut ſi forte pro patria.* Scilicet (ita pergit,) ad verba: *in patria*, adſcripſerat aliquis: *an forte pro patria?* Subaudi *legendum eſt?* Sufficiant hæc ſpecimina. Unum ſupereſt, quod indicare debemus, Cl. Editorem plures *Ciceronis Orationes*, (eas ſcilicet, quæ e ceteris delectæ tractari ſolent in Scholis atque Gymnaſiis,) non minori a ſe pertractatas induſtria, hac eadem ratione editurum, ſi hæc *Milonianæ* editio ſe probaverit eruditiſſimis Scholarum Gymnaſiorumque doctoribus.

VETERIS GEMMÆ, AD CHRISTIANUM uſum exſcalptæ, brevis Explanatio, ab ANONYMO Italo tentata.

Neminem latere poteſt, quam a vero aberrent ii, qui veterum Chriſtianorum lipſana intractata relinquenda cenſent, utpote inelegantia, quæque, ſi cum Græcorum Romano-

rumque veteribus monumentis comparentur, ad eruditionem, ut ipſi exiſtimant, parum conducant. Animadvertere enim eos oportebat, haſce ſacræ vetuſtatis reliquias profanis eſſe præferendas, cum illæ majorum noſtrorum religionem & mores exhibeant, nec tantummodo animum noſtrum erudiant, verum ad virtutem excolendam, eorumque pietatem imitandam, exſtimulent atque accendant. Quamobrem Chriſtianæ Antiquitatis ſtudioſis cultoribus non inutile, neque injucundum, viſum eſt, ſacram hanc Gemmam ſpectandam proponere, & in lucem proferre. Sardonyx ea eſt bicolor, cui

TAB. VI Fig. 4.

Beatiſſimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ protome exſcalpta eſt a non pœnitendo artifice Seculo IX. Capite velato viſitur, flexisque ad cubitum brachiis, manibusque expanſis, orantis in ſpeciem, id eſt, apud Deum deprecantis. Hoc enim corporis ſtatu Chriſtianos orare conſueviſſe, docet *Euſebii* locus in *Conſtantini Magni* Vita, *Lib. IV Cap. 25*, loquentis de ejusdem Imperatoris imagine: *Τὼ χεῖρε δ' ἐκτεταμένος εὐχομένȣ σχήματι*; *manibus expanſis, precantis in modum.* Apertius *Tertullianus* Libro *de Oratione Cap. 13*: *Atqui cum modeſtia & humilitate adorantes, magis commendabimus Deo preces noſtras; ne ipſis quidem manibus ſublimius elatis, ſed temperate ac probe elatis, ne vultu quidem in audaciam erecto &c.* atque ita ſeſe compoſuiſſe dixerim, ut ab Ethnicorum orandi more quam longe abeſſent. Hi enim, uti obſervavit *Barn. Briſſonius* ex *Homeri* interprete, & *Dionyſius Lambinus Libro III* Carminum *Horatii Ode 23*, ſublatis ad cœlum manibus cœleſtes, ut ipſi putabant, Deos orabant, marinos vero ad mare porrectis, inferos autem Deos deprecabantur pulſata manibus terra. Sed ad Chriſtianorum ritus, de quibus inſtitutus eſt ſermo, noſtra redeat oratio. Similem huic noſtræ Imaginem Dei Genitricis pingi juſſerat in abſide novæ ædis, a ſe in honorem Beatæ Virginis in Palatio conſtructæ, *Baſilius Macedo* Imperator, cujus ſacræ ædis deſcriptionem exornavit *Photius*, Conſtantinopolitanus Patriarcha, magna, ſed mala, fama notus; quam deſcriptionem publici juris fecit Cl. Vir, *Anſelmus Bandurius*, Imperii Orienta-

TAB. VI. ad A. 1733 M. Octobr. p. 454. 457. et .

Fig. II.



Fig. I.



Fig. III.



Fig. IIII.

Digitized by Google

entalis *Tomo I Lib. VI p. 140.* Ita illa describit: ἡ δ' ἀπὸ τοῦ θυσιαστηρίου ἀνεγειρομένα αὖθις τῇ μορφῇ τῆς παρθένου περιαστράπτεται τὰς ἀχράντους χεῖρας ὑπὲρ ἡμῶν ἐξαπλώσης, καὶ πραττομένης τῷ βασιλεῖ τὴν σωτηρίαν, καὶ τὰ κατ' ἐχθρῶν ἀνδραγαθήματα. *Absis vero, quæ ab altari assurgit, Virginis forma resplendet, expansis nostri causa intemeratis manibus, ut Imperatori salutem, & victoriam de inimicis, pariat.* Similem refert *Ciampinus* Veterum Monumentorum *Parte II Cap. 15 Tab. 31.* Sic etiam efficta visitur in duobus nummis æreis *Joannis* Imperatoris, & in aureo *Emanuelis Comneni* apud *Cangium* Historiæ Byzantinæ illustratæ in Familiis Byzantinis *p. 168 & 201.* In hisce autem, sicut & in nostra, utrinque ad Beatæ Virginis caput compendiariis literis legitur: Μ-Ρ ΘΥ MATER DEI, quo præconio præcipue post Ephesinum Consilium ea celebrabatur, ut observavit magnus Annalium Parens *Tomo V* ad *Annum 431 n. 176*, ad evertendam scilicet profligandamque *Nestorii* hæresim, quæ impii dogmatis peste Orientem invaserat. Eadem narrantur in Collectione Conciliorum *Philippi Labbei & Gabrielis Cossartii Tomo III col. 551 & seq. noviss. edit.* & in notis ad Concilium Ephesinum *Actione VII col. 1770.* In adversa Gemmæ parte Crux exsculpta est, his literis ad latera appositis: ΚΕΒ ΛΕΟ ΤΙΔΕ CΠΟΤ κύριε βοήθει Λέοντι δεσπότῃ: *Domine adjuva Leonem Dominum.* Formula hæc Liturgica erat, qua Dei auxilium alicui precabantur. Muris urbis Selimbræ inscriptum est, ut refert *Jac. Sponius* in Miscellaneis eruditæ Antiquitatis *Sectione X p. 332*:

† ΚΕ ΒΟΙΘΗΤΟ Cω ΔΟΥΛω
ΣΕΡΓΙω ΒΑCΙΛΙ CΠΑΘΑΙω ....

Sic Domine adjuva servum tuum Sergium Regem &c. aliaque persimilis Epigraphe in muris Hadrianopolis. Eadem legitur in tribus nummis *Alexii, & Emanuelis*, Imperatorum ex familia *Comnena*, quos protulit *Bandurius* Numismatum Imperatorum *Tomo II p. 754 & 758.* Alia exempla affert *Cangius* in Dissertatione de inferioris ævi numismatibus, ad cal-

cem Glossarii mediæ & infimæ latinitatis *n. 28.* Hæc eadem formula etiam apud Latinos viguit, occurritque in perraro argenteo & æreô numismate, Constantinopoli cuso A. 620, dum *Heraclius* Imperator contra Persas exercitum pararet, quod æri incisum edidit *Cangius* in Historia Byzantina *p. 112*, in cujus posteriore parte legitur: *Deus adjuta Romanis*, & in *Mediobarbi Occone aucto*, novæ editionis, *p. 584.* In Litaniis, ut vocant, Carolinis, ex veteribus Codicibus, a *Joanne Mabillonio* vulgatis *Tomo II* Analect. *p. 682*, invocante Clero Sanctorum patrocinium, *Adriano* Pontifici, & *Carolo Magno*, adhuc Romanorum Patricio, ac *Pipino* & *Carolo*, ejus filiis, populus respondebat, (jam olim sensim Latina lingua in Italicam, qua nunc utimur, abeunte) *tu lo juva*, hoc est, *tu illum adjuva. Leo Despota*, cujus nomen legitur in Gemma, fuit *Flavius Leo*, *Basilii Macedonis* & *Eudoxiæ* filius, Imperator a patre appellatus, & coronatus A. 870, die festo Epiphaniorum, *Indictione III*, qui ob virtutes ac præclara ingenii sui monumenta *Sapiens* dictus fuit. Ejus nummus extat apud *Cangium* in Familiis Byzantinis *p. 139*, cum hoc lemmate: ΛΕΟΝ ΔΕΣΠΟΤΗΣ. Gemma nostra igitur exsculpta videtur, vel ante, quam a patre ad imperii societatem assumtus esset, vel ipso superstite ea *Leo* animi moderatione usus est, ut inferiore titulo voluerit appellari. Ita in aureo *Nicephori* & *Stauracii* Imperatorum nummo, licet hic jam Imperatorium diadema accepisset, patre tamen vivente, non *Basilevs*, id est, *Imperator*, sed *Despota*, *Dominus*, dici voluit. Adi sæpe laudatum *Cangium* in Dissertatione de inferioris ævi numismatibus *n. 35.* Consuevisse Græcos Imperatores ac Principes sacras hasce Imagines gemmis exsculptas cum Sanctorum reliquiis, aureis thecis inclusas, aureisque catenulis e collo ad pectus appensas, solennioribus festis diebus gestare, *veluti certum Imperii pignus*, narrat *Guntherus*, Parisiensis Cœnobii in Basileensi Diœcesi Cisterciensis Monachus, in Historia Constantinopolitana, apud *Henricum Canisium* Antiquarum Lectionum *Tomo V p. 393* primæ editionis, referens, *Martinum* Abbatem hujus generis auream thecam, in direptione Con-

Digitized by Google

Constantinopolis acceptam, in qua, præter Sanctorum reliquias, *miræ magnitudinis Jaspis hærebat, Christum medium inter Beatam Virginem & Joannem Evangelistam referens, atque admirandæ item magnitudinis Saphirus, ubi divina majestas ea ratione, qua humanitus exprimi atque adumbrari potest, insculpta cernebatur, Philippo*, Sueviæ Duci, qui Imperatoris titulum sibi sumserat, dono dedisse. Ex his conjicere licet, in eundem usum apud *Leonem*, Imperatorem, itemque sapientissimum Principem, Gemmam nostram fuisse, & forsan ad exemplum Imaginis, quam *Basilius* Imperator, pater, in templo, de quo supra meminimus, pingi fecerat, ea Beatæ *Mariæ*, quæ in gemma visitur, exsculpta est, unde illi etiam hisce nominibus non modicum pretii accedit ac dignitatis.

MISCELLANEÆ OBSERVATIONES IN AUTORES veteres & recentiores, ab eruditis Britannis A. 1731 edi cœptæ, cum Notis & Auctario variorum Virorum doctorum. Vol. I Tom. I, Julium & Augustum mensem complectens.

Amstelodami, apud Janssonio-Waesbergios, 1732, 8 maj.

Plag. 10.

Miscellaneæ Britannorum aliquot eruditorum Observationes, patria illius gentis lingua scriptæ, salivam multis frustra moverant, qui vel linguæ illius ignari essent, vel libellorum compotes fieri non possent; quorum duplex dos est, præcipua, ut veteres Autores emendent vel explicent, altera, ut recentiorum Scriptorum Opera vel argumentis confirmentur novis, vel dissentiendi ab illis causæ afferantur. Factum est initium menstrui Opusculi cum Januario A. 1731, Præfatione præmissa, qua critica ars, in quantum vel in veterum scriptis emendate legendis versatur, vel de nostræ ætatis libris judicium interponit, defenditur: idque institutum strenue adhuc continuatum est. Doluit Viris doctis in Belgio, (*Petrum Burmannum* ipsum esse, qui ista præfatur, accepimus,) pravum & per-

verſum linguarum vernacularum ſtudium ita invaleſcere, ut etiam de locis veterum Poetarum & Oratorum iis linguis commentari quidam inſtituant, quæ tamen intelligi ab eo, qui præter maternam linguam non etiam eruditas illas calleat, non magis poſſunt, quam ſi Lapponica vel Mexicana conſcriberentur. Optandum igitur eſt, & rogantur hic etiam Viri docti, ut hanc ab eruditis, totum per orbem diſperſis, religione, moribus & lingua, inter ſe diſcrepantibus, gratiam inire velint, ut unius supereſſe ſinant linguæ uſum, cujus miniſterio inter ſe eruditi capita remotæ a plebis uſu doctrinæ communicare poſſint: nec juvenes a ſcribendi Latine conſuetudine deterreantur, ut viri facti, nec loqui, nec ſcribere Romana lingua poſſint. Quæ cum ita ſint, ſuſcepta eſt Miſcellanearum Obſervationum verſio, tum ut illarum ipſarum uſus latius pateret, tum ut unicuique erudito facultas naſceretur per hos bimeſtres libellos (placuit enim binos Anglicos in unum conferre) ſi quid in quocunque Autore obſervaſſet, cum literato orbe communicandi, quod genus Ephemeridum Latinarum ſæpe Cl. *Perizonius* optaverat eam etiam ob cauſam, ut, ſi in literariam contentionem deſcendendum omnino ſit, non cogantur integro ſtatim libello litigioſo homini, aut vulgarium Ephemeridum conſarcinatori, reſpondere. Id vero non eo accipi volunt novi inſtituti Autores, quaſi aperiant hunc athletis & gladiatoribus eruditæ reipublicæ campum & arenam. ſed potius has leges conferre ſymbolas volentibus proponunt, quas breviter hic repeti e re eſſe putamus. I) Obſervationes, emendandis illuſtrandisve ſcriptoribus Græcis & Latinis deſtinatæ, ſint breves, non repetant aliorum dicta, abſint a contumelia, non tamen a ſalibus innoxiis. II) Non gravent impenſis vecturæ bibliopolam. III) Autor nomen ſuum vel apud Bibliopolam, vel apud editorem ſolum, profiteatur, vel ſubjiciendum ipſius Obſervationibus, ſi velit, vel ſymbolo quodam, v. g. litera Alphabeti nondum ab alio occupata, &c. notandum. Tacebitur plane nomen ejus, qui nominari noluerit. Qui gravius laceſſere alium voluerit, aut nomen ſuum adſcribi patiatur integrum, aut ſcriptum ſuum ab his, quæ præter decus & honeſtum dicta videbuntur, emendari. Porro deprecantur Diſputationes

Theo-

Digitized by Google

Theologicas, non tamen rejecturi, si quis quid in Græci LXX Virorum aut Novi Fœderis exemplaribus emendandum vel explicandum habeat. In fine, si quid in Latina oratione minus emendatum sit in his libellis, non ruditati hoc interpretis imputari volunt, sed linguæ Anglicæ genio, cum fidem præstare, quam linguæ Latinæ elegantiam, ille maluerit, is autem, qui præfatur, quod Anglicæ linguæ minus peritus est, committere nolit, ut forte in errores aliquos incidat. Sed age, specimen quoddam Observationum proferamus, adspersa etiam nostra qualicunque crisi. *Virg. Georg. II, 285, Non animam modo uti pascat prospectus* inanem, malit aliquis *inanis* Sed quidni *inanis animus* sit vanus & jejunus, qui nihil solidi quærit: non talis vana in rebus nihili oblectatio est, quæ ordinem arborum desiderat, sed hic etiam utilitas speciei adjuncta. *Virg. Georg III, 432*, de serpente: *Sævit agris, asperque siti atque exterritus æstu.* Hic varia tentantur. Liceat & nobis experiri aliquid. Quid si fuerit *extorridus? Extorreo* certe Latinum est, itemque *torridus, prætorridus, retorridus.* Sed forte optimum est, quod etiam hic monetur, nihil mutare, & *exterritum* interpretari furore quodam concitatum. *Georg. IV, 415*, notat *Servius* unctum Aristæum ambrosia, *ut esset* videndi *numinis capax*, nimirum Protei. Monetur, legendum videri *vincendi.* Verum est, vincendus erat Proteus. Sed nonne etiam paratu quodam & castu opus erat, ut *videre* Deum posset, eum præsertim, qui subinde formam mutat *Æn. II, 154: Vos* æterni ignes *& non violabile* vestrum *testor numen.* Emendaverat Cl. *Marklandus* ad *Stat. Sylv. I, 35. Vestæ* cujus *æternos ignes* juraverit Sinon. Sed bene hic ostenditur, intelligi solem & lunam. *Æn. IV, 632:*

Tum breviter Barcen nutricem adfata Sichæi
Namque suam (Didus) *patria antiqua cinis ater habebat.*

Posteriorem versum non esse *Virgilii*, alicui videtur, propter insusitatum loquendi modum. Sed ostenditur hic ab erudito Belga, ita etiam plus semel locutos esse Græcos, præsertim Poetas. Pari felicitate ac doctrina idem Vir doctissimus, quisquis est, a *Burmanno*, puto, diversus, cui A signum placuisse videtur; huic vero quem nunc laudamus B.) *Æn. VIII, 630*, ubi de lupa, Romanorum nutrice, in clypeo *Æneæ cervice reflexa Mulcere* alter-

ternos, *& corpora fingere lingua*, non ratione ille quidem, quod difficilius videtur, sed exemplis *Theocriti* & *Homeri*, qui ἀμοιβαδὶς & ipsi in picturis dixere. Apud *Minuc. Fel. Cap. 32: Deum oculis carnalibus vis videre, cum ipsam animam tuam -- nec adspicere possis nec* tenere. Pro ultima voce *Davisius* malit *cernere*. Doctus Britannus *tenere* positum arbitratur pro *tangere*. Si quid mutandum, blandissimum forte fuerit pro *tenere* legere *tueri*. Sed, ne putemus in verborum aucupiis consumi hoc institutum, sunt hic Observationes de rebus majoribus. V. g. ad librum Anglicum *the plea for human reason* observatur, quæ de immortalitate animorum vulgo gentiles dictitaverint, ea parum vel solatii, vel terroris, ad impios habere; cum μετεμψύχωσις illa & superioris status oblivio efficiat, ne idem sit, qui peccat vel bene agit, & qui punitur aut præmio afficitur. Autor Dissertationis *de Fundamentis religionis Christianæ* negaverat, Philosophos gentiles de dogmatibus inter se inimice disceptasse, eaque re Christianis præferendos dixerat. Refellitur hæc laus *Ciceronis* & *Diogenis Laertii* testimoniis, quibus facile esset *Luciani* præsertim plura addere, si hoc ageremus. Erudita etiam Dissertatio est, qua ostenditur, plerosque Ethnicos fundamentum suæ Ethicæ non in Deo, sed in natura & rerum inter se comparatione, posuisse. Subjicitur Chronologia *Cyri*, ex *Xenophonte* depromta. Merito castigatur Regius interpres *Manilii*, *Fajus*, qui ad *I, 768*, *Pellam* nobis *Alexandri M.* matrem fabricavit. De *v. 775* liceat & nobis post multiplices conjecturas sententiam dicere. Quid si legatur, *Persidis & victæ stravit, qui classibus æquor*. Nolimus *victor* & *æquor* in clausulis hemistichiorum sibi respondere. *Stravit æquor classibus* etiam, qui illas perdidit. Sed *cladibus* elegans esse non negamus. Desinamus in emendatione *Homerica*, quæ videbatur nobis quantivis pretii, *Il.* β, 99 & 211. Σπουδῇ δ' ἕζετο λαὸς, ἐρήτυθεν δὲ καθ᾽ ἕδρας, ubi ἐρήτυθεν vulgo active capiunt, *tenebant sedes*. Quanto melius καθ' ἕδρας. Ita ἐρήτυθεν nativam significationem retinet, *retenti sunt, continuerunt se, quieverunt*. Præterea κάθεδρα alias apud *Homerum* non est, sæpe ἕδρα. Sed præstat, ipsum libellum in manus sumere, qui his deliciis capiuntur. Nos cursum felicem precamur Operi haud paulo plus profuturo bonis literis, si lectores idoneos inveniat, quam multi alii, qui menstruis intervallis proferuntur.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris Anno MDCCXXXIII.

NOTICIAS CHRONOLOGICAS DA UNIVERSIDADE da Coimbra &c.

h e.

NOTITIÆ CHRONOLOGICÆ UNIVERSITATIS Conimbricensis, scriptæ a FRANCISCO LEITAÕ FERREIRA, Academico Regio. Pars Prima, ab Anno 1287 usque ad initium Anni 1537.

Ulyssipone Occid. ex officina Josephi Ant. da Sylva, 1729, fol. Alph. 7 pl. 5.

Tantam olim Academia Conimbricensis famam erat consecuta, ut ejus doctores, Philosophiæ *Aristotelicæ* sectatores, magno in pretio haberentur, ac eorum autoritas in controversiis philosophicis non parum valeret. Est ea una ex antiquissimis, id quod historia illius, quam Autor diligentissimus partim ex libris impressis, partim MStis, confecit, testatur. Equidem ante Regem *Dionysium* nulla in Lusitania fuit Academia, sed primam *Ulyssipone* A. 1288, quod contra dissentientes Autor probat, ille fundavit, quæ a Pontifice *Nicolao IV* per Bullam, quam exhibet, confirmata, & variis dein beneficiis a Rege ornata, A. 1308, ob civium ac literis operam dantium perpetua dissidia, prima vice Conimbriam consensu Pontificis, *Clementis V*, translata fuit, ubi majoribus subinde reditibus ac privilegiis concessis, quæ singula hic allegantur, efflorescere cœpit. Successor ejus, *Alphonsus IV*, A. 1325 non vetera solum benefi-

Pag. 1 seq.

80 seq.

Pag. 131 ſeq. ficia regia & Privilegia rata habuit, ſed & novis adauxit. Poſtea A. 1338, cum in urbe Conimbria commorari vellet, denuo *Ulyſſiponem* transferri Academiam juſſit, ne a commer-
139 ſeq. cio ſtudioſorum cum aulicis detrimenti aliquid caperet. Sed
145. A. 1354 in priſtinam iterum ſedem commigravit, & Rex *Petrus I*, qui A. 1353 ſucceſſerat, eadem cum anteceſſoribus ſuis munificen-
153 - 178. tia erga illam uſus, multis aliis beneficiis, *p. 148 ſeq.* adductis, eam cumulavit. Poſt ejus mortem, cujus annum æque ac diem na-
180 ſeq. tivitatis controverſum eſſe Autor monſtrat, filius *Ferdinandus*,
189. throni hæres A. 1367, & novarum pro Academiæ emolumento conſtitutionum clementiſſimus autor, A. 1375 eam denuo *Ulyſſiponem* tranſtulit, & a Papa, *Gregorio IX*, A. 1376 obtinuit, ut ibi Baccalaureos & Doctores in ſingulis Facultatibus creare liceret. A.
229 ſeq. 1384 turbulento interregni tempore gubernator, & A. 1385 Rex electus, defuncti Regis pater, *Joannes I*, Ordinis Luſitanici, *Avis* dicti, Magiſter, veſtigia Regum priorum in favore & benignitate erga Academiam multiplici ſecutus eſt, quod prolixe compluribus ei proficuis Mandatis oſtendit, & in diem na-
274 ſeq. tivitatis annumque mortis ejus longa digreſſione inquirit.
336. A. 1433 filius ejus, *Eduardus*, regnum capeſſens, porro commoda Academiæ, ex cujus flore alia in regionem ſuam ac plures exteras provincias redundare ſciebat, ſalutaribus Reſcriptis & legibus antecedentium Regum firmatis, novisque adjectis, promovere ſtuduit; quanquam breve & infelix imperium ejus fuit, quod Aſtrologus prædixerat. A. 1439 *Alphonſus V*, ejus filius, ſuccedens, laudabili majorum exemplo in-
346. ſtigatus, Academiæ quoque curam habuit, & Princeps Regius, *Henricus*, *Joannis I* filius, literatorum fautor inſignis, Re-
349. ctoris ac Protectoris Academiæ munus, omnium primus, & titulum ſuſcepit; ac peculiare pro Grammaticis Collegium, aſſignatis ei amplis reditibus, fundavit, & Cathedræ primæ
364. Theologicæ duodecim libras auri, pro ſalario annuo, teſtamento ſub certis conditionibus legavit. Rex vero, cum præter
381. alias Conſtitutiones, quas fuſe recenſet Autor, legatum hoc a Pa-
395. pa *Sixto IV* confirmandum curaſſet, imperium, reſervato ſibi
396. ſolo Protectoris Academiæ nomine, filio, *Joanni II*, tradidit, ac A. 1481, quod contra diſſentientes probatur, defunctus eſt. A.

1487

1487 Rex *Joannes II* Papæ *Sixti IV* Bullam de Canonicatibus Academiæ uniendis, non obſtante Canonicorum repugnantia, validam reddidit, & locum quendam, *Torre do Tombo* dictum, ubi ante antiqua ſcripta aſſervabantur, per Comitem Palatinum, ejus cuſtodem, Academiæ conceſſit, qua occaſione de Comitis Palatini nomine & dignitate erudite Autor diſſeruit. A. 1495 *Emanuel*, cujus diem nativitatis dubium quodammodo definire exactius conatur, thronum conſcendens, novis Statutis Academiæ proſpexit, & per *Alexandri VI* ſingularem Bullam novos Canonicatus ei donavit, aliasque varias ædes ſub nomine ſcholarum generalium, cathedrarum numerum auxit, Feſtum *S. Nicolai*, Epiſcopi Miræ, in ejus Eccleſia, Luſitanica lingua, ut ab omnibus intelligeretur, celebrari juſſit, quæ cum reædificaretur, Inſcriptio fuit reperta, qua nautas *Ulyſſiponenſes* templum Deæ maris, ſeu *Thetidi*, dedicaſſe, nonnulli cenſent, ipſe vero aliam conjecturam, de eodem templo *S. Nicolao* a Chriſtianis conſecrato, affert. Rex ille clementiſſimus etiam Academicis immunitatem ab omnibus oneribus & tributis largitus eſt, Collegium *S. Thomæ* inſtituit, & Evoræ novam Academiam erigere voluit. A. 1528, regnante *Joanne III*, illius filio, duo Lectores Grammaticæ & linguæ Græcæ ac Hebraicæ, *Petrus*, *Henricus* & *Gonſalvus Alvares*, conſtituti ſunt, & inter alios *Petrus Margallus*, cujus ſcripta plurima allegat, Regi maxime carus & honoratus fuit. Principem regium, *Ludovicum*, ſcientias Mathematicas docuit *Petrus Nunneſius*, cujus vitam & libros editos commemorat, & *p. 517 ſeq. Garciam* ab *Horta*, celeberrimum Medicum, laudat, addito exemplo ex libro ejus, a *Cluſio* Latine verſo, de ſimplicibus medicamentis Indiæ & aromatibus, cui alium non minus celebrem Medicum, *Chriſtophorum Acoſta*, diſcipulum ejus, *p. 526* adjungit. A. 1534 Academia denuo Regis juſſu *Ulyſſipone* Conimbriam translata num fuerit, Autor diſquirit, ubi tunc linguæ Græcæ Lector, *Vincentius Fabricius*, Germanus, erat, & *Georgius Cœllus* & *Paſtrana*, literis humanioribus excultiſſimi, inclareſcebant, quorum ultimus Grammaticam Latinam edidit, & hoc loco *Nicolai Clenardi*, ac *Stephani*, Equitis, rariores

Pag. 403. 404 ſeq. 425 ſeq. 429. 433. 435. 439 ſeq. 445. 451. 459. 463. 472. 480 ſeq. & 632 ſeq. 492 ſeq. 529 ſeq. 545. 447 ſeq.

eo tempore impressas Grammaticas Latinas describit, & *p. 561 seq. Hieronymi Cardosi* scripta annotat. Postea *S. Nicolai* templum & parochiam, cum insequente illam translationem statu Academiæ Conimbricensis, ad quam illius reditus pertinent, delineat, & Professorum tam ordinariorum, quam extra ordinem, qui A. 1729, quo Autori Operis hujus elaboratio, ut in Epistola ad Regem præmissa ait, injuncta fuit, in illa vixerunt, Indicem subnectit.

Pag. 581 seq.

JO. HENRICI DE FALCKENSTEIN, CONSILIArii, & Nobilis Aulici Eichstettensis, Codex Diplomaticus Antiquitatum Nordgaviensium, ordine Chronologico digestus, veterem Nordgaviam, inprimis Episcopatum Aureatensem, ab anno fundationis suæ, seculo nimirum octavo, ad moderna tempora nostra dilucidatum sistens; Notis in causis momentosis, ac intellectu difficilioribus, Historicis, Genealogicis, ac Geographicis, passim adjectis; cum præfixa veteris Nordgaviæ Mappa Geographica. Accedunt Hodæporicum Wilibaldinum, & vitæ Wilibaldinæ Scriptor Anonymus, similiter in locis quibusdam mendosis & obscuris emendatior & clarior redditus; nec non Appendicis loco Statuta diœcesana Episcopatus Eichstettensis, una cum Concilio Germanico I, & Synodo Provinciali Moguntina ultima. Omnia ad fidem Autographorum, ac aliorum optimæ notæ vel Manuscriptorum, vel fide dignorum Codicum, collata atque impressa.

Francofurti & Lipsiæ, apud Petr. Conr. Monath, 1733, fol. Alph. 6 pl. 12.

Est ea præcipua nostrorum temporum felicitas, ut summi doctissimique viri in conquirendis colligendisque omnis ævi chartis Diplomatibusque nobilem atque præclaram operam consumant. Eminent, ut antiquos silentio prætereamus, in hac

hac arena *Schilterus*, *Mabillonius*, *Leibnitius*, *Eccardus*, *Heineccius*, *Leuckfeldius*, *Ludewigius*, *Schannatus*, *Menckenius*. Magna inde hiſtoriæ lux; cum Diplomata tetras tenebras funeſtamque caliginem, qua obductæ erant præteritorum res temporum, feliciter auſpicatoque diſpellant. Dignum itaque laude opus ſuſcepit Ill. *Falckenſteinius*, qui Codicem hunc Diplomaticum Antiquitatum Nordgavienſium in lucem conſpectumque omnium protulit. Dolet ex merito Nordgaviæ & Epiſcopatus Aureatenſis triſtia & acerba fata, quod, cum hæc fortuna viliſſimis obſcuriſſimisque vicis pagisque obtigerit, nemo tamen quisquam harum regionum ſtatum & viciſſitudines memoriæ prodiderit. Ea enim, quæ *Bruſchius*, *Gretſerus*, &, qui eos gnaviter exſcribit, *Heislerus*, literis conſignaverunt, tantum a juſta hiſtoria abſunt, ut potius nihil, niſi abſona, vulgaria, trita, & lippis tonſoribusque nota complectantur. His nævis medelam exoptatiſſimam attulit Ill. Autor, &, editis vicenis & quadringentis Diplomatibus, Nordgaviæ & Epiſcopatus Aureatenſis res in clariſſima luce collocavit. Excerpamus pootiora ſelectioraque hujus rei argumenta, ut cognoſcant inde, qui hæc noſtra legunt, quam egregie munere ſuo perfunctus ſit *Falckenſteinius*. *Primum Diploma* refellit & coarguit mendacia *Bruſchii*, *Gretſeri*, & *Heisleri*, qui *Wilibaldum*, Eccleſiæ Aichſtatenſis conditorem primumque Antiſtitem A. 781 fato functum eſſe temere affirmant. Si enim illo, quem commemoravimus, anno naturæ reddidit debitum, quomodo potuit A. 786 manſos & mancipia monaſterio Fuldenſi tradere? Celebre obſervatuque dignum eſt *Diploma X*, quo *Ludovicus*, Imperator, Epiſcopo *Erchenbaldo* Privilegium impertitur, ut Eichſtadtium muro cingere, nundinas inſtituere, vectigal conſtituere & exigere, munitiones contra paganorum incurſus moliri, monetam cudere queat; quod Privilegium ſequente Diplomate *Conradus I*, Imperator, denuo repetit atque confirmat. A. 1029, uti diſcimus ex *Diplomate XII*, ad libertatem adſpiravit Weiſenburgum Noricorum, & inter civitates imperiales locum dignitatemque impetravit. In transferendis bonis apud Germanos conſen-

Pag. 1. 17. 22.

ſum neceſſarium fuiſſe filiorum, ſatis amplum teſtimonium
Pag. 48. præbet *Diploma XLI*, ubi *Mangoldus*, & *filii ejus*, Comites de Wilburg, proprietate in Bachbrun Eccleſiæ Eichſtettenſi donant. Sigillatim in ultimis voluntatibus requirebatur filiorum conſenſus. Elucet hujus aſſerti veritas ex *Diplomate*
68. *LXVIII*, quo *Henricus* Senior de *Lapide* villas aliquot *unanimi conſenſu filiorum* teſtamento legat; cum quo *Diploma CCCLI*
306. penitus conſpirat. Quodſi liberis deſtituerentur, aut illi impuberes eſſent, bona non aliter vendi poterant, niſi cum conſenſu fratrum, patruorum, ceterorum propinquorum. Memora-
189. bile hunc in finem adducit *Diploma* Autor, quod *CCXXXVIII* conſtituit. *Sophia* ſcilicet, *Ulrici* de *Hecken* vidua, vendit *Berchtholdo*, Epiſcopo Eichſtettenſi, A. 1356 omnia ſua prædia & bona, hac formula: *Mit gutem Willen, Wort, Gunſt und Rath meines Vettern, meines Bruders, und aller meiner Freunde.* Raram adhuc Sec. XIV in Germania
149. fuiſſe pecuniam ſignatam, niſi aliunde conſtaret, *Diploma CLXXI* luculenter evincere poſſet. *Ludovicus* enim, Bavariæ Dux, oppidum Gaimersheimb Eccleſiæ Eichſtettenſi pro ſeptingentis libris Hallenſibus, *vor ſiebenhundert Pfund Heller*,
311. pignori opponit. *Diplomate CCCLX Fridericus III*, Imperator, *Gulelmum*, Epiſcopum Eichſtettenſem, ejusque Epiſcopatum a jurisdictione judicii provincialis Hirſchbergenſis, cu-
352. jus frequens in his Diplomatibus fit mentio, A. 1489 perhumaniter perliberaliterque eximit. *Diplomate CCCXCV* permittit *Maximilianus II*, Imperator, Weiſenburgo Noricorum, ut peculiare judicium, in quo cauſæ injuriarum pertractentur, erigat, neque provocationem ab illo ad Cameram Imperialem ſe admiſſurum eſſe pollicetur. Qua ratione lites inter Epiſcopum Aureatenſem & civitatem de jurisdictione ſopitæ
371. fuerint, docent Articuli, N. XLII inſerti. *Diploma CCCCIX* hiſtoriam & lites de præfectura villarum regiarum ortas recenſet. Ut paucis multa complectamur, invenies in hoc Opere continuam Epiſcoporum Aureatenſium, ſi eos exceperis, qui vel per exiguum temporis ſpatium Epiſcopatui præfuerunt, vel nullum memoratu commemorationeque dignum facinus

Digitized by Google

cinus susceperunt, seriem. In notis, quas addidit Ill. Autor, præter diligentem & accuratam Geographiæ & Genealogiæ notitiam, deprehendes insignem vastæ atque diffusæ lectionis apparatum. Provocamus ad ea, quæ de formulis initialibus, & In- Pag. 3, 18, 33.
scriptionibus Regum Francorum, & Pontificum, de peranti-
quo testes in instrumentis adhibendi ritu, eosque per aurem 2, 30.
attrahendi ad servandam testimonii sui memoriam, de Mini- 25, 29.
sterialibus, Archi-Capellanis, officiis Aulicis Episcopi Aurea- 122.
sis, de libris Hallensibus, Advocatis, & Advocatia Ecclesiæ, de 54, 56, 62.
jure monetæ cudendæ, de talentis, de voce Sala, Cancellarii, & 68, 18, 26.
Cardinalis, erudite atque eleganter differit. Accedunt Statuta 14, 53.
Diœcesana Episcopatus Eichstettensis cum Concilio Germa- 264.
nico I, & Synodo provinciali Moguntina ultima, nec non itinerum vitæque *Wilibaldi*, primi Ecclesiæ Eichstettensis Antistitis, delineatio. Utraque ineptas & aniles fabulas puerilia-que commenta continet, quibus nos non immoramur, sed manum prudentes removemus de tabula, & talium rerum curiosos ad ipsos vitæ *Wilibaldinæ* Scriptores ablegamus.

CHRISTIANI GABRIELIS FISCHERI, REGIOmonte-Prussi, Notæ & Animadversiones ad Caput PLINII 33 Lib. IX Hist. Nat. num. 52 p. 519 ed. Hard. de Concharum differentiis.

F*irmioris jam testa* (ante de cancris & echinis, cochleis, pectinibus & unguibus, egerat,) *murices & concharum genera: in quibus magna ludentis naturæ varietas: tot colorum differentiæ, tot figuræ, planis, concavis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe cæsis, in dorsum elatis, lævibus, rugatis, denticulatis, striatis, vertice muricatim intorto, margine in mucronem emisso, foris effuso, intus replicato; jam distinctione virgulata, crinita, crispa, cuniculatim, pectinatim, imbricatim undata, cancellatim reticulata: in obliquum, in rectum expansa: prædensata, porrecta, sinuata: brevi nodo ligatis, toto latere connexis, ad plausum apertis, ad buccinum incurvis. Navigant ex his veneriæ, præbentesque concavam sui partem & auræ opponentes, per summa æquorum velificant. Saliunt pectines & extra volitant, seque & ipsi carinant.*

Notæ

NOTÆ ET ANIMADVERSIONES ad h. l.

Concharum genera) Latius hic sumtum Conchæ vocabulum testam quamvis significat, sive turbinatam, sive planam. Ita veteres, præcipue Latini, Rhetoricæ studiosi, auribus magis, quam intellectui, indulgentes, ideas per æquivoca confundere, quam voces in eadem significatione aliquoties repetere, maluerunt.

genera) Quia *Plinius* ex Autoribus, quos sedulo volvit, species testaceorum confuse recenset, videntur ejus temporis eruditi de generibus constituendis non fuisse soliciti. Colligebant conchylia, primario esus, secundario admirationis causa. Sufficiebat rudis notitia & vulgaris nomenclatura. Testarum conferre genera, earundemque subordinare species, recentioribus demum in mentem incidit, postquam de Historiæ Naturalis incrementis cœperunt laborare.

ludentis naturæ) *Natura* h. l. sensu *Aristotelico* est vis plastica animæ sensitivæ in testaceis habitantis, quæ ludere dicitur, quia varietatem formarum, ob varios usus, nobis non enumerandos, appetit & producit, non sine oblectatione & applausu spectatorum, ejus operationes velut in theatro intuentium. Sed, quia vis animæ plastica hodierno seculo, melius informato, spectrum naturæ est; operatio ejus jure pro figmento, ejusque lusus seu comœdia pro mero habetur somnio. Cautius diceret moderna phrasi *Plinius*, *in quibus magna & sapiens differentia*. Neque enim varietas specierum casu accidit, sed ob certos fines a Deo, autore hujus mundi, deliberato consilio, eodemque optimo, introducta, adhuc conservatur; quanquam omnes illi fines humano intellectui sunt imperscrutabiles.

Varietas) Recte *magna varietas*. Nemo enim hactenus omnes conchyliorum differentias plene exposuit. Miratur *Plinius* has ipsas, ex solo maris mediterranei gremio cognitas. Quantum hanc varietatem prædicasset, si, quas novus orbis & undique jam conquisita curiositas hodie offert, inspexisset? *Nos quotidie in admirationem adducimur*, inquit *Fabius Columna* lib. de purp. Cap. XIX, (conchas) *varias intra manus nostras ex variis locis habentes, ut qui omnium icones & descri-*

ſcriptiones tradere vellet, maximum admodum Volumen impleret, extra alias, ab aliis deſcriptas. Pater *Bonani* in *Recreatione mentis & oculi* ſupra quingentas teſtaceorum differentias expoſuit, in *Muſeo Kircheriano* plures addidit, neutiquam omnes exhauſit. *Rumphius* in inſulis Indiæ Orientalis intra 28 annos 360 ſpecies ſummo ſtudio collegit, plures deſcripſit, plures aliis deſcribendas reliquit. Multas *Halma* in Notis ad dictum Autorem, easdemque raras & ſumme pretioſas, addidit. Sed omnem numerum nec hic inire audet. Sunt a *Fabio Columna libris de purpura & aquatilibus* quædam rariores teſtæ data opera deſcriptæ. Angliæ proventum *Liſterus* peculiari libro expoſuit. Idem & omnes, quotquot in Muſeis patriæ vidit, teſtas manu filiæ depingi, & æri incidi curavit congeſto Volumine ſatis ſpiſſo. Plura offerunt Muſea, tam privata, quam publica, de quibus *Grewius*, *Jacobæus*, *Wormius*, *Valentini*, videndi ſunt. In maris fundo terræque gremio plura latitant; reperiuntur lapides teſtis referti, quas integras nondum videre contigit. Miratur *Plinius* varietatem concharum incredibilem, mirantur cum ipſo poſteri, ſed plerique ſine Philoſophia, laudant, ludunt, appetunt, veluti nuces pueri, aut ut cimelia divites. Pauciſſimi de incrementis Hiſtoriæ Naturalis cogitant. Qui ceteris accuratiores ſunt, nomen lapidum, more Belgarum, teſtulis annotant, a deſcriptione abſtinent, difficultate repulſi. Etenim tot figuras, tot colorum differentias, tot appendices teſtarum, diſtincte verbis congruis exponere, ſuperat vires vulgaris Philoſophi. Difficilius adhuc ex multiplici teſtarum compage eruuntur earum differentiæ ſpecificæ, quæ niſi conſtituantur juſtæ, manet vaga, obſcura, & nunquam capienda teſtaceorum hiſtoria. Multiplicantur præter neceſſitatem entia, & crambe toties totiesque cocta apponitur. Adhærent rebus falſa nomina, nec erit judex de nominum rerumque convenientia & differentia ſtatuturus. Laudo proinde *Liſteri*, *Rumphii*, *Majoris*, *Charletoni*, & noviſſimum *Langii* inſtitutum, quo de generibus teſtaceorum conſtituendis laborare inceperunt. Sed, ut verum fatear, *Liſterus* pingit, non evolvit nec definit, ſpecies. Diffe-

 ren-

rentiæ, ex titulis & tabulis cognoſcendæ, paſſim ſunt negativæ; paſſim ſpeciales, generibus ſiniſtre attributæ. In buccinis, neritis, pectinibus, magna confuſio. Veteres Autor non legit, nec recentiores ſolicite contulit; multa inſufficienter, multa obſcure ex verborum inopia inſcripſit. *Rumphius* nimis laxus eſt, ſuæ collectioni & inſtituto, quo animalia ſimilia, in teſtis habitantia, quomodocunque compulit, ſufficiens. *Major* deficit in rebus, abundat in terminis, ex *Ramiſtico* Dichotomiæ ſtudio præter neceſſitatem in confuſionem theſauri teſtacei conceptis. *Charleton*, nomenclaturas magis, quam teſtarum differentias, ſcrutatus, cum *Aldrovando* & *Rondeletio* ignorat pleraque. Claſſes, ex lectione veterum expoſitæ, paſſim conſtituunt, paſſim ſpecies inſerendas excludunt. *Langius*, *Tournefortii* methodum Botanicam imitatus, ceteris videri poterat accuratior. Sed in definiendo, examinando, & diſponendo, valde eſt proletarius: differentiis obſcuris, negativis, longe petitis, utitur, conchas anatiferas male cochleis annumerat. Ex umbilicis marinis *Bonani p. 114* incaute cornu *Ammonis* facit. Ex animalculo *Bonani* teſtam format, *Rumphii* textu non inſpecto. Simili incuria & in *Kircheri* Muſeo verſatus eſt. Reliquos Autores parce legit. Taceo miram ſpecierum confuſionem, quæ inutilem *Langii* laborem demonſtrabit ſecundum ejus conſilia theſaurum teſtaceum diſpoſituro.

tot colorum differentia) Quas oculus apprehendit, mens miratur, nulla manus vel lingua valet exprimere. Ecce indicem colorum, a Scriptoribus hujus argumenti paſſim nominatorum, quem ſeduſo congeſſit *Langius*.

A. Achatinus color. Acu pictum opus. Æneus color. Æris rubigo. Alabaſtricus. Albeſcens ex cæruleo. Amaracinus. Amethiſtinus. Anthracinus. Aqueus. Arbuſculas repræſentans. Argenteus. Argenteus ſplendor. Argento ſimilis. Argento obryzo ſimilis. Ater. Attalica veſtis, auro, argento & multicolori oloſerico texta. Drap d'argent, argentum textile Latine dictum. Aurantius. Aureus.

B. Badius, Balauſtinus, Badiolus, Burrus.

C. Cæruleus ex argento. Cæſius. Calteus. Caltulus. Candidus.

Can-

Candidiſſimus. Candor margaritarum argenteus. Carniolus. Carneus. Caſtaneus. Ceraſinus. Cereus. Ceruſatus. Chriſoliticus. Cianeus. Cinnabarinus. Cinereus. Subcinereus. Cinnerius ex livido. Colores aqua diluti. Conchyliatus. Coracinus. Corallinus. Corneus. Croceus. Subcroceus. Cruentatus.

E. Eburneus. Eliotropium gemma.

F. Ferrugineus. Figlinus. Flammeus. Flavedo vitrea. Flaveſcens ex albo. Flaveſcens pallide. Flavicans. Flavidus. Flavus. Subflavus. Folcoſum opus. Fulvus. Subfulvus. Furvus. Fuſcus. Subfuſcus. Fuſcus ad nigredinem accedens. Fuſcus ex viridi.

G. Gipſeus. Glaſteus. Glaſticus. Gummi Sinenſi obvelatus.

H. Helvaceus. Helveus. Helvus.

I. Janthineus. Igneus. Immaculatus. Infuſcatus ex ſumma viriditate.

L. Lacteus. Laneus. Lentiginoſus. Leonatus. Leocophæus. Lienaris. Ligneus. Lividus. Luridus. Luteus.

M. Maculatus. Maculoſus. Malacus. Margaritarum albedo purpuriſſa velata. Margaritæ ſublucidæ color. Magaritis ſimilis. Marmoreus. Marmor candidum Drepitanum. Tiburtinum. Relinus. Miniatus. Subminius. Molochiticus. Murinus. Muſivum opus. Muſtelinus.

N. Niger ex cæruleo. Nigricans. Nigricans e cæruleo. Subniger. Nigerrimus. Nitens. Nurus.

O. Oleacinus. Ut oliva viridis condita. Oloſericum nigrum. Oloſericum villoſum. Onichinus. Opacus. Opalinus. Oſſeus. Oſtrinus.

P. Palearis. Pallidus. Papyrus Turcica. Parius lapis. Pellucidus. Perlatus. Phrypium opus. Piceus. Pictus undatia. Pinguis. Plumbeus. Porcellanus. Porraceus. Pramnius. Pullus. Puniceus. Purpureſcens. Purpureſcens ex albo. Purpureſcens ex viola. Purpureus.

R. Ravus. Reticulatum opus. Roſeus. Rubedo. Rubedo cuprea. Rubeus. Ruber. Subruber. Rubeſcens. Rubeſcens ex argento. Subſandaracca pellucida latitans. Rubidus ignaviter. Rubiginoſus. Rufeſcens. Rufeſcens ex albido. Rufeſcens ex fuſco. Rufeſcens ex rubigine. Rufeſcens leviter. Rufeſcens pallide. Ruſus. Ruſſeus. Rutilus.

S. Sandichinus. Sandaracca relatus. Sanguineus. Segmentatum opus. Subuculis & monilibus ornatum opus. Sulphureus

T. Terreus. Teſſelatus. Thalaſſinus. Tophaceus. Tophnus. Tyrius.

V. Variegatus. Venetus. Veprium acumina repræſentans. Vermiculatus. Vinatus. Vinoſus. Violaceus. Ad nigrum vergens. Vireſcens cum argenteo ſplendore. Vireſcens e cæruleo. Vireſcens leviter. Viridis. Subviridis. Virideſcens ex flavo. Subviridis ex albo. Viridus. Unctuoſus. Volturinus. Subvolturinus.

X. Xerampelinus.

Z. Ziziphinus.

Nomina lego ſatis multa, ſed vix ſingula perfecte intelligo. Ita de coloribus Autores fingunt, ſcribunt, non definiunt. Optandum, ut nomina recepta revocentur ad ſenſum, & ex rebus non exoticis, vel raro videndis, ſed ex triſtiſſimis & cuivis obviis, colorum gradus ſtatuantur.

tot figuræ) Quas hactenus nemo auſus eſt enumerare, nedum ad regulas conſtantes & uſus revocare. Obſtupui, cum aliquando ex coni varia inflexione & ſectione cochleas viderem inimitabili artificio conſtructas. O! dixi, quam *γεωμέτρητος* hic artifex! Quantum eſt, quod neſcis homo geometra. Huc adſis, quæſo, concede oculos, inſpice ſpirarum ordines inflexos, eductos, deductos, conjunctos. Ecce conos, ellypſes, parabolas, incredibili proportione & elegantia conſtructas. Spondeo ſcalare buccinum aut teſtam quamvis pretioſiſſimam, ſi geneſin horum corporum ex cono vel parabola ad manum Autoris expoſueris. Neſcis geneſin. Quid ergo de figurarum fine & partium uſu ſtatueris? An animal teſtæ, an teſta animali ſeſe accommodat? Quamcunque partem elegeris, urgebit quæſtio, cur exemplar talem præciſe figuram expoſcat?

planis) Intelligit procul dubio teſtas ceteris planiores, non exacte planas, quales in genere teſtaceorum non reperimus. Reſpicit forte ad *aures maris*, *oſtrea* nonnulla, *pectines*, &c. quæ in concharum genere omnium maxime plana ſunt, *amuſia*, deſcripta *Rumphio p. 144 Tab. 45 Lit. A & B*, item *Bonani p. 447 n. 108.*

conca-

concavis) Concavæ quidem omnes testæ sunt, proprie vero concavitas de *conchis* dicitur, quanquam & concavæ præ ceteris appareant *echinorum* testæ. Nec non *balani*, *ostrea echinata*, &, quam *volam* dicimus, *diconcha auritæ* species, depicta *Bonani p. 110.*

longis). Longæ possunt dici testæ plures. Tales sunt 1) *Tubuli*, 2) *Coni*, 3) *Cylindri*, 4) *Stromibi*, 5) *Buccina*, & ex genere concharum *solenes*, *ostreumque longum Rumphii.*

lunatis) Difficile indicatu, quid per *lunatas conchas Plinius* sibi velit. In cochlearum genere aliquæ lunares dicuntur, sumto denominationis fundamento ab operculo instar lunæ rotundo. *Listerus* cochleas quasdam patulas ore semicirculari *lunatas* appellat abusive, cum tales demum semilunares audiant. Inter *alatas Rumphii*, quas *Langius auritas* appellare mavult, aliquæ in limbum semicircularem profusæ, rustica comparatione possent semilunares dici. Inter conchas quædam pariter semicirculares sunt, e. g. *Chama squammata Rumphii p. 128*, seu *Concha imbricata Bonani p. 109. n. 83.* Sed, an has Autor lunatas dixerit, manet in dubio. *Rumphius* semicirculares subaudit *p. 162.* *Harduinus* in notis exponit: *In lunæ cornuum similitudinem curvatis.* Ita *Seneca* Oed. v. 465 *caudam lunatam delphinorum* dicit, & *Stat. V Thebaid.* v. 145 *lunati agminis* meminit. Sed testas in corniculatæ lunæ modum figuratas non vidi. *Fabius Columna cochleas Persicas lunatas* vocat, quia in margine rotundum sinum quasi exscissum habent pro linguæ usu, *lib. de Purp. Cap. XVIII*; qui character ex *Rumphii* sententia cochleis alatis est perpetuus, licet non omni in specie æque notabilis. Sed dubito, an ab hac levi & vaga nota, aliena a seculi sui subtilitate, speciem denominare *Plinius* voluerit. Existimo, hic potius *lunatum* dici antiqua phrasi, *quicquid ad lunæ plenæ speciem rotundum est.*

in orbem circumactis) *Rumphius* de conchis circularibus, planioribus, qualis *chama literata* rotunda est, intelligit. Sed hæ orbes sunt, non in orbem circumactæ, malim *cornua Ammonis*, quibus orbicularis figura, eademque spiralis, competit, subintelligere, quanquam & *cochlea solaris* & *lacinata Rum-*

 phii

phii hunc characterem recipiunt. Videtur Autor contulisse *cornua, nautilos*, & *cochleas brevioris scapi*, per diametrum late expansas, puta *Rumphii valvatas*. Pergit enim

dimidio orbe caesis) Quod de *Nautilis* valet prae ceteris. *Pecten virgineus Rumphii* & *chama striata* ejusdem, corpora quadam parte resecta imitantur, neutiquam segmenta orbium exprimunt.

in dorsum elatis) De ante dictis *Rumphii valvatis* hoc tuto accipitur, quanquam & *porcellanae. Cassides* & *murices Langii* huc spectant. His enim convexitas est eminentior & turgidior, cujus superficies verticalis in ostracologicis audit *dorsum*; vide *Majoris* Lexicon sub hac voce. Anguste igitur nimis *Harduinus* exponit: *Utraque testa superiore & inferiore plurimum cava, ut concha tota ad rotundam proxime formam accedat.* Hoc sensu verba de solis bivalvibus dicta, e.g. de *patellis, chamis laevibus*, fragis nucibus pilosis, possent accipi.

laevibus) Varii dantur laevoris gradus in testaceis. Quaedam ad nitorem a natura sunt laevissima, quasi hoc signo a cibo exclusa, uti *Porcellanae, Stromborum* & *Cylindrorum* aliqui; quaedam in comparatione cum striatis & verrucosis saltem talia; vide *Langium p. 81.* Quaedam sub crusta scabra superficiem opalinam laevissimam abscondunt, qua detracta demum colore & laevore fulgent, ut *nautilus crassus* Trochi, cochleae lunares &c. Vide de ejusmodi testis praeparandis *Rumphii* Museum.

rugatis) Rugae dicuntur lamellarum superstructarum extremitates, in testis conspicuae, eaedemque irregulares, ruptae, sibique dissimiles; vid. *Langii* Method. *p. 21.* Ideo rugosae dicuntur pleraeque *conchae anomiae*, praecipue vero *concha ad figuram triquetram accedens Listeri p. 229*, item *musculi*. Nonnunquam & rugae audiunt omnes laxioris superficiei corrugationes & inaequalitates, laevorem exactum interrumpentes, qualis rugositas inter costas pectinum, praecipue *in duplici corde Veneris*, *Rumphii Tab. 48 n. 6* observatur. Hic *Plinius* rugas extantiores infert. *Rumphius Chamam asperam* in exemplum ponit. Fors *fusorum* & *buccinorum* quaedam species

cies magis quadrant. Vide *Rumphii Tab. 29 Lit. F, G, & Tab. 49 Lit. F, G.*

denticulatis) Denticuli sunt crenæ acutius prominentes in aperturis testarum quarundam, definiente *Majore* in Lexico. Consentit *Harduinus*, inquiens: in ambitu serratis: testæ margine in dentium formam secto, seu ita laciniato, ut varios mucrones referat; Gallis *Dentelé.* Fors ad nummos serratos & ita quasi dentatos respexit. Gaudent ejusmodi dentibus, ideo *denticulatæ* dicendæ, ex turbinatorum genere *Porcellanæ*, & in sinistro aperturæ latere quædam *Cassides.* Inter conchas quarundam articulatio fit per gomphosin, ubi sub cardinibus comparent dentes cum oppositis loculis, iisdem adaptatis. In margine notabiles dentes habent *Nuces pilosæ* Tarentinorum dictæ *Bonani*, & præ ceteris Chamarum asperarum testæ.

striatis) Striæ sunt eminentiæ strictæ & longæ per convexum testæ. Sed *Wormius strigiles* habet pro strigibus, quas canaliculos conchæ aculeatæ exponit Musei *p. 253.* Plerumque striæ & striges ut eminentiæ & harum interstitia, seu sulci ab eminentibus striis intercepti, differunt. Unde *Harduinus* in sua lingua vocem *Canelé* substituit, addens: *Stria est virgata in convexa concha parte eminentia illa, quæ est inter canaliculos sulcosque, qualis in eo columnarum genere, quod inde striatum dicitur.* Magna striarum in testaceis est diversitas, sunt magnæ, parvæ, eminentes exochæ dictæ, compressæ, sunt solidæ, fistulosæ; latiores, strictiores; læves & asperæ, transversales, longitudinales; densiores, rariores; canaliculatæ, intra concavæ, extra convexæ. *Lang. p. 31.* Non est fere genus inter testacea, cujus non aliqua species striata sit; omnino ergo & ex striis licet repetere differentias, sed non genericas, verum specificas. Quanquam & hoc notandum, quod *costæ* differant a striis tanquam partes latiores & crassiores a subtilibus & linearibus earundem inscriptionibus, unde testa simul & costis & striis instructa esse potest. Exemplo sit *cor Veneris duplicatum Halmæ* ad *Rumphium Tab. 48 n. 6.*

vertice muricatim intorto) Vertex *Plinio* dictus, recentioribus audit mucro, estque nihil aliud, quam processus testæ

conice-

conice spiralis ex ventre ampliore. *Langius* varias notavit mucronis hujus differentias, viditque alium *elongatum p. 39*, alium *admodum elongatum p. 38*, gradatim *acuminatum, arcuatim, in linea recta seu plana acuminatum* l. c. quæ singula valent de vertice *Plinii*. Quando vero mucro præcise apicem spiralis coni denotat, hoc vertici jam dicto non convenit; nec convenit huic loco alia verticis acceptio, quando in conchis partem acutiorem circa cardines denotat, quam *Langius* speciali nomine umbonatam dicit, si eminet in testa, ut solet umbo seu centrum elatum in scuto.

murex) Nomen valde æquivocum. Audit ita 1) testæ aculeus exsertus; 2) testa aculeata, seu obsita modo dictis aculeis; 3) aculei majores minoresve exteriores & inclinati; vid. *Langius p. 22*; 4) Purpura cochlea; 5) Cochlea alata *Rumphii*, seu aurita *Bonani*, *Lang. p. 27*. Primum significatum *Plinius* in mente habuit, quando meminit verticis muricatim intorti. Id enim non potest non de mucrone turbinis, aculeis obsito, sive, ut *Harduinus* loquitur, de turbinatim convoluto conchæ vertice, nec sine aculeis, accipi, qualem in murice marmoreo *Rondeletii L. 2* de testaceis *Cap. 7 p. 76*, *Volutis, Coronata, Vespertilionibus Rumphii* &c. deprehendimus. Exoticas conchas vix vidit *Plinius*; non audeo ergo cum *F. Columna* lib. de Purpura Cap. 19 rarissimum genus diconchæ hic allegare, cujus figura interna est auriformis, externa vero ob processum ex dorso styloidem incurvum & petioli instar exporrectum, peponi minimo similis. Non dicit *Plinius*, vertice muricatim incurvo, sed intorto. Ubi turbo? Verba, *vel ad buccinum incurvis*, plane huc non quadrant. Nam non amplius de vertice in his loquitur, sed de tota testæ figura. Ubi hic species buccini? Ubi bucciniformis curvatura?

margine in mucronem emisso) Margo dicitur in ostracologicis extremitas testæ patentis; confer *Columnam* de Purpura *Cap. I §. 28.* Mucro, nisi hic vertici, ut conjicio, opponeretur, de turbine posset accipi, & margo in mucronem emissus ita exponi, quod turbo acutior conicus per productiones planas marginalesque testæ sit formatus, velut in quibusdam

Strom-

Digitized by Google

Strombis Langii id cernimus. Quin & in oppositione verticis & mucronis data interpretatio procedit. Nam potest dici *Plinius* inter acuminatam spiram quamcunque & inter conicam & strictiorem distinxisse, illamque verticem, hanc mucronem notanter vocitasse. Sed, quia mox sequitur alia marginis differentia, nempe foris effusi, & intus replicati, & praeterea mucro veteribus etiam acutum testae processum quemcunque denotat, in hoc eosdem imitante *Columna* de Purp. *Cap. 17 §. 3.* malo verba *Plinii*, *margine in mucronem emisso*, de processu marginis, quam totius testae, interpretari. Ex margine autem longiores processus varii eminent. Unus in turbinibus nonnullis, quos *Rumphius* fusis comparat, item in nonnullis cochleis & buccinis sub nomine *rostri* notus est, unde & nova turbinibus jam dictis differentia applicatur. Unus processus longior etiam ex margine alicujus alatae apud *Rumphium* protenditur. Plures vero huic similes in *harpagine* & *cornuta millepede Rumphii* extant, quos metonymice *Plinius* in singulari commode significare potuit.

foris effuso) Id praecipue nonnullis buccinis *Rumphii alatis* & *muricibus Langianis* competit. In oppositione ad sequentem phrasin, *intus replicato*, possunt & in hunc censum venire *cassides*, quarum exserti margines per testae duplicaturam crassescunt. Malim tamen effusionem marginis de simplici per horizontem expansione, quam de fimbria, interpretari. Obscurus vero, ni fallor, h. l. *Harduinus* est, inquiens: *Cum, deducta & hiante concha, explicat sese foris uterque margo, neque introrsum revolvitur.* Videtur de conchis, seu de bivalvibus, loqui, cum tamen filum sermonis ducat potius ad cochlidas.

intus replicato) Recte *Harduinus*: *Utroque latere conchae sese introrsum colligente.* Tali margine *nuces Langii* & *semi-cassides* nostrae gaudent. Limbus enim testae introrsum velut ad duplicaturam vel fimbriam flectitur.

jam distinctione virgulata) Ante de striis dixerat. Ergo virgae non sunt striae. *Rumphius chamae virgatae* meminit, in qua rubras linearum subtilium acute concurrentium inscri-

ptiones virgis cœlestibus quodammodo similes video. An hæc distinctio virgulata ? Sane hic sensus expressior, quam dum ductus in *conchis literatis* & *Arabicis* subaudit *Rumphius p. 162*, vel dum *Harduinus* metaphoram a vestibus similibusque rebus repetit, *in quibus virgæ sunt viæ transversatim & decursatim ductæ. Unde vestis virgata eadem, quæ scutulata est.* In ostracologicis hæc interpretatio nondum recepta. Ubi potius ad virgas cœli cognitas, quam ad vestes incertas obsoletasque, oculos & mentem dirigimus.

crinita) Quid *crines? Villos* monstrat *Columna* de Purpura *Cap. I §. 30*, ostendens lanuginem muscosam super testis. Sed hæc testis accidit, non inest. Idem & fibras muscosas & purpurascentes, seu lanuginem ostrearum, crines vocat. Tali sensu & *byssus pinnarum*, seu collectio fibrarum, ex strictis pinnarum commissuris in terram germinans, crinis audiret. Mihi vero hæc testas nulla interna nota significant. Conjicio, *Plinium* dixisse crines densissimas subtilissimarum linearum inscriptiones, sive, ut *Harduinus* loquitur, segmenta vel lineolas crinium instar porrectas, quales in *conchis anomiis trilobis* inter alias advertimus. Sunt mihi visa hujus petrefactæ specimina selenitica pellucida, in quibus lineæ illæ non læves & æquabiles, sed velut dehiscentes & fibrosæ, apparuerunt. Vel magis ad sensum crinitas dixit testas illas pilosas & quasi setis hispidas, quales in buccinarum & muricum genere depingit *Rumphius*, qui, harum velut oblitus, distinctionem crinitam *Plinii* ad *conchas literatas* & *Arabicas*, subtilissime striatas, male applicat. Posset *Columna* penicillum, lib. de Aquatilibus depictum, rectius allegare.

crispa) Villi testarum externi crispi sunt, sed quid hæc ad testas distinguendas? Superficies crispa *Plinio* visa est. Crusta testarum aspera, scabra legitur, item rugosa, sed ideo non est crispa. Concha scabionata *Rumphii p. 140* exochis incurvatis crispatur. Si fallor, in hac prætendo superficiem conchæ, quam *Rumphius felis linguam* nominat *p. 147*, fors ideo, quod perpetuis eminentiis veluti papillis sit obsita, qualia corpora vulgo & crispa dici solent, magis tamen proprie *Rum-*

phius

Digitized by Google

phius toties jam nominatas *conchas Arabicas* criſpas propter ſtrias circinatas dicit.

undata) *Undoſa, undulata* alias dicuntur, qui colores, fluctuum more, pro luminis alia atque alia incidentia alternant. *Undata* autem, quæ fluctuum exemplo hiulcæ, modo in colles elata, modo in valles ſunt demiſſa. Exemplo ſint *murices, brandaris*, & quædam ſpecies *ſympuli*, a nobis ita vocati.

canaliculatim) Aliis cuniculatim. Canaliculi aliquando ſunt proceſſus teſtarum longi & pervii. Hic intelliguntur vel profundiores ſulci, ſive ſtriges per corpus teſtæ diſpoſitæ, vel ductus, per corpus teſtæ pervii, ſupra elati, infra vel plani, vel concavi, quæ alias ſtriæ canaliculatæ dicuntur. *Aldrovandus* cum *Hermolao* legit cuniculatim; ſequitur *Harduinus*. Lectio minime abſona, & plurium Codicum autoritate confirmata. Nam ductus intra conchas cuniculis aſſimilantur. Reſpexit *Plinius* ad locum *Ariſtotelis Lib. V Hiſt. animal*. quem *Theodorus* hoc ſenſu vertit; vid. *Aldrovandus L. III* de Teſt. *p. 287*.

pectinatim) Præſtantiſſimi Codices, teſte *Harduino* ad *Plinium p. 541*, addunt *diviſa*. Ita facilior ſenſus eſt. *Pectines* dicuntur teſtæ, parallelis exochis longitudinariis diviſæ, a ſimilitudine inſtrumenti, quo textores fila trajecta condenſant. Græci κτένες nominant a manuum pedumve digitatorum ſimilitudine, teſte *Charletano* in *Onom. Zoico*. Pectinatim diviſa vel undata proinde dicenda ſunt teſtacea, quorum ſtriæ parallelæ per corpus recte decurrunt.

imbricatim undata) Imbrices dicuntur tegulæ tectorum planæ; per ſimilitudinem audiunt ita teſtarum ſtriæ vel rugæ, in decurſu fractæ, & tegularum dictarum inſtar diſpoſitæ. *Major* in *Lexico*. Imbricatim undulata exponit *Langius*, *Harduinum* ſecutus, de teſtis, ad undarum ſeſe attollentium ſpeciem diſtinctis, quæ ſimilitudo non ſufficit. Expreſſior altera *Harduini* cum ſquammis piſcium comparatio. Malo imbricatim undata interpretari de teſtis ſtriatis, quæ aliquoties fractæ, & per multiplices quaſi laminas decurrentes, tecta tegulis ſtrata imitantur, quales in oſtreis & nonnullis pectinibus conſpicimus.

cancellatim reticulata) Cancelli sunt interstitia striarum in longum & transversum extensarum, ut tota earum textura rete vel crates repræsentet, quod opus naturæ reticulatum seu cancellatum alio nomine *clathrum* dicimus. *Columna* de Purpura *Cap. IV §. 4.* Huc respiciens *Plinius*, dicit *cancellatim reticulata*, i. e. ut interpretatur *Harduinus*, *secta lineolis testa, in transversum compactis ad retis similitudinem, vel cancellarum, cancellis ipsis modo oblique ductis a conchæ capite ad marginis latus: modo rectis a summo vertice ad marginem imum: iisdem modo densioribus sive pressioribus & quadratis: modo porrectioribus & oblongis: modo in arcum toto conchæ corpore sinuatis.* Talis structuræ sunt *Rumphii sarus p. 140*, & quædam chamarum species, eidem ibidem depictæ.

in obliquum, in rectum expansa) His innuit præcipuam concharum differentiam, quam *Langius* terminis æquilateræ & inæquilateræ significare maluit. Videlicet, si conchæ per dorsum inspiciuntur, vertex earum vel utrinque æqualiter, vel inæqualiter, dilatatur. Priorem extensionem dixit *Plinius in rectum*, posteriorem *in obliquum* expansum. Exempli loco cape *pectines* & *conchas pictorum*. Illos videbis a cardine æqualiter & regulariter expandi, has ab uno saltem latere diffundi. Recte hic *Rumphius pectinem virgineum* & *tellinas* allegat, tanquam obliquas, sed ostreæ, ut pergit, mea opinione non sunt in rectum expansæ omnes, melius pectines huc referuntur.

prædensata) Hoc iterum de cunctis intelligendum. Neque enim *densum* hic *crassum* sonat, ut aliqui subaudiunt, sed mea opinione raro oppositum recepta Physicis significatione notat contiguitatem arctiorem, ut adeo testa prædensata h. l. sit accurate clausa, vel circa cardines magis connivens. Enarrare jam videtur *Plinius* differentias, circa valvarum conjunctionem observatas, postquam de earundem expansione verba fecit; hinc jungit prædensata, porrecta, sinuata, quæ mihi ad margines marginumque juncturas spectare videntur. *Rumphius* densata legit, & testulas compactas intelligit.

porre-

porrecta) Dupliciter conchæ dici possunt porrectæ, vel ratione cardinis, vel ratione laterum. Latera exporrecta jam per expansionem, seu rectam, seu obliquam, significavit *Plinius*. Reliquum ergo est, ut cardinem exporrectum subaudiamus. Contingit videlicet in concharum valvis, alteram alteram recipere ita, ut major minorem marginaliter & eminenter claudat, tunc cardo plerumque in rostrum productus, super testæ inclusæ verticem recta incurvatur, & commode porrecta superior testa dici potest. Hodie tales conchæ *anomiæ*, vel *anomalæ vertice rostrato*, appellantur, & petrefactæ tanto sunt frequentiores, quanto rariora earundem nativa exempla. Describit eas *Columna* de Purpura *Cap. XII. Rumphius* porrectas testas nominat cochleas teretes, in longum eductas, quas nos *cylindrorum mucronatorum*, item *turricularum*, *terebellarum*, nomine insignimus.

sinuata) Sinus in testis appellatur arcuata vel lunata testæ concavitas. Nolim huc ventres turbinatorum cavos trahere. Explico *Plinii* vocem de conchis in specie iis, quarum testæ in latere longiore ad quendam velut angulum fractæ, sua conjunctione notabilem sinum, quasi muliebrem, formant, unde & *hysteroconchæ* & *venereæ* solent appellari, quanquam non his solis ejusmodi sinus adsit, verum & *bucardia* & *cordatæ* quædam *testæ* eum communem habeant. Id magis convenit, quam si sinus in *mallei Polonici* hiulca planitie aut inæqualibus lateribus indicem cum *Rumphio p. 162*.

brevi modo ligata) Non dicit *articulata* vel *conjuncta*, sed *ligata*. Aliud omnino est ligamentum, aliud articulatio. Non omnes conchæ sibi inarticulantur, quædam ligamentis cohærent, sive nerveis, sive membranosis. Notanter autem dicit brevi modo ligata, quoniam mox distinguit toto latere connexa. Innuit ergo, quasdam conchas circa cardines simul levi & brevi ligamento nerveo cohærere, quod de pectinibus generatim & pectunculis quibusdam certum est. Nescio, quid *Rumphio* in mentem venerit, ut brevi modo ligatas cochleas lunares (*die kort en rond zyn*) habuerit. Sed jam video, ipsum pro *modo* legisse *nodo*, ut adeo cochleas nodosas meminerit.

 Ean-

Eandem lectionem secutus *Fab.Columna*,*conchas* anomias *trilobos* ob cervicis angustiam brevi nodo ligatas autumat lib. de Purpura *Cap. XV*, sed ejusmodi junctura concharum non ligata, sed insinuata est. Nodi nulla similitudo. Legit & *Harduinus nodo*, & brevi nodo latiori margini opponit, quod non capio.

toto latere connexa) Dicit connexa, non ligata, quoniam, quæ toto latere cohærent, non ligamento, sed membrana, conjunguntur, veluti *musculi*, *solenes*, *pinnæ*. Dicit autem connexa, non inarticulata; ergo vix habuit respectum ad concham πολυλεπτογίγγλυμον *Columnæ Cap. 29*, quæ habet exiguorum cardinum longam seriem inter vertices, quibus utrumque latus rectum quasi consuitur. Fors tamen & hæc concha pariter mediante membrana cohæret, quod nobis testam solummodo hactenus observantibus est incompertum.

ad plausum apertis) Quid hoc? Fallor, aut audio, chamas significari aliasque conchas, quæ testis clausis in latere per rimam magis minusve diductam hiant, unde & *chamæ* vel *hiatulæ* appellantur. Plausus certe testarum similis manibus plaudentibus est; nam, quemadmodum manus manui plaudentis per volam jungitur, ita & concavum testæ concavitati alterius in conjunctione imminet. Sed en! *Plinius* dicit *ad plausum* apertas, quibus sic aperta hiantiaque labra chamarum respicit, ut ad plausum edendum natæ factæque, si inter se illidantur, videri possint, ut recte conjicit *Harduinus*. Conjunctio quoque valvarum in chamis rudi ante gynglymo & forti ligamento ad plausum imitandum & excitandum longe est convenientissima. Chamas apertas in maris fundo jacere, & asperas majores ad nutum minutioris animalculi inhabitantis cum impetu claudi, *Rumphius* ipse autor est, qui tamen hunc plausum, conchis naturalem & convenientissimum, mutat in pulsum, præternaturalem conchis, quasi *Plinius* innuere voluisset, quod conchæ percussæ aliæ aliis facilius dehiscant. Mihi ita *Plinius* post pulsum, non ad plausum, apertis dixisset.

ad buccinum incurvis) Buccinum dicitur testa turbinata longa, spiralem conum ex acuto apice in amplum ventrem majo-

Digitized by Google

majoris diametri producens. In hoc nil nisi spiræ incurvæ sunt, ad buccinum ergo incurvæ sensu *Pliniano* non ipsum buccinum, ut putat *Rumphius*, sed conchæ erunt bivalves anomalæ, curvæ, qualis v. g. est concha anomia, rugosa & adunca, depicta *Bonani* Recreat. *p. 103 n. 31.*

Navigant) Paucissima animalia testacea in mari navigant. Pleraque vel in scopulis, vel in arena, vel in littore, habitant. Inter saxa *murices*, *patellæ*, in arena *tellinæ*, *pinnæ*, *solenes*, *cassides*, hærent. In fundo maris *ostrea* & *chamæ* asperæ, & hæ quidem immotæ jacent; *amusia* piscatores intercipiunt. De testis inanibus & derelictis aqua levioribus non loquimur. His enim fluctus pro vehiculo sunt.

Navigant: velificant) Dicit prius navigant, post velificant; aliud ergo navigare, aliud velificare in testis. Prius de iis intelligo, quæ obversa convexitate naviculæ instar innatant, nec adeo vento obsequuntur, quam submersioni resistunt. Posterius de testis, quæ præter id, quod navigant, superficiem vel latus aliquod vento obtendunt, quo irruente propelluntur.

Veneriæ) Non dicit: navigant ex his solæ Veneriæ, ut minus caute accipit *Harduinus*. Nam mox sequitur de pectinibus, *seque ipsi carinant*, sed *ex his*, videlicet ante recensitis generibus, *navigant veneriæ*. *Rondeletius* sub veneriis his muricem *Mutiani*, de quo *Plinius Lib. XXXII*, intelligit. Est hujus quædam cum Porcellanis, veneriarum nomine hodie ordinarie venientibus, convenientia; sed has non navigare, verum sub arena latere, nec navium carinis, *Mutiani muricis* more, verum saxis, tempore plenilunii adhærere, ideoque *Klipkoussin*, *Porcellanas* vero *charinas*, sive *venerias*, non a Veneris cultu, sed sinus similitudine, qui Græcis χοῖρος, Latinis porcus vel porculus, *Ennio matriculus* vocatur, nomen traxisse, scribit *Rumphius*, testis fide dignus. De alio igitur genere *Plinius* procul dubio loquitur; *Porcellanis* certe, quæ sequuntur, verba non conveniunt, *præbentesque concavam sui partem, & auræ opponentes, per summa æquorum velificant.* Latus enim concavum, quod auræ opponere possint, non habent; vide Schemata *Rumphii*, donec Tabulæ *Gotwaldianæ* in

in lucem Cl. *Breynii* cura venerint, quæ hoc teſtaceorum genere abundant. Neque ii rem acu tangunt, quibus *auris maris*, *ὠτάριον*, ſive οὖς Ἀφροδίτης, i.e. auris Veneris, de qua *Heſychius p.714*, ſubintelliguntur. Ejusmodi enim teſtæ non navigant, ſed patellarum more ſcopulis adhærent, ut refert *Rumphius*. Oppido vero abludit *Harduinus*, *buccinorum* ſeu *muricis* aliquod genus hic innuens. Utraque enim appellatio & *buccini* & *muricis* magis vana, quam *Veneriarum*, eſt, nec in omni ſignificatu ſtructura ad navigandum habilis. Qui *Neritas* huc arceſſunt *Ariſtotelis Lib. IV Hiſt. animal. Cap. IV p. 452*, mea opinione non procul a vero abſunt. *Nereus* enim, Deus maris, in tali cochlea navigare pingitur. Teſtam ei levem & latam eſſe, *Oppianus* docet *Lib. I Halievtic. v.331*. De bifore teſta nihil *Plinius*, nec hoc quidquam ad natandum facit. Non obſtat turbinatum genus. Nam & *Nautilus* turbinatus eſt, quem carinare tamen Autores conſentiunt. *Nerita* conveniunt verba: *præbentesque concavam &c.* ex *Plinii* relatione *Nautilus* alio modo velificat. *Inter præcipua autem*, inquit, *miracula eſt, qui vocatur nautilos, ab aliis pompilos. Supinus in ſumma æquorum pervenit, ita ſe paulatim ſubrigens, ut, emiſſa omni per fiſtulam aqua, velut exoneratus ſentina, facile naviget; poſtea prima duo brachia retorquens, membranam inter illa miræ tenuitatis extendit. Qua velificante in aura ceteris ſubremigans brachiis, media cauda, ut gubernaculo, ſe regit. Ita vadit alto, liburnicarum ludens imagine, &, ſi quid pavoris interveniat, hauſta ſe mergens aqua.* Priori modo carinant & velificant quoque *cymbia*, *perſica*, *bullæ*, *ficus*. Sed in his nil venerei.

Saliunt pectines) Conſentit *Ariſtoteles Lib. IV Hiſt. animal. Cap. 4 p. 439.* Dubitat *Jonſton*, quia pectines non poſſe diducere valvas expertus eſt. Fidem prioris liberat *Rumphius p. 143 & 144*, teſtatus, hunc ſaltum facere planos pectines, non mediante valvarum plauſu, ſed per maniculam (*handeckens*) quandam calloſam, quam aquæ impingunt, ut, ea renitente, valvas parte barbata prævia promoveant.

Seque ipſi carinant) Notanter *carinant*, non *velificant*. Hæc gratis fingit *Harduinus*; neque enim ita valvas diducunt

pecti-

Digitized by Google

pectines, ut altera pars planior veli vices expleat, sed supina navigant convexo latere. Idem mos *amusii*, de quo *Rumphius*.

HISTORIA VITÆ ET MERITORUM FRIDERICI RUYSCHII; Autore JOANNE FRIDERICO SCHREIBERO.

Amstelodami, apud Janssonio-Waesbergios, 1732, 4 maj.
Plag. 11.

Mirabitur ingenium solertiamque *Ruyschii* totus, qua literis cultus est, terrarum orbis, meritaque ejus, inprimis quæ in Anatomen & Chirurgiam extant, nostris laudibus longe superiora, nulla unquam delebit oblivio, sed grata semper posteritas linguis literisque prædicabit. Bene igitur sapienterque egit Cl. *Schreiberus*, dum, quæ ad vitæ rationem incomparabilis hujus Viri, qui in secandi arte nullum superiorem, paucos dicam, an nullos, pares habuit, pertinent, commemorare, omnemque meritorum amplitudinem velut in tabula repræsentare animum induxit. Quam quidem operam ut susciperet, movit ipsum cum pietas in fortunæ suæ amplificatorem, tum & illa causa, quod thesauri Anatomici *Ruyschiani* ad Societatem Petropolitanam, in quam Noster cooptatus est, pervenerunt. Ut adeo universæ Societatis nomine gratam mentem memoriamque sempiternam *Ruyschianis* manibus testatus Noster videatur. Quamobrem & nos, qui memoriam bene meritorum virorum vindicare ab interitu, literarumque incrementa enarrare in his nostris Annalibus connitimur, libenter nunc meritoque vitam *Ruyschii*, cujus adhuc viventis nomen toties jam hic commemoratum fuit, breviter & strictim persequemur. Primam lucem vidit *Fridericus Ruyschius*, Hagæ Comitum, Anno post Christum natum 1638 die 23 Martii, patre natus *Henrico Ruyschio*, qui a Commissionibus summorum Status Belgici Administratorum fuit, matre vero *Anna van Berghen*. De adolescentia ejus nihil admodum commemoratione dignum constat. Lugduni Batavorum in Anatomiam summo studio omnibusque viribus incubuit, præceptore usus *Joanne*

anne van Horne. Præter hanc vero etiam Botanicam maxime tractavit. Franequeræ autem postea majori cura Medicinæ se addixit, ibidemque summos, quos hæc impertiri solet, honores, post defensam *de Pleuritide* Dissertationem, impetravit. Rediit post hæc in patriam, ægrotis opem laturus, & annos nondum omnino viginti quatuor natus, uxorem duxit *Mariam*, filiam *Petri Postii*, qui *Friderico Henrico*, Arausionum atque Nassovii Principi, magna cum nominis celebritate ab Architectura fuit. Suscepit ex uxore filium unicum, *Henricum*, postea Doctorem Medicum, amatum omnibus Clinicis, Historiæ Naturalis peritissimum, Botanicorum suo tempore in Belgio facile principem, Opere *Joannis Jonstonii* de Historia animalium rursus edito auctoque clarissimum, ab ipso parente in gloriæ societatem, quod ad præparandi conservandique cadavera artificium attinet, adscitum, Autorem forsitan complurium Observationum Chirurgicarum, quæ anno nonagesimo superioris seculi publicatæ, patris nomen præ se ferunt, eam vero vivendi rationem, quæ paternis votis non omnino responderet, consectatum, Anno denique 1727 febri epidemica demortuum; pluresque filias, ex quibus natu minima, nondum maritata, constans, usque dum vivere desineret senex, omnis laboris Anatomici socia, paternorum circa plantas & cadavera artificiorum, itemque omnium corporis humani partium, gnarissima fuit. Hagæ Comitum, cum in secandis cadaveribus, tum in facienda medicina, diligens admodum, edidit A. 1665, 12, Dilucidationem valvularum in vasis lymphaticis & lacteis. Qui libellus haud dubie movit Consules Amstelædamenses, ut ipsum anno insequenti Amstelædamum ad obeundam Professoris Anatomes provinciam vocarent. Ubi quidem amplissimam secandorum cadaverum occasionem nactus, pertinaci annorum sexaginta sex studio ita Anatomiæ operatus est, ut antecessorum gloriam longe superarit. Inter præcipua autem & singularia ejus artificia numerantur ars præparandi atque conservandi cadavera, qua perplurimos a situ & corruptione vindicarentur annos, ut dormientia potius, quam mortua, viderentur; ars injiciendi materiam quandam cera-

ceraceam, ut trunci vasorum quorumvis, eorum rami, ramusculi, atque ipsa vasa, capillo tenuiora, ab ipsa infarcirentur; ars inflatas ante corporis partes exsiccandi, siccatasque discindendi; ars separandi humani corporis integumenta; ars inducendi scroto duritiem lapideam; ars ruberrimas in sectione partes, ut membranas atque intestina, quo explicentur magis, liquoribus immittendi; quæ omnia nulli unquam, ne integerrimo quidem amico, detexit. Ipsorum vero artificiorum ope multa omnino in lucem protraxit plane nova, quæ deinceps in Observationibus Anatomico-Chirurgicis, Museo *Ruyschiano*, Responsionibus ad Epistolas problematicas, thesauris Anatomicis, adversariis Anatomico-Chirurgicis, curis posterioribus, abs se editis, bona fide aperuit. Multa tamen a se primum visa esse existimavit, quæ alii dudum animadverterant, eam ob causam, quod ex suis potius Observationibus, quam aliorum libris, Anatomen sibi discendam esse ratus, lectionem librorum Anatomicorum admodum neglexit. Unde placuit nonnullis sententia, si *Ruyschius* primus in terra Anatomicus fuisset, Anatomen per illum ad idem perfectionis fastigium perventuram fuisse, in quo hodie constitutam post tot annorum millia miramur. Quemadmodum vero *Ruyschius* tum Anatomiam, tum Medicinam & Chirurgiam, denique Historiam Naturalem, meritis suis illustravit; ita copiosius ea explicat Cl. *Schreiberus*, usque adeo, ut maxima libelli pars historiam meritorum complectatur, laudabilique consilio incrementa istarum literarum ex *Ruyschiana* industria potissimum enarrentur. Universas Anatomiæ partes de ossibus, vasis, visceribus, & reliqua, persequitur, &, quid in singulis *Ruyschius* maxima cum nominis sui gloria detexerit, percenset, ita, ut nihil fere prætermittatur. E reliquis autem non immerito principem locum tenent de extremitatibus vasorum & de glandulis inventa. *Ruyschius* enim primus nos docuit, progressum extremitatum, tam arteriosarum, quam venosarum, & a se invicem, & a finibus vel venosis, vel arteriosis, in variis humani corporis partibus diversum & differentem, plurimumque ea in re ad explicandas secretionum rationes situm esse. Eandem

quoque diverſitatem in variis brutorum animalium partibus oſtendit, totamque rem magnum arcanum ipſe ſæpius *Ruyſchius* vocavit. Præterea, cum autoritate *Malpighii* totum corpus glandulis fere conſitum eſſet, Noſter eas ex pluribus corporis partibus feliciter exterminavit, ſolasque veras glandulas retinuit, & fixam determinatamque ideam iis conſociavit. Eadem ratione acceſſiones ad Medicinam, Chirurgiam, atque Hiſtoriam Naturalem, per *Ruyſchium* factas, proponit. Quorum quidem ſingulorum non hiſtoriam, ut Noſter eam tradit, exhibere, ſed nomina tantum indicare, & quaſi in conſpectu inventa *Ruyſchiana* ſiſtere, animus initio fuit. Sed incredibilis eorum multitudo, quæ amplius, quam pro inſtituti noſtri ratione, ſpatium expoſceret, nos revocavit a propoſito, præcipue, cum, nihil fere eorum, quæ *Ruyſchium* Autorem habent, in his *Actis* noſtris quondam prætermiſſum eſſe, præclare adhuc recordemur. Malumus itaque, ut, qui rei Anatomicæ nominisque *Ruyſchiani* gloriæ favent, ſi non ex ipſis ejus ſcriptis, ſaltim ex hac vita, in qua luculenta & diligens omnium extat commemoratio, iſta cognoſcant, videantque, nullam fere eſſe corporis humani partem, utut exiguam, *Ruyſchianis* inventis non illuſtratam. Primus in vaſta Amſtelædamenſium urbe lectiones in uſum obſtetricum habuit, multaque hac ratione cognovit, quæ ad partum ſimiliaque pertinent. In Hiſtoria Naturali inprimis dignum animadverſione eſt, eum non niſi unicum animalium theſaurum edidiſſe, quem continuare in animo habebat, niſi oraſſent eum alii, ut deſcriptionem rariorum e corpore humano omnibus reliquis præferret. Magnam ſemper rerum naturalium curioſarum vim poſſedit. Et ante hos quidem duos & viginti annos in XV theſauris, quos habuit animalculis repletos, continebantur ultra 1582 phialæ. Scutulæ papilionibus, locuſtis, ſcarabæis, quadrupedibus minoribus, inſectis marinis, refertæ erant 1820. Præter illa etiam reperiebantur phialæ ſiccæ, inque iis aviculæ rariores, ſiccæ, præſertim ex Indis transmiſſæ, 180 conſervabantur. Ubi denique Profeſſor Botanices conſtitutus eſt, ſubtiliorem plantarum anatomen, eodem fere ſtupendo modo, atque antea animalium,

tracta-

tractavit, & folia fructumque cum pedunculis in tenerrima ſua vaſa ſuccoſa & nervos reſolvit digitorum ope,ut foliorum tantum exuviæ & fructuum ſceleta ſupereſſent. Libros potiores jam ſupra indicavimus, ex quibus de adverſariis Anatomico-Chirurgicis judicat Cl. *Schreiberus*, quod eorum continuationem prætulerint plurimi eruditi iteratæ toties deſcriptioni theſaurorum Anatomicorum, in quibus ſæpius jam dicta centies repetantur. Controverſias habuit cum *Bilſio*, *Liſtero*, *Hovio*, & *Ravio*, cui ſoli ſuccubuit, cum de vera conſtitutione ſepti ſcrotalis diſputarent. Diſcipulos, in quorum numero & *Petrum M.* Ruſſorum Imperatorem habuit, a peritia anatomica hic eximie laudatum, magis per præparata Anatomen condocuit,quam recentium cadaverum demonſtrationes. Theſauros, quos commemoravimus, *Petrus M.* 30000 florenorum Hollandicorum pretio emtos Petroburgum tranſtulit. *Ruyſchius* autem omni data opera eosdem reparavit, idque felici ſucceſſu. Etſi enim inferiores Petropolitanis fuerunt, ſi ἀνθρωπογενίας ſpecimina reſpicias; ſuperiores tamen fuerunt, quantum ad plantarum anatomen attinet. Hos ad extremum auguſtiſſimo *Auguſto*, eheu! non amplius noſtro, ſed maximo civium ſuorum luctu rebus mortalium erepto, obtulit,qui jam ante ob accepta quædam præparata præſtantiora *Ruyſchium* 100 aureis,munificentia ab Autore noſtro maxime celebrata,donaverat. Fuerunt tamen,ut Noſter refert,qui cunctando omnem emtionis ſpem perdiderunt, magno Anatomicorum Germanorum luctu. Decedente enim *Ruyſchio*, rariora ejus ſubjecta haſtæ fuerunt ſubdita. Meritorum amplitudo nominisque gloria facile effecit, ut eum in conſortium ſuum adſciſcerent Academia Cæſarea Curioſorum, & Societates Scientiarum Regiæ Londinenſis & Pariſina. Fuit, quantum ad animi indolem attinet, quam maxime religioſus,laboris amantiſſimus, frugalis, neque unquam pecuniæ prodigus. Ceteræ animi dotes ex ſcriptis eriſticis patent. Deceſſit e vita A. 1731 die 22 Febr. poſtquam duos & nonaginta annos undecimque menſes vixit.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE &c.

h. e.

COMMENTARII HISTORIÆ CELEBERRIMOrum in Republica literaria Virorum inservientes. Accedunt Catalogi librorum, a singulis editorum, de iisque judicia.

Tomus XIV, XV & XVI.

Lutetiæ Paris. apud Briassonium, 1731,8.

Tomus quisque habet plag. 18, & totidem pl. dim.

Primum hic locum obtinet *Hermolaus Barbarus*, mortuus A. 1493, cujus & genealogia & vita accurate describitur ex *Diarii literarii* Veneti Tomo XXVIII. Sequuntur Vitæ *Gabrielis Pinelli*, m. 1644; *Claudii Minoris*, m. 1603; *Aug. Herm. Franckii*, m. 1727; *Joannis Laborarii*, m. 1675; *Joannis Gerbasii*, m. 1699; *Dan. Sennerti*, m. 1637; *Guil. Hombergii*, m. 1715; *Elisabethæ Sophiæ Cheroniæ*, pictricis, & musicæ, & poetriæ, m. 1711; *Joannis Bugenhagii*, m. 1558; *Caroli Alphonsi Fresnoii*, m. 1665; *Martini Poloni*, m. 1279; *Bern. Girardi Haillanii*, m. 1610; *Jo. Hieron. Sbaragliæ*, m. 1710; *Hieronymi Cardani*, m. 1576; *Joannis Nicolai*, (quem Gallum, Dominicani Ordinis virum, dignoscere debemus a cognomini Germano,) m. 1673; *Jacobi Eveillonii*, m. 1651; *Isaaci Benseradii*, m. 1691; *Georgii Trapezuntii*, m. 1483; *Adriani Beverlandi*, m. 1712; *Ludovici Carrei*, m. 1711; *M. Antonii Gerardi de Saint Amand*, m. 1661; *Edme Boursault*, m. 1701; *Martini Crusii*, m. 1607; *Ludovici Videlii*, m. 1675.

Tomus XV exhibet Vitas *Christophori Personæ*, præfecti Bibliothecæ Vaticanæ, (nec a *Caveo*, nec a *Bellarmino*, nec ab *Oudino* laudati inter Scriptores Ecclesiasticos, ac nuper demum in scenam literariam reducti ab Autoribus *Diarii* Veneti *Tom. IX*) m. 1486; *Gobelini Personæ*, m. 1418; *Hiacinthi Cestonii*, m. 1718; *Evangelistæ Torricellii*, m. 1647; *Alberici Gentilis*, m. 1608; *Scipionis Gentilis*, m. 1616; *Henrici Monantholii*, m. 1606; *Jacobi Pilarini*, m. 1718; *Francisci Launaei*, m. 1693; *Joannis Boscagerii*, m. 1687; *Antonii Sanderi*, m. 1664;

1664; *Nicolai Sanderi*, m. 1583; *Ludovici de Dieu*, m. 1642; *Michaelis Stoti*, qui a credula sua ætate pro Mago fuit habitus, m. 1291; *Olympiæ Fulviæ Moratæ*, m. 1555; *Georgii Scuderii*, m. 1667; *Magdalenæ Scuderiæ*, quæ prioris soror 94 annos vivendo superavit, m. 1701; *Guil. Caoursini*, m. 1501; *Tychonis Brahei*, m. 1601; *Caroli Drelincurtii*, m. 1697; *Joannis Pitsei*, m. 1616; *Petri Lasenæ*, m. 1636; *Jacobi Spiritus*, (qui Autor est libri percelebris *de falsitate virtutum humanarum*, cujus Germanica versio Autore S. Rev. *Schützio* in hac urbe Lipsia A. 1710 prodiit una cum nonnullis Annotationibus,) m. 1678; *Phil. Sidneji*, m. 1586; *Ludovici Curcillonii de Dangeau*, m. 1723; *Ulrici Hutteni*, m. 1523; *Thomæ Lydiati*, m. 1646; *Sebastiani Nani Tillemontii*, m. 1698; *Jacobi Piccolominæi*, m. 1479; *Petri Delfini*, (cujus *Epistolæ*, Venetiis A. 1524 in *folio* editæ, sunt longe rarissimæ, sed eædem, tribus exceptis, posteritati inutiles, neque adeo dignæ, quæ denuo proferantur in lucem,) m. 1525; *Thomæ Willisii*, m. 1675; *Petri Corneille*, m. 1684; *Guil. Dugdalii*, m. 1686; *Francisci Geneti*, m. 1702; *Henrici Wartoni*, m. 1694, anno ætatis 31.

Tomus XVI vitam exhibet *Friderici Taubmanni*, m. 1613; *Jo. Renaldi de Segrais*, m. 1701; *Blasii Vigenerii*, m. 1595; *Roberti Abboti*, (ab alio *Roberto Abboto*, Londini post annum 1635 mortuo, discernendi,) m. 1618; *Georgii Abboti*, (qui prioris est frater, item ab alio cognomini distinguendus,) m. 1633; *Aonii Palearii*, m. 1566; *Henrici Savilii*, m. 1622; *Antonii Vallisnierii*, m. 1730; *Joannis Rotrou*, m. 1650; *Joannis Maroti*, m. 1523; *Clementis Maroti*, qui prioris fuit filius, m. 1554; *Georgii Riedlini*, m. 1724; *Stephani du Bois*, sive *Sylvii*, m. 1703; *Joannis a Bosco*, m. 1626; *Philippi Goibaldi du Bois*, m. 1694; *Francisci Junii*, m. 1602; *Francisci Junii*, qui prioris filius fuit, m. 1677; *Thomæ Sydenhamii*, m. 1689; *Michaelis Montani*, (*de Montagne*,) m. 1592. Hujus Opus, *Essais* inscriptum, Noster observat ab aliis laudari nimium, ab aliis plus justo vituperari. Ipse medium tenet, concedens, stilum Operis istius esse simplicem, vividum ac jucundum, eoque perbene describi mores & affectus hominum, sed addens, ordinem nullum

serva-

servari in eo Opere, prætereaque præcepta dari nonnulla pessima. Docet etiam, inter tot hujus Operis editiones inde ab A. 1580 nullam carere magnis nævis usque ad A. 1724, quo Londini *Costeus* edidit editionem omnibus numeris absolutam, cui recudi contigit Lutetiæ A. 1725, & Hagæ A. 1727. Sed ex hoc diverticulo redimus in viam. Sequitur videlicet vita *Petri Charronii*, m. 1603; *Mariæ Jarsiæ Gornacensis*, m. 1645; *Joannis Secundi*, m. 1536; *Nicolai Everhardi*, qui prioris pater fuit, m. 1532; *Nicolai Gradii*, qui filius prioris fuit, m. 1571; *Thomæ Farnabii*, m. 1647; *Flavii Blondi*, m. 1463; *Dominici de Angelis*, m. 1719. Et hic quidem totum se dederat Historiæ literariæ, atque inter alia scripta librum edidit *de claris Salentinis*, in quo singulari diligentia exposuit, ut ceteros obscurioris famæ prætereamus, historiam *Antonii Galatei*, A. 1517 d. 12 Nov. mortui; *Scipionis Ammirati*, m. 1600 d. 30 Januarii; *Jo. Baptistæ Crispi*, adhuc viventis A. 1591; *Q. Marii Corradi*, 1575 mortui, & *Petri Galatini*. Pergimus nunc in *Niceronio* nostro, exhibenti deinceps vitam *Florentis Cartoni d'Ancourt*, m. 1726; *Joannis Oweni*, m. 1622; *Gerhardi Noodtii*, m. 1725; *Petri Brissoti*, m. 1522; *Onuphrii Panvinii*, m. 1568; *Mauritii Hoffmanni*, m. 1698; *Jo. Mauritii Hoffmanni*, qui filius fuit prioris, m. 1727; *Philippi Sylvestri du Four*, m. 1685; *Balthasaris Bonifacii*, m. 1659; *Conradi Celtis*, m. 1508; *Joachimi Bellaji*, m. 1560; *Joannis Dujatii*, m. 1688.

Nec vero ingratum fuerit Lectoribus nostris, vel duorum hic laudatorum vitas cognoscere oblata hac occasione. Libet igitur de vita scriptisque cum *Petri Charronii*, tum *Thomæ Farnabii*, potiora repetere. Ac prior ille quidem Lutetiæ natus est A. 1541 patre Bibliopola, qui, cognito filii amore literarum, Musis eum sacravit. Emensus curriculum & Philologicum & Philosophicum, tanto studio incubuit in Jus Civile & Canonicum in Academiis Aurelianensi & Biturigum, ut in hac susciperet titulum Doctoris Juris utriusque. Hinc factus in suprema Parisiensi curia patronus causarum, elapso sexennio, cum non ex voto sibi succederet hoc negotium, totum se dedit studio Theologiæ. Nec multo post e sacra ca-

Digitized by Google

thedra verba factitavit ingenti applausu. A. 1571 discessit Lutetia, & pluribus in regni urbibus concionando magnam adeptus est & gratiam & gloriam. Quid? Regina *Margarita* ipsum adscivit præconem sacrum aulæ suæ. A. 1588 reversus Lutetiam, Carthusianorum Monachorum Ordini adscribi voluit. Verum Antistes eorum propter ætatem jam provectiorem & perferendæ tam rigidæ disciplinæ imparem recipere eum recusavit. Parem tulit repulsam, cum Cœlestinos inter Monachos adscisci cuperet. Quocirca mansit Presbyter secularis. A. 1589 occasio ei obtigit amicitiam Burdigalæ contrahendi cum *Montano*, illo Gallorum *Socrate*, a quo tam vehementer amatus est, ut is moriens testamento ipsi traderet jus gerendi sua insignia natalitia. Mansit autem Burdigalæ usque ad Annum 1593, ibique suum *de tribus veritatibus* librum composuit. Illo anno factus Episcopi Cadurcensis Vicarius, Lutetiam ad comitia *Cleri* universi evocatus est, in iisque constitutus Secretariorum primus. A. 1600 Episcopus Condomensis eum fecit suæ Ecclesiæ Canonicum. Ac ibi manere constituit, eoque fine novam exstruxit sibi domum, eamque magnifica instruxit supellectile. A. 1603 profectus Lutetiam, cum ibi vix unum mensem esset versatus, in platea subito concidit & exstinctus est die 16 Novembris. Ad libros ejus quod attinet, A. 1594 ἀνωνύμως edidit *tres libros* Gallico sermone scriptos, *de tribus veritatibus, contra Atheos, Ethnicos, Judæos, Mahumedanos, Hæreticos, & Schismaticos*. Recusum hoc Opus est A. 1595, præfixo nomine *Benedicti Vaillantii:* quæ res occasionem præbuit Cel. *Fabricio*, in *Catalogo* suo *Scriptorum de veritate religionis Christianæ p.* 470 duos diversos faciendi Autores, *Vaillantium* & *Charronium*. Tres autem illæ veritates hæ sunt: 1) *Est Deus, cultusque Dei, sive religio;* 2) *inter omnes religiones una Christiana est vera religio;* 3) *inter omnes Christianorum sectas sola Catholica est vera Ecclesia.* *Primum* igitur horum librorum *Charronius* opposuit Atheis; *secundum* Ethnicis, Judæis, & Muhammedanis; *tertium* Hæreticis, quo in numero etiam habet *Lutheri* & *Calvini* asseclas. Horum quidam ipso A.

1594 tertium refutare librum aggreſſus eſt: & A. 1599 *Franciſcus Junius* Lugduni Batavorum totum Opus *Charronii* recudendum curavit, & tertii libri refutationem adjunxit. A. 1601 *Charronius* Burdigalæ edidit tres libros *de Sapientia*. In quo Opere cum multa a multis improbarentur, A. 1604 Lutetiæ prodiit editio ejus publica autoritate correcta & repurgata. At, cum editio hæc paucos nanciſceretur emtores, ex editiones, quæ A. 1607 & 1608 factæ ſunt, verum repræſentarunt *Charronium*, adjunctis tamen ſimul alienæ manus correctionibus. Pulcherrima vero eſt illa editio, quæ ex Elzeviriorum officina Lugdunenſi A. 1646 prodiit cura *Georg. Mich. Rochtmailleti*, qui & Vitam *Charronii* præmiſit. A. 1606 prodiit Lutetiæ Apologia hujus Operis, ab ipſo Autore contexta ſub vitæ exitum. *Niceronii* noſtri hæc eſt de hoc Opere ſententia: qui Atheiſmi id accuſent, eos vehementer errare: bene eum philoſophari, licet ſubinde παραδόξως, adeoque opus hic eſſe æquo interprete. Addit, *Charronium* decerpſiſſe multa e *Montani Conatibus*.

Thomas Farnabius, Londini natus A. 1575, patre haud opulento, Oxonii operam navavit literis brevi tempopore. Hinc in Hiſpaniam profectus Jeſuitas elegit magiſtros. Sed nec hic diu manſit, comitemque A. 1595 ſe dedit inclyto illi peregrinatori nautico, *Franciſco Dracko*. Poſtea in Belgio militem agere ipſi placuit. Sed paulo poſt deſertor factus, rediit in Angliam, ibique diu geſſit nomen anagrammaticum *Thomæ Bainrafii*, poſtque multos annos tandem ſubſtitit Martoki, quod Comitatus Sommerſetenſis eſt oppidulum, ibique ad victum ſibi comparandum aperuit ludum literarium, in quo pueros docuit Latinas literas optimo ſucceſſu. Poſtea ſe Londinum contulit, & ibi quoque vacavit inſtitutioni adoleſcentium. At A. 1636, cum alii puerorum magiſtri moleſtiam ipſi faceſſerent, diſceſſit hinc in oppidum Comitatus Cantienſis Sevenokium, ſive Sennokium, ibique perrexit ſtudioſam literarum pubem erudire. Exorto vero bello civili, cum A. 1641 dixiſſet, malle ſe unum habere Regem, quam quingentos, cumque A. 1643 autor eſſe diceretur ſeditionis, a ruſtica quadam turba in Regis *Caroli I* gratiam concitatæ, datus eſt Londini

in

in custodiam, e qua tamen liberatus fuit post unius anni decursum. Septuagenario major mortuus est & sepultus Sennokii posito hoc Epitaphio: *P. M. Viri ornatissimi, Thomæ Farnabii, Armigeri, causæ olim Regiæ, Reique publicæ, sed literariæ, vindicis acerrimi. Obiit 12 Junii 1647.*

Vatibus hic sacris qui lux Farnabius olim,
Vate carens saxo nunc sine luce jacet.

Duas habuit uxores, ex iisque liberos, quorum natu maximus vita excessit A. 1673. Edidit Scholia, valde a *Bailleto* laudata, in *Juvenalem, Persium, Senecæ Tragœdias, Martialem, Lucanum, Virgilium, Terentium, & Ovidii Metamorphoses.*

MISCELLANEÆ OBSERVATIONES IN AUTOres veteres & recentiores.

Vol. I Tomus II & III.

Amstelædami, apud Janssonio-Waesbergios, 1732, 8.
Tomus quisque habet plag. 10.

Strenue telam cœptam persequuntur Viri doctissimi, de quorum instituto satis, quod videbatur, superiori *Mense Oct. p. 469 seq.* dictum est. Habet *Tomus secundus* inprimis Observationes in *Quintilianum*, in *Boilavii* versionem *Longini*, in *Luciani* asinum, in *Euripidem*, in *Statium*, in *Virgilium*, in *Senecæ* Tragœdias in *Propertium*, itemque Disputatiunculam de dimensione magnæ Pyramidis Ægyptiæ. Age, specimina quædam Lectoribus nostris etiam hujus Tomi propinemus. *Quintil. I, 1, p. 22 Burm.* Pag. 140. *Perdiscendæ omnes* (syllabæ) *nec, ut fit plerumque, difficillima quæque earum differenda, ut in omnibus scribendis deprehendantur.* Simpliciter intelligi volunt syllabas, eas omnes deprehendi, h. e. inveniri, inesse, debere in omnibus tabellis scribendis. Non diffitemur, multo nobis commodiorem videri *Burmannianam* interpretationem & lectionem, quam non recepit ille quidem, sed haud obscure probavit. Differuntur difficillimæ syllabæ, eo non consilio, sed eventu, ut pueri *in nominibus* propriis, aut alioqui insolentioribus difficilioribusque scribendis deprehendantur, & redarguantur parum hac arte

te eruditi. Nihil hic monuit *Burmannus* ipſe, credimus cauſæ fiducia. Collegit aliquis e *Quintiliano* aliquot ſcribendi obſervationes, in quibus *Ciceronis* illa & *Virgilii* ratio inprimis a noſtris moribus abhorret, quod *Fabio* teſte *p. 89* non *cauſſas* modo, ſed *caſſus* etiam & *diviſſiones*, ſcribebant. Elegans Obſervatio & illa, Poetas ſolere nomina perſonarum, quas diſſimulare volunt, ita fingere, ut reſpondeant quantitate veris, uti v.g. *Clodia* Catulli *Lesbia* ab eo dicitur: quare etiam hanc ob cauſam viri docti pro commento, habent ſub *Corinnæ* nomine apud *Ovidium* latere *Juliam Auguſti*. Utrum vero hoc eo valeat, quod hic contra editorem *Anglum* diſputatur, ut *Martialis* ridere non potuerit *Statium, Sabelli* nomine illi impoſito, non equidem dixerim. Certe illud videtur admodum probabile, ad *Statii* carmen in balnea *Hetruſci* pertinere, quod *Martialis* canit IX, 20:

Pag. 143.

155.

Laudas balnea verſibus trecentis
Cœnantis bene Pontici, Sabelle,
Vis cœnare, Sabelle, non lavare.

Statio inprimis diligens opera data eſt e.g. *II Theb. 286*, In deſcriptione monilis fatalis Harmonies legitur vulgo, *atque hilari perfundit cuncta veneno.* Hic, quid ſibi *hilare venenum* velit, difficile eſt ad intelligendum. Legi jubet doctiſſimus Vir, qui *B* literam ſymbolum ſibi delegit, pro *hilari*, *hyali*. *Hyali venenum* eſt color viridis, quem etiam *hyali colorem* dixit *Virg. Ge. IV, 235*, poterat *venenum* eodem jure vocare, quo

199. *Aſſyrium venenum* dixerat *Ge. II, 465*. *Decorem προσωποποιεῖσθαι* a Poetis, non primum obſervatur ab *Anglo* ad *Theb. II, 287*; ſed viderat illud jam *Barthius*, & ita acceperat *Broukh. Tib. IV, 28*. Pro vulgato *Theb. II, 311*; *Reſpiciens* deſciſſe *Deos &c.* hic recte e Mſto reponitur *deceſſe*, h.e. *deceſſiſſe*; & obiter apud *Virg. Æn. V, 786*, vera lectio ſtatuitur, *pœnam tra-*

212. *xe per omnem*, h.e. *traxiſſe*. Occaſione notæ *Burmanni*, quæ ille docuerat ad *Ovid. Met. IV, 60*, *patrum, fratrum, natorum, regum*, appellatione alterum etiam ſexum comprehendi, (quod hic etiam de *ſoceris* oſtenditur,) Doctiſſ. *Belga*, qui *A* ſibi teſſeram voluit, ea profert, quæ augent ſuſpicionem noſtram,

ſtram, ipſum Cl. *Burmannum* literam ſibi debitam elegiſſe, quem *Alpha Criticorum* (abſit verbo invidia, ſcribit iſta candidus laudum *Burmanni* fautor) populares quidem ſui agnoſcant: quemadmodum *B* litera ad *V. Cl. Alex. Cuningamium* pertinere nobis videtur. Certe eum doctrinæ, Græcanicæ præſertim, apparatum paſſim produnt Obſervationes, quas hæc litera diſtinguit, quem vix ab alio, quam *Horatii* illo vindice, expectes: & Anglicæ eundem linguæ peritiſſimum declarat Pag. 259.
animadverſio de *Shakespeario*, nobili in ea gente Poeta Tragico; add. *p. 330.* Non indignabuntur Viri Clariſſimi, nos conari ipſorum nomina indicare noſtris Lectoribus; cum & ipſorum alter Britannum litera *DD* inſignem eſſe *J. W.* di- 268.
vinet. Licetne addere, videri ipſum eſſe *Joſephum Waſſe*, Virum criticæ artis laude florentiſſimum. Sed *Papinianeas* adhuc lectiones quasdam commemorabimus. *Theb. II, 520, Panditur Elyſium Chaos, & telluris operta Diſſilit* umbra *ca-* 257.
pax. Diſplicet Cl. *Marklando umbra*, & mavult legere *umbo*: quod hic probat Editor *Anglus*, quod connexæ undique telluris pars quævis *umbo* dici poſſit. Sed recte, noſtro quidem judicio, contradicitur illi ab *A*, & *umbra* illa h. e. locus inferorum umbroſus & caliginoſus, defenditur. In epithetis ad 261.
imperativa verba adjiciendis tum nominativum caſum, tum vocativum, recte adhiberi, ad *Theb. II, 620*, ab eodem doctiſſimo Belga obſervatur. Breviſſimum exemplum eſt *Claud.* in *Ruffin. II, 98, vel ſolus ſperate veni.* *Britannus* ille *DD*, de quo mo- 268.
do dictum, *Virg. Ge. III, 37, tortos Ixionis* angues mutat in *orbes* ex MS. Romano. Divinaverat Cl. *Marklandus axes*, qui aliquanto propius ad *angues* accedunt: propius etiam Obſervator Belga *ungues* pro digitis, vel manibus, quibus alligatus *Ixion*; vel *artus*, qui ad *orbes* accedunt: ſed idem ita concludit, *hæc omnia forte vana, & Virgilius ſine dubio, ſi* angues *ſcripſit, Autores habuit, qui huic ſupplicio ſerpentes additas narrarunt. Farnabius certe ad Sen. Herc. Fur. 750, rotam ſerpentibus implexam fuiſſe ſcribit. Utinam Autorem ſuum laudaſſet.* Poteſt fieri, ut vir optime profecto de juventute meritus, & minime cum *Minelliis* & illius caveæ interpretibus

nominandus, hac in re communem traditionem secutus sit, ex hoc ipso forte *Virgilii* loco haustam. Certe non *Boccatius* modo *Gen. Deor. IX, 27*, rotam *Ixionis plenam serpentum fingi* dicit, sed est etiam penes nos editio *Virgilii Ascensiana*, in qua sextum *Æneidos* pictura ornat *Ixionis* ad rotam alligati, serpentibus vinculorum vicem subeuntibus. Et quid ni? cum
Pag. 275. pro crinibus serpentes habeant Furiæ. Apud *Avienum Descr. orb. v. 418* legitur: *Arva tenent*, auris *nimium vicina Britannis*. Suspicatur *Hudsonus*, *duris* vel *arvis*. Britanno Editori placet *Cauris*, quo sæpe utitur *Avienus*; Belgæ, *duris*. Ibid. *v. 466*, pro vulgato: *Et se præcipiti fluctu* furit *Hellespontus*, *Anglus* malit *fugit*; Belga *ruit*: utrumque eleganter & docte, utrum verius? *V, 651 Avienus*, ut adhuc editus est, *celeres Iberos* vocavit. Sed, cum *Dionysius v. 744* (in edit. *Oxon. 1697* est *v. 485*) τριλλίστους appellet, quem versum interpretatur *Avienus*, suspicatur Britannus, legendum *celebres*.

Tomo III primum locum tenet recensio libri, *Apparentes difficultates in naturali aut revelata, religione non excusant diffidentiam incredulorum.* Incipit ea h. m. *Constat XVI Sermonibus in Boilii prælectionibus a Rev. Gurdonio habitis.* Si quem offendat obscurior titulus, is recordetur, sermonem esse de Legato Ill. *Boylii*, qui octonas in singulos annos conciones haberi pro religione tum naturali, tum revelata, voluit; quod institutum ut multos alios, eosque præclaros, libros peperit, (commemoratos tum alias, tum in Præfatione ad *Derhami* Physiotheologiam, Germanice cura S. Rev. *Fabricii* editam,) ita etiam ipsum *Gurdonii* Opus, h. e. conciones annis
306. 1721 & proximo habitas. Sequitur, nescimus quo consilio, Dissertatiuncula de nomine *Byrsæ Carthaginiensis* arcis, ex Historia Academiæ Inscriptionum *Tom. I p. 182* edit. Amst. excerpta, quæ, prolatis aliis, Græculorum præsertim nugivendulorum sententiis, in *Bochartiana* acquiescit, qua ex Ebræa radice בצר
309. derivatur nomen, & *arcem* significare ostenditur. Notabilis ad criticam ἀκρίβειαν est disputatio, quæ sequitur de loco *Eustathii Ed. Rom. p. 285, Basil. p. 196.* De *Homero* decoris observante ait, Κωμῳδῶν μὲν γὰρ καταῤῥιπτεῖ τὸν Θερσίτην, deji-

Digitized by Google

dejicit, *Britannus* vult legi καταῤῥάπτει, *adsuit*, *intertexit tanquam episodion*, idque tanto facilius concedendum ait, quod in una tantum literula mutatio suscipiatur. Sed subjicit animadversionem Belga *B*. Cum Seculo XII, quo scripsit *Eustathius*, accentuum ratio jam fuerit recepta, etiam accentum autoritatem & pondus literæ obtinere; hic optimam sententiam existere, quam præclare expresserit novus interpres *Alex. Politus*, *deprimit atque in contemtum adducit Thersiten*. Significatur per hanc occasionem, majorem gratiam initurum fuisse ab eruditis virum doctissimum, si Commentariorum *Eustathii* contextum ad Codices Florentinos exegisset, qui verosimili conjectura videantur ipsius *Eustathii* αὐτόγραφοι, certe seculi non unius antiquitate superent Venetos. Optamus cum illo, ut certe in Voluminibus, quæ sequentur, utilem hunc laborem suscipere non gravetur. Sequuntur deinde Observationes multæ in *Statium*, in *Justinum Martyrem*, *Avieni* Descriptionem orbis, & alia Carmina; in *Virgilii* Georgica, in *Aristænetum*, quas Lectoribus commendamus, qui hoc genere literarum delectantur. Sed duo verba dicenda sunt de Animadversionibus criticis ad *Ciceronis Tusculanas* Disputationes. Bis illæ editæ sunt a *Joanne Davisio*. Priori adjunctæ extemporales fere *Rich. Bentleji* emendationes; in contextu ipso, quem vocant, nihil temere mutatum, conjecturæ & emendationes in margine propositæ. Longe diversa ratio servata in altera editione. Primum in Orthographia multa immutata. Scribitur hic *bejulare*, *defetigatio*, *intellegere*, *dissupare*, *dissimillumus*, *hæc* pro *hæ*, *ecferre*, *conprehendere*, &c. interpunctiones, Capitumque adeo divisiones, mutantur: nulla harum omnium rerum ratione reddita. Inprimis vero illud admirabile, quod nullæ plane Annotationes hic exhibentur *Bentleji*, omissis illis etiam, quæ priori editioni adjectæ fuerant, & tamen ipsum orationis contextum totum plane ad sententiam illius, quam margini sui Codicis alleverat, conformatur, iis ipsis adeo in locis, ubi alia omnia sibi videri, *Davisius* ipse non diffitetur. Hinc fit, ut hæc editio nimium quantum a recepta adhuc lectione abeat, nusquam tamen vel

Pag. 399.

verbo

verbo indicetur, qua de causa illud factum sit. Specimina etiam afferuntur aliquot, in quibus nimium suæ ἀγχινοίᾳ tribuisse *Bentlejum*, nimium *Bentlejo Davisium*, Nostro videtur. Sed superest aliud in hoc Tomo minime prætermittendum.

Pag. 413. Proponitur specimen Observationum in Etymologici magni Autorem, ubi præsertim locis Poetarum falso laudatis sui Autores redduntur: itemque aliud in *Hesychium*, quod ab eodem forte Autore profectum *Gratiani de S. Bavone* præscriptum nomen habet. In Præfatiuncula discimus, cum maxime id agere Batavum doctum, ut Lexici hujus novam editionem accipiamus, in qua ineditæ *Dan. Heinsii*, *Henr. Valesii*, *Is. Vossii*, aliorumque, notæ prodituræ sint. Ponit deinde canonem, *Hesychio* a lacunarum suspicione liberando apprime utilem, *sæpe Hesychius illud verbum vel substantivum omittit, quod in voce ipsa, de qua agit, latebat*, e. g. Ἀγαλματοφόρος, ὡς ἄγαλμα ἐν τῇ ψυχῇ - - latet in ipsa voce proposita φέρων. Ἀμφηρεφὲς (ita enim legendum, pro vulg. ἀμερεφὲς) τὸ ἀμφοτέρωθεν - - int. ἐρεφόμενον. &c. Hic Tomus primum Volumen claudit, cui adjectus Index rerum & verborum, itemque Autorum, quorum loca emendata aut vindicata sunt. De altero Volumine mox dicemus. Meretur sane institutum præclarissimum sæpius commendari his, qui libros antiquos tractare, & in iis judicium suum & aliorum experiri, dulce putant.

Grundriß zu einer umständlichen Historie der vornehmsten Europäischen Reiche und Staaten.

h. e.

GEORGII CHRISTIANI GEBAUERI, JCTI, Sciagraphia Historiæ accuratæ & copiosæ præcipuorum Europæ Imperiorum & Statuum. Præmissa est Præfatio de insigni ac multiplici usu, ex cognitione Historiarum expectando.

Lipsiæ, sumtibus Caspari Fritschii, 1733, 4.

Alph. 2 pl. 15.

Habet hoc Historiarum cognitio, ut rudes etiam & incultos hominum animos alliciat, in admirationemque sui conver-

Digitized by Google

convertat. Trahimur omnes studio varietatis: varietate quasi reficimur ac reparamur. Visendæ varietatis est apparatissimum orbis terrarum spectaculum, scena illa publica humani generis. Quot enim quæso nobis producit formas, quot casus, quot vicissitudines, non modo privatorum hominum, sed Principum ac Rerumpublicarum, quot etiam ludicra fortunæ? Nec minor inde utilitas. Principum filiis præcepta morum & civitatis regendæ, per se ingrata & voluptate carentia, per Historiam dulcissime instillantur. Principes apte propositis bonis vel malis exemplis docentur, quid sectari, quid debeant fugere, & ut ipsi etiam exemplo possint esse posteritati. Privati in Historiarum luce tanquam in speculo intuentur opera sapientissimi & omnipotentis Dei, agnoscunt cœlestem, quæ res humanas gubernat, virtutem, certissimisque discunt documentis, irrita esse hominum, quamvis callidissime excogitata, consilia, nisi successum & eventum a divino Numine sortiantur. Id quod egregie cognoscitur exemplis *Ferdinandi* Catholici, & Successorum. Inde oritur etiam prudentia civilis vitæ. Peritus rerum & Historiarum componit ante acta cum præsentibus, causas latentes consiliorum, quæ hodie agitantur, non quasi e longinquo, sed propius, cognoscit, & de eventibus mire ac certo conjicit. In summa dici potest, Historiam cuivis generi hominum esse ornamento atque usui, eruditis vero vel maxime necessariam. Quælibet enim disciplina peculiarem habet historiam de sua origine, incrementis, fatis, atque subsidiis, quæ ignorare damno ac dedecori est. Omittimus in præsentia de Philosophia, Theologia, & Medicina dicere, solam ac præcipue nominamus Jurisprudentiam, quæ in omnibus partibus suis Historiarum lucem magnopere desiderat. Hic vero studiosos Lectores delegamus ad libri præsentis Præfationem, ubi Cel. Autor non solum ea, quæ de vero usu ac fine disciplinæ historicæ strictim annotavimus, copiosius exposuit, sed etiam de amicissimo Jurisprudentiæ atque Historiarum vinculo elegantissime tractavit. Nam, sicut ipse ad suam utilitatem semper cum studio Juris Historias conjunxit, ita in prælectionibus suis, ut idem facerent, auditores hortatus est, eorumque in gratiam, qualis Historiarum cognitio ipsis præcipue sit acquirenda, jam

Præf. p. 16 seq.

Uuu ostendit-

oſtendit. Primum vero deſiderat adhuc *Hiſtoriam Eccleſiaſticam, diſciplinæ Juris accommodatam*, ubi varia facies Eccleſiæ ſecundum ritus & inſtituta, hiſtoria præcipuorum Conciliorum & Patrum, illorum maxime, qui in Decretis commemorantur; origo & incrementa Hierarchiæ, conſilia & artes, quibus aucta & ſtabilita fuit potentia Pontificum, contentio item inter regnum & ſacerdotium, tandem commutatio rerum, quam ſalutaris importavit Reformatio, & poſtremo principia hodiernæ Jurisprudentiæ Eccleſiaſticæ, ex Hiſtoriarum fontibus diligenter & accurate tradantur. (*) Secundum Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſtudioſo Juris neceſſaria eſt Hiſtoria Imperii Romano-Germanici, quam non ſolum per Compendia tractarunt, ſed amplis etiam Voluminibus excoluerunt eruditi. Ac ſpes eſt non improbabilis, fore, ut Cel. *Gebauerus* & huic delineandæ manum admoveat, ſimulque origines plerorumque Statuum Italiæ, Hiſtoriam Bohemiæ, & quicquid ex ſcriptoribus Ungaricis uſui poteſt eſſe, comprehendat. Reliqua pars Hiſtoriæ Politicæ, quæ ſtudioſo Jurium addiſcenda eſt, in hoc libro exponitur, ubi *Cap. I* de *Portugallia*; *Cap. II* de *Hiſpania*; *Cap. III* de *Gallia*; *Cap. IV* de *Britannia*; *Cap. V* de *Belgio*; *Cap. VI* de *Bello ob ſucceſſionem Hiſpanicam geſto & inde ſecutis pacificationibus*; *Cap. VII* de *Dania*; *Cap. VIII* de *Suecia*; *Cap. IX* de *Moſcovia*; *Cap. X* de *Polonia*; *Cap. XI* de *Bello Septentrionali ſub Rege Polon. Auguſto II, nuper defuncto*; *Cap. XII* de *Helvetia*. Commodiſſimum ſemper viſum fuit hoc ſcribendi tradendique genus per poſitiones, (ut in Academiis vocatur,) quoniam illæ repetitioni utiliſſime inſerviunt, & egregie juvant memoriam. Conſ. Autor res geſtas & momenta præcipua capitulatim ac breviſſimis indicat, & ad tempora noviſſima deducit. Rerum tempora diligentiſſime obſervat, annosque notat in margine. Multas inſerit Tabulas Genealogicas accuratiſſimas, ſuo quamque loco, ut omnia ſine negotio in promtu habeantur, quæ ad illuſtrationem pertinent. Et, ne quis denique fontes ignoret, vel fidem autoritatemque deſideret, Scriptores, quos ipſe volvit & inſpexit, allegare ſolet idoneos, iis quidem in locis, ubi re vera deſinunt. Quod pri-

Pag. 25.

(*) Talem Hiſtoriam Eccleſ. inde ab aliquot annis molitur Vir doctiſſimus, *Jo. Ernest. Flørck*, Prof. P. Jen. qui rationes inſtituti ſui publice expoſuit. Quod Opus merito impatienter expectamus.

privatum fuit jam pridem, nunc factum est etiam publicum omnium desiderium, ut Excell. Autor ductu Delineationis hujus Historiam præcipuorum regnorum atque Rerumpublicarum amplius atque copiosius conscribat. Norunt omnes virtutes Viri ac merita, novit & ipse, quid vere sit publici saporis, quid oculos ferat orbis eruditi. Usus est olim præceptore B. *Gundlingio*, ex cujus non solum institutione, sed & Bibliotheca, ista tempestate hausit, quid historicam ornet atque commendet disciplinam. Ac spes quidem non vana est, fore, ut Vir Celeb. manum operi, forsan expectatione citius, admoveat, quippe metuens, ne idem sibi aliquando accidat, quod nunc præceptori indigne post mortem accidere dolemus. Superest, ut Cel. *Gebauero*, qui de nostra Academia per tot annos præclarissime meretur, vitam precemur atque otium, & locum in Ordine JCtorum dignissime nuper acceptum, insignium meritorum fructum, publice congratulemur.

ELOGIUM THOMÆ WOOLSTONI, ET TYNDALII, Anglorum.

Woolstonus, qui suis *de Miraculis Jesu Christi Dissertationibus* apud bene multos satis quidem magnam, nec tamen ideo minus sinistram, de se concitavit famam, *Londini* d. 7 Junii hoc anno, rhevmate epidemico & epiphora, quæ magnam hominum multitudinem, incolentium hanc urbem, afflixerat, & ipse oppressus, vita discessisse nuntiatur. Natus ille fuerat *Northamptoni* A. 1669, cognominis Comitatus principe urbe notissima, claro atque honorato genere oriundus. Literis operatus erat in *Collegio Cantabrigiensi*, ubi & Academicis, quos vocant, gradibus vestitus fuit, summum tamen *Doctoris* honorem nunquam ambivit. Socius in *Collegium Sidneyense* receptus, inde A. 1721 varias ob causas, quæ prætendebantur, exclusus fuit, maxime vero ideo, quod opiniones ipsa specie horribiles doctrina divulgasse, & animos multorum in vitii societatem abripuisse, vel certe contagione quadam credebatur infecisse. Ante hoc quidem tempus multas lucubrationes de variis rebus ad Ecclesiam pertinentibus ediderat in lucem: neque vero ante hunc annum doctrinarum suarum justam compagem satis clare prodiderat. Annis post illum secutis, omnibus viribus eo contendebat, ut, quod mente ante

conceperat, δογμάτων Σύςημα partim roboraret argumentis fulciretque, partim coloribus pingeret illineretque, fucum non advertenti facturis. A. 1727 primum apparuit publice *prima* ejus *de Miraculis Servatoris Diſceptatio*, quam contra ea ſcriptam eſſe, verius dici, non pauci autumant. Quatuor annorum intervallo *ſex* priori ſimillimas *Diſſertationes*, cum duabus apologeticis pro ſuis opinionibus, Autor excluſit, omnia doctrinæ Evangelicæ capita ad errorum ſuorum principium relaturus: miracula novi Fœderis non eſſe facta, uti recenſita a ſanctis viris legimus, verum allegoriarum in modum exponenda eſſe. Innumera dicta ſanctorum Patrum, quorum ſola adductione teſtabatur, quantam librorum copiam legendo emenſus eſſet, in ſenſum alienum a vero abripiebat, ſuas ſententias inde exſculpturus; quo ipſo oſtendiſſe putatur, fuiſſe ipſum ex numero eorum, qui ultimo cœcitatis genere laborant, quod *Tertullianus* Apolog. *Cap. X* reprehendit his verbis: *Duæ ſunt cæcitatis ſpecies, ut qui non videant, quæ ſunt, & qui videre videantur, quæ non ſunt.* Scribendi genere uſus eſt claro, verum parum elegante: &, quod ipſum videtur nec venia, nec excuſatione, dignum reddere, etiam apud illos, qui ſentiendi, imo & ſcribendi, libertatem ſatis amplis cancellis circumſcribunt, ex ordine cogitationum & artibus, quibus in mente ſua explicanda uſus eſt, verborumque tum lenociniis, tum contextione omni, apparet ſpecies quædam animi maligni, & lætitiæ improbæ, ex veritatis detrimento quaſi captæ: quæ omnia, illum non optimum finem animo ſectatum eſſe ſuo, arguunt. Poſtquam in ſcriptis ſuis non mitius habuiſſet Clerum, quam religionem ipſam, utramque partem ex æquo criminatus, coram judicibus, civiles controverſias diremturis, reus actus, a quodam *M. B.* defenſus, ſed ſententia judicii ad carcerem, cui per anni intervallum includeretur, & pœnam 100 librarum Sterlingicarum, condemnatus fuit. Epiſcopi Anglorum multi calamum contra ipſum ſtrinxerunt, inter quos eminent *Gibſon*, Londinenſis, & *Smallbroock*, Lichtfieldenſis & Coventryenſis: nec non Doctores quidam, e quibus maximam laudem adepti ſunt Doct. *Wade* & Doct. *Petrus*. Morbum, quo is conficiebatur, non niſi per quatuor dies, ſumma tamen animi tum con-

ſtan-

Digitized by Google

ſtantia, tum tranquillitate, pertulit. Horæ dimidio, antequam moreretur, in lectum reponi ſe juſſit, & virium inſignem defectum perſentiſcens, *En impetum*, ait, *quem omnes homines ſuſtinere oportet, & in me irruentem. Præparo me, ut illum non patienter ſolum, verum & lætus, excipiam*; quo dicto, compreſſis ſuo digito tum labiis, tum oculis, ſtatim exſpiravit. Corpus in Cœmeterio ſuburbii Londinenſis *Soothwark*, a S. Georgio cognominato, humatum eſt. Cælibem vitam egerat & tenuem: neque enim plures quam 60 libras ex annuis reditibus cepit: frugalitate & parſimonia tantopere delectatus, ut amicis ſuis ſanctiſſime aſſeveraverit, non poſſe ſe lautius vivere, ſi vel plures ſumtus facere liceret. Duabus imaginibus facies ejus delineata eſt, quarum alteram pinxit *Van der Bank*, alteram *Dandridge*: utraque ſatis ipſum refert, ſed prior majoris fieri dicitur. Vix quiſquam impias & ſcurriles facetias, quas in res ſanctiſſimas evomuit, cum vita virtutum perquam ſtudioſa componere poterit. Cum vehementiſſimis calumniis impetitus fuiſſet ab Autore libelli: *Vita Chiliarchi Chartres*, in quo ipſe Tribuno militum huic a ſacris fuiſſe, & multorum peſſime actorum autor & tuba extitiſſe audacter dicebatur, quanquam *Woolſtonus* virum hunc militarem ne oculis quidem unquam viderat, amicis inſtigantibus ipſum, ut calumniatorem judicibus ſiſteret, & læſionis vindictam in foro repeteret, placide reſpondit: *Poſſem forte illum funditus evertere ac peſſum dare hoc modo; ſed, certo vobis perſuadeatis, velim, me multo majorem dolorem perlaturum eſſe, ſi illum miſerum & omni fortuna dejectum videro, quam qui comparari poſſet cum levi gaudio, quod ex ultione nunc quidem caperem.* Solus cum aliquando ſpatiaretur in agro, *S. George's Fields* denominato, obviam facta juvenis, non adeo deformis, ipſum irretorto oculo intuita, acclamabat: *Vile ac nequiſſimum ſenile caput! quo maligno fato in hunc uſque diem crucem, patibulum, furcam, effugiſti?* Ille vero placidiſſime reſpondebat: *Quid quæſo optima? ne te quidem novi. Quid, inquam, commiſi, quod te queat offendiſſe?* Cui illa irata inſonuit: *Sceleſte! nonne tu Servatorem meum ſcriptis petiiſti tuis? Ah! actum eſt de anima mea, peccatis contaminata, miſera animula mea, niſi Ser-*

 vator

vator meus adesset: carissimus Servator, qui pro miseris peccatoribus mortem obiit, quibus me annumero. Simili modo sæpius a plebe *Woolstonus* in viis publicis & plateis Londini pessime habitus dicitur: quod tamen ille non solum magno animo contemsisse, sed & patienter pertulisse, fertur. Vitam omnem celebris viri describere aggressus est Autor anonymus in libro, cui titulus est: *The Life of M. Woolston, with an impartial Account of his Writings.* Verum, quæ ibi traduntur, circumspecte examinanda prius sunt, quam recipiantur, quia a discipulo, magistri interdum parum modico admiratore, profecta esse videntur.

Pariter *Oxonio* nuntiatur, Doctorem *Tyndall* anno ætatis suæ octavo & septuagesimo, d. 16 Augusti h. a. in domicilio suo in *Cold-Bath-Fields* obiisse, qui præter alia scripta duobus libris, altero *de Juribus Christianæ Ecclesiæ*, altero *de Christianismo creationem antiquitate adæquante*, magnam nominis sui celebritatem, & dissentientes adversarios multos, est adeptus. Nec illum nullis virtutibus polluisse contendunt, qui penitius noverunt: inprimis amorem patriæ, justam bene meritorum virorum æstimationem, & violentiæ atque oppressorum odium in eo admirati: illumque non solum convenienter vixisse, sed & immortuum esse sententiis, quæ eos decent, quos *Whigs* appellant. Sed, quod ad Christianam & revelatam religionem attinet, eum opiniones easdem, quas dictis libellis professus erat, constanter retinuisse, dolent nonnulli, qui eum in errorem se dedisse præcipitem arbitrantur. Per octo dierum, mortem ejus antegressorum, integrum spatium, summos dolores e calculi morbo, quo laborabat, & inguinum tormenta maxima perpessus, medios inter cruciatus mentis compos non solum mansit, verum & insigni animi robore & fere Stoico omnia ista superavit. Sermones, quos cum amicis, & reliquis, qui aderant, paulo ante obitum suum contulit, quibusque tristia hæc fata & imminentem vitæ finem toleravit, cura haud exigua calamis excepti & consignati conservantur, suo olim tempore lucem in publicam evasuri una cum Descriptione solerti vitæ hujus viri, præfigenda variis scriptis ejus, orbi erudito non surripiendis, quæ ipse moriturus viro honesto tradidit, cui multum confisus erat, & qui ob cognitionem multiplicem in variis eruditionis universæ partibus dignus videtur, cui depositum tale committatur. Morte hujus viri, qui Senior Socius Collegii *omnium Animarum Oxonii*, & simul Senior universæ Academiæ Oxoniensis fuit, non solum locus in dicto Collegio vacare cœpit, sed & cessat annua pecunia, quæ e fisco Reipublicæ, pro egregiis in eam meritis, ipsi quotannis, idque multo ante hoc tempore, soluta est.

NOVA LITERARIA.

D. *Christophorus Jacobus Trew*, Reipubl. Norimb. Physicus Ordin. Acad. Cæs. Nat. Curios. Collega, & Commercii literarii Physico-technico-medici Sodalis, Indicium, præmissum plenæ, fideli, & distinctæ delineationi & explicationi omnium partium humani corporis, quam ipse adjutus opera *Georgii Lichtensteger*, artificis in sculpendis æneis Tabulis, & *Nicolai Friderici Eisenberger*, pictoris egregii, edere parat, nuper Germanice, Latine & Gallice, perscriptum, emisit. Quam sit utile, nosse omnium partium humanæ machinæ rationes, figuras, magnitudines, situm, dicere nunc nihil attinet. Prodibit Opus hoc non simul, sed per vices, in certas quasi Sectiones distributum. Prima duodecim Tabulis hominis juvenis maris ossa exhibebit, dimidiæ plagulæ folium explentibus: decima tertia sistentur ossa fœminæ, quæ diversitatem a mare produnt. Ossium connexio in Tabula majore, e duabus plagulis composita, ostendetur, in tribus diversis situbus, ut a fronte, a latere, & a tergo visa inter se conjunguntur: ubi in gratiam artificum naturalis magnitudo ossium mensura quadam certa indicabitur. Germanica explicatio, 12 plagulas expletura, typis impressa addetur: quam in Latinum & Gallicum sermonem etiam versum iri, promittitur, si qui id efflagitaverint. Tabulis ipsis adjecta erit brevis partium omnium denominatio in tribus modo memoratis linguis. Forma major erit, quam quæ Supra-Regalis dicitur; nec charta erit deterior illa, quæ hac forma esse solet prædita. Ut æquo pretio veneant hæc omnia, prænumerato opus est in primam hanc partem 5 florenos Rhynlandicos, vel tres imperiales, octo grossos, 3 thal. 8 gr. sic immittendos, ut, qui curam agunt Operis, nullis aliis sumtibus onerentur, nec quod ad pecuniam accipiendam attinet, nec librum recipiendum. Terminus prænumerationi præfinitus est ad nundinas Lipsienses, sub auspiciis novi anni celebrandas. Solvitur pecunia Noribergæ artificibus, sculptori & pictori, supra nominatis: alibi vero iis, qui Societate Commercii literarii Physico-technico-medici tenentur: qui, ut cuivis prænumeraturo prædes cautionem de pecuniæ securitate præstent, rogantur,

certi-

certique eſſe jubentur, fore, ut omnis Societas ipſis viciſſim ſatisdet, ſeque prædem exhibeat. Quæ in prima Sectione Operis ſervata fuit proportio inter librum tabulasque atque pretium, pro iis ſolvendum, eadem in reliquis omnibus ſervabitur; tum pictura, tum ſculptura, tum deſcriptio, nulla mora interpoſita, quam fieri poteſt, citiſſime continuabuntur; quælibet Sectio adeo plene elaborabitur, ut ſingulæ ſint in ſuo genere perfectæ, nec altera ſine reliquis nulli ſit uſui. Dimidium pretii intra præfinitum tempus ſolvendum eſt: pars reliqua poſt 6 menſes demum ſubmittetur: quo tempore cuivis, qui deſideraverit, etiam Operis dimidia pars monſtrari, vel & tradi poterit: abſolutum vero non niſi in nundinis Lipſienſibus S Michaelis feſto futuri anni, Deo volente, porrigetur. En nomina eorum, qui numerandam pecuniam excipiunt: Baſileæ D. & Pr. *Emanuel Kœnig*, Berolini D. & Pr. *Caſpar Neumann*, Bononiæ D. & Pr. *Joſeph Monti*, Bremæ D. & Pr. *Melm*, Danciſci D. & Pr. *Jo. Ad. Kulmus*, Erfordiæ D. & Pr. *Andr. El. Büchner*, Francofurti ad Mœnum D. *Jo. Phil. Burggrav*, Francof. ad Viadr. D. & Pr. *Carol. Aug. de Bergen*, Halæ Saxonum D. & Pr. *Jo. Heinr. Schulze*, Hamburgi *Felgineri* Bibliopolæ vidua, Hannoveræ *Jo. Jac. Færſteri* hæredes, Jenæ D. *Jo. Juſt. Fick*; Regiomonti D. & Pr. *Conr. Gottl. Marquard*, Lipſiæ *Jo. Heinr. Lincke*, Pharmacopola; Lugduni Batav. *Conr. Wishof*, Bibliopola, Memmingæ D. *Balth. Erhard*; Noviomagi D. *Jo. Hartm. Degner*, Pragæ D. & Pr. *Jo. Jac. Geelhauſen*, Romæ *Franc. Pagliarini*, Bibliopola, Tubingæ *Jo. Conr. Gmelin*, Pharmacopola, Venetiis D. *Pet. Anton. Michelotti*, Ultrajecti ad Rhenum D. *Gottfr. Sellius* & *Steph. Neaulme*, Bibliopola, Viennæ Auſtriacæ D. *Jo. Frid. Glaſer*, Guelpherbyti D. *Franc. Erneſt. Brückmann*, Tiguri D *Jo. Jac. Schultes*. Quibus Bibliopolæ Noribergenſes adjungunt Auguſtæ Vindel. *Jer. Wolfii* hæredes & *Jo. Ge. Merzium*, mercatores æri inſculptarum figurarum, Uratislaviæ *Mich. Rorlach*, Bibliopolam, Dresdæ *Mullerum*, pictorem aulicum, Ratisbonæ *Kraerum*, hoſpitem zum blauen Hecht. Exemplaris loco apud hos omnes videri poteſt ſcapula tribus figuris exſculpta, atque additis explicationibus trium linguarum dilucidata.

LIBRI NOVI, EX ITALIA ET ANGLIA ADVECTI.

Lud. Ant. Muratorii Rerum Italicarum Scriptores. Tom. XXII. Mediolani, 1733, fol.

Phil. Labbei Concilia, ex edit. *Alex. Coleti*. Tom. XXI & XXII. Venetiis, 1733, fol.

Aug. Calmeti Commentarius in Biblia. Tom. VII & VIII. Venetiis, 1733, fol.

Ant. Valliſneri Opere Mediche e Fiſiche. Tom. II. Venetiis, 1732, fol.

Henr. Noriſii Opera. Tomi IV. Veronæ, 1729 - 1732, fol.

Car. Sigonii Operum Tomus III. Mediolani, 1732, fol.

Betazzi Opus Paſchale. Florent. 1731, 4.

Domenici Luchini da Peſaro Trattenimenti Matematici, i quali comprendono copioſe Tavole horarie per gli Orologi a Sole orizzontali &c. In Roma, 1730, 4.

Gio. Lodovico Quadri Tavole Gnomoniche per delineare Orologi a Sole &c. In Bologna, 1733, 4.

J. Grancolas Commentarius in Breviarium Romanum. Venet. 1734, 4.

P. Moretti de Ritu variandi chorale indumentum in ſolennitate paſchali, apud clerum Baſilicarum urbis uſitato, Diſceptatio epiſtolaris. Romæ, 1732, 4.

Joſephi Rocci Vulpii Vetus Latium profanum. Tomus V. Patavii, 1732, 4 maj.

Della novella Poeſia Libri tre. Veronæ, 1732, 4.

De Codice Sancti Evangelii Libri III. Romæ, 1733, 4.

Nieuport de Hiſtoria Imperii Romani. Venet. 1732, 8.

Petri Joſephi Cantelii de Romana Republica. Venet. 1730, 8.

M. T. Ciceronis Orationum Partes IV, ex edit. *M. Ant. Ferratii*. Patav. 1729, 8.

Rettorica d'*Ariſtotele* fatta in lingua Toſcana dal Commendatore *Annibal Caro*. Venet. 1732, 8.

Jac. Hiac. Serry de Romano Pontifice in ferendo de fide moribusque judicio falli & fallere neſcio. Patavii, 1732, 8.

The Antiquities of Warvvickshire illuſtrated by *Will. Dugdale*; the ſecond edition, continued dovvn to this preſent time by *Will. Thomas*. London, 1730, fol.

Jo. Freind Opera omnia medica. Londini, 1733, fol.

Mich. Maittaire Marmora Arundelliana, Seldeniana, aliaque, Academiæ Oxonienſi donata. Edit. 2. Londini, 1732, fol.

Britannia Romana; or the Romain Antiquities of Britain, by *John Horsley*. London, 1732, fol.

Hortus Elthamenſis, deſcriptus a *Jo. Jac. Dillenio*. Londini, 1732, fol. maj.

Philo-

Digitized by Google

Philoſophical Tranſactions. Num. 414 - 425. London, 1730-1732, 4.
The Philoſophical Tranſactions from the year 1720 to the year 1732 abridged, by *M. Read* and *John Gray*. Partes III. London, 1733, 4.
Magnum in parvo: or the Marrovv of Architecture, by *Will. Halfpenny*. Lond. 1728, 4.
Quinque libri Moyſis Prophetæ in lingua Ægyptia; edidit *David Wilkins*. Londini, 1731, 4.
Exercitatio Geometrica de Deſcriptione linearum curvarum; Autore *Gul. Braikenridge*. Lond. 1733, 4.
Eleazaris Albini Inſectorum Angliæ naturalis hiſtoria, cum Obſervationibus *Gul. Derhami*. Lond. 1731, 4.
The ancient Phyſician's Legacy to his Country, by *Thomas Dover*. London, 1733, 8.
The Traditions of the Jevvs, contained in the Talmud. Voll. III. London, 1732, 8.
Rob. Welſted de Variis hominum naturis. Lond. 1730, 8.
A Philoſophical Enquiry into the phyſical ſpring of human actions, and the immediate cauſe of thinking. Lond. 1732, 8.
Diſſectio mentis humanæ: or a Satiric Eſſay on modern Critics, Stage and Epic Poets &c. Lond. 1730, 8.
Jac. Jurini Diſſertationes Phyſico-Mathematicæ. Lond. 1732, 8.
Specimen Animadverſionum in Prolegomena in Novi Teſtamenti Græci Editionem accuratiſſimam, nuper Amſtelodami edita. Lond. 1731, 8.
The Carpenters Compagnion: being an accurate and compleat Treatiſe of Carpenters Works, by *James Smith*. Lond 1733, 8.
Philoſophical Experiments and Obſervations of Dr. *Robert Hooke*. London, 1726, 8.
A Treatiſe of Gunnery, by *John Gray*. London, 1731, 8.
Statical Eſſays: containing Hæmaſtaticks, by *Stephen Hales*. Voll. 2. Lond. 1733, 8.
Philoſophia Nevvtoniana per *Domckium*. Tomi II. Londini, 1731, 8.
L. Trevigar Sectionum conicarum elementa. Cantabrigiæ, 1731, 4.
Perſpective made eaſy, by *Will. Halfpenny*. Lond. 1731, 8.
The nevv Lavv of Fluids, by *Humphry Ditton*. London, 1714, 8.
A nevv Syſtem of the Spleen, Vapours, and Hypochondriack Melancholy, by *Nich. Robinſon*. London, 1729, 8.
A Treatiſe of Conſumptions and other diſtempers belonging to the breaſt and lungs, by *Rich. Blackmore*. Lond. 1725, 8.
The Engliſh Malady, by *George Cheyne*. Lond. 1733, 8.
Things divine and ſupernatural conceived by Analogy vvith things natural and human. Lond. 1733, 8.
An Eſſay concerning rational notions, to vvhich is added the Proof of a God. Lond. 1733, 8.
The Story of the Ordination of our firſt Biſhops in Queen Eliſabeth's Reign at the Nag's-Head Tavern in Cheapſide, thoroughly examined, by *Thom. Browne*. Lond. 1731, 8.
An Eſſay on the origin of evil, by *Edmund Law*. Lond. 1732, 8.
En Eſſay upon Poetry and Painting, by *Charles Lamotte*. Lond. 1730, 12.
The Lives of the Roman Poets, by *L. Cruſius*. Voll. 2. Lond. 1733, 12.
Memoria Technica: or a nevv method of Artificial Memory, by *Rich. Grey*. Lond. 1732, 8.
Philoſophical Principles of Medicine, by *Thom. Morgan*. Lond. 1730, 8.
The Live of Mr. *Cleveland*, natural Son of Oliver Cromvvell, vvritten by himſelf. Voll. III. London, 1732, 12.
Free Parliaments: or an Argument on their Conſtitution. Lond. 1731, 8.
A nevv German Grammar, by *Bened. Beiler*. Lond. 1731, 8.
The Anatomy of the human bones, by *Alex. Monro*. Edinburgh, 1732, 8.
Demoſthenis ſelectæ Orationes, ex edit. *Rich. Mounteney*. Cantabrig. 1731. 8.
Medical Eſſays and Obſervations, reviſed and publiſhed by a Society in Edinburgh. Edinb. 1733, 8.
An Enquiry into the origin of honour, and the uſefulneſs of Chriſtianity in War. Lond. 1732, 8.
An Eſſay concerning the effects of air on human bodies, by *John Arbuthnot*. Lond. 1733, 8.
Alciphron: or the minute Philoſopher. Lond. 1732, 8.
An Eſſay concerning the nature of aliments, by *John Arbuthnot*. Lond. 1731, 8.

Tomi X Supplementorum ad *Acta* noſtra haud ita pridem *Sectiones IX & X* prodiere.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris Anno MDCCXXXIII.

SACROSANCTA CONCILIA AD REGIAM editionem exacta, quæ olim quarta parte prodiit auctior studio PHILIPPI LABBEI & GABR. COSSARTII, S. J. Presbyterorum, nunc vero integre insertis STEPH. BALUZII & JO. HARDUINI Additamentis, plurimis præterea undecunque conquisitis Monumentis, Notis insuper ac Observationibus, firmiori fundamento Conciliorum epochas fulcientibus longe locupletior & emendatior exhibetur, curante NICOLAO COLETI, Eccles. S. Moysis Venet. Sacerdote alumno.

Tomus X, XI, XII, XIII.

Tomus X ab Anno DCCCLVIII ad Annum DCCCLXXI,
Alph. 7 pl. 17.

Tomus XI ab Anno DCCCLXXII ad Annum MLIV,
Alph. 7 pl. 19.

Tomus XII ab Anno MLV ad Annum MCLIII,
Alph. 9 pl. 3.

Tomus XIII ab Anno MCLIII ad Annum MCCXLII,
Alph. 8 pl. 2.

Venetiis, apud Jo. Baptist. Abrizzi, Hieron. F. & Sebast. Coleti, 1730, fol.

Cum novissime in recensendo præstantissimi hujus amplissimique Operis Tomo IX substitimus, ad sequentes quatuor, X, XI, XII, XIII, uno omnes A. 1730 Venetiis exscriptos, & ad nos

perlatos, accedemus in præsenti, summatim illos eadem, qua priores, ratione expositurі, eaque inprimis exhibituri, quæ vel in prioribus editionibus non apparent, vel huic editioni ac-
Pag. 2 seq. cesserunt. *Tomo X* initium fit ab *Hincmari*, Archi-Episcopi Remensis, capitulis, variis annis ad Presbyteros Parochiæ suæ
70. datis, & ad A. 858 relatis, ex P. *Sirmondo*. Ad annum eundem referuntur Capitula, a Rev. *Walterio*, Rev. Pontifice, compresbyteris promulgata in Synodo apud Bullensem fundum secundo
74. ordinationis suæ anno VIII Cal. Junii celebrata, in quæ *Ludovici*
85. *Celotii* Observationes subjiciuntur. Ad hunc eundem A. 858 nova affertur P. *Antonii Pagi* Annotatio, qua depositio S. *Ignatii* non A. 858, sed 838, contigisse ostenditur. Ibidem legitur Synodus Constantinopolitana in Palatio ex libello Synodi-
87. co Græce & Latine, cui ex eodem libello additur proxime Synodus Constantinopolitana in Blachernis & in templo A-
90. postolorum, & Synodus Romana Nicolai, omnes Græce & Latine. Has excipit Concilium Suessionense, jussu *Ludovici*, Regis Transrhenani, indictum A. 858, ex *Labbeo*. Ibidem exhibetur Epistola Episcoporum, e Synodo apud Carisiacum missa ad *Ludovicum*, Regem Germaniæ, cum is ad occupandum *Caroli*, fratris sui, regnum seditiosorum impulsu venisset,
104 seq. *Jacob. Sirmondi*, S. J. uberioribus notis illustrata. A. 859
106 seq. assignatur primo loco Concilium Metense de indulgentia *Lu-*
111. *dovici*, Regis, in quod iterum accedunt notæ P. *Sirmondi* uberiores. Hoc quoque anno Concilium Lingonense, in Andemantunnio Lingonum circa Calendas Junias præsente *Carolo* Rege ab Episcopis celebratum, recensetur. Ad Conci-
132 seq. lium Tullense I uberiores hic afferuntur P. *Sirmondi* An-
135 seq. notationes. Ad eundem annum Synodus Sistericensis, in qua Privilegium Saxiacensis Monasterii confirmatur, ex *Mabillonio*
137 seq. affertur, pariterque ex P. *Pagi* Concilium Constantinopolitanum, in quo *Photius* ab *Ignatianis* damnatur. A. 860 re-
147 seq. fertur Concilium Confluentinum cum notis P. *Jac. Sirmon-*
187. *di*, in prioribus editionibus non obviis. A. 861 habetur Con-
190. ciliabulum Constantinopolitanum, œcumenicum falso nuncupatum, cui nova accedit P. *Ant. Pagi* Annotatio. Eodem anno

Conci-

Digitized by Google

Concilii Romani I, in causa *Joannis Ravennatis*, Episcopi, celebrati, Acta ex *Bacchinii Agnello Ravennate* huic editioni accesserunt, & Concilium Suessionense, in quo *Rothardus*, Pag. 195.
Episcopus Suessionensis, Episcopali privatus fuit communione, donec obediret, nec non Concilium Senonense, incerto 197.
loco habitum A. 862 de deponendo *Herimanno*, Episcopo Nivernensi, ex *Labbeo* profertur. A. 862 memoratur Contestatio Lotharii Regis, appellantis Episcopos de conjugio sibi 202 seq.
concedendo, ex Codice Palatino Bibl. Vaticanæ ab *Holstenio* descripta, & ex eodem MSC. sententia Episcoporum, Aquis- 203 seq.
grani coactorum, qua *Lothario* Regi permissum est, ut, abjecta *Theutberga* uxore, aliam, ea adhuc vivente, duceret, una 206 seq.
cum collectione variorum locorum ex Sacra Scriptura, Conciliis, Opusculisque Patrum, a duobus Episcopis facta in Conciliabulo Aquisgranensi ad solutionem quæstionis: Si liceat homini, uxore dimissa, aliam, ducere, adhuc illa vivente, A. eo- 221.
dem Concilia duo Suessionensia, præsente *Carolo Calvo*, Rege, 223 seq.
A. 862 habita, ex *Labbeo*, nec non Concilium Schirachavanense, in Schirachavan, Armeniæ majoris urbe, præsente *Asciut Pacratide*, Armenorum Principe, A. 1682 celebratum, ex *Galano*, 225.
cujus accedit Observatio, repetuntur. Concilio, in loco, qui dicitur *Pistis*, ad Sequanam fluvium, tempore *Nicolai* I, Papæ, A. 863 vel 862 celebrato, adduntur non solum ex *Mabillonio* 252.
subscriptiones ex Privilegio *Dionysiano*, sed etiam Privilegii in 255.
gratiam Monachorum Anisolentium confirmatio ex Thesauro Anecdotorum. A. 864 affertur Pistensis Synodus II, seu 265.
Edictum Pistense ex P. *Guilielmo Bessin*, cujus etiam subjuncta 267.
est Observatio. Ad A. 867 rejectum est Privilegium Mona- 369.
sterii Artebatensis, concessum in Concilio Vermeriensi, ex Archivo Monasterii S. Vedasti Arebatensis. Eodem Anno re- 385.
fertur Conciliabulum Constantinopolitanum *Photii*, quo damnatur *Nicolaus*, Pontifex, ex P. *Pagi*, & illud, in quo *Photius* deponitur, & *Ignatius* suæ sedi restituitur. A. 870 Synodus œ- 387.
cumenica octava ex Synodico non Latine solum, sed & Græ- 1013.
ce & Latine, ex MSC. *Allatii* & Florentinis, ab *Emerico Bigotis* collatis, exhibetur. A. 869 exhibentur *Caroli* Regis Ca- 1043.

 pitu-

pitula ex *Baluzio*, & Synodus Kiennensis, sub *Adone* Præsule
A. 870 habita, ex *Mabillonio*.
Pag. 239. *Tomo XI* A. 873 Conventus sistitur Francofordiensis, a *Lu-*
dovico, Germaniæ Rege, celebratus, ibidemque ad eundem an-
num refertur Concilium Ovetense in Hispania, ex *Sampiri*, A-
243. staricensis Episcopi, Historia, quod excipiunt Acta ipsius, ex MSC.
246. Ecclesiæ Toletanæ & Ovetensis primum edita a *Cardinale de*
249. *Aguirre*, & P. *Ant. Pagi* Annotatio. Eodem anno Con-
cilium Coloniense, sive monumentum Synodi magnæ,
ex libello de suffraganeis Coloniensibus traditur. A. 874 Con-
271. cilium Ravennense, in quo a *Joanne* VIII Pontifice controver-
sia Gradensis Patriarchæ & Ducis Venetiarum definita est, appa-
ret. Quod eadem pagina excipiunt Synodus Rhemensis, A.
874 celebrata, quæ jam *Tom. X p. 19 seq.* inter *Hincmari* Ca-
pitula affuerat, & Conventus Cabilonensis, A. 875 institutus, ex
P. *Petri Franc. Chiffletii* Historia Monasterii Tornutiensis. A.
278. 876 legitur Concilium Romanum, a *Joanne* VIII Papa in *For-*
mosum, Portuensem Episcopum, *Gregorium Nomenclatorem*,
287. aliosque A. 876 mense Aprili celebratum. Eodem anno
Concilio Pontigonensi adjiciuntur ex *Baluzio* subscriptiones
295. Episcoporum. A. 877 ex P. *Pagi* duplex repetitur Conven-
300. tus, Compendiensis & Carisiacensis, & P. *Pagi* Annotatio af-
327. fertur. A. 879 Concilium Romanum a *Joanne* VIII Papa
337 seq. mense Novembri celebratum sistitur. Eodem refertur Pseu-
do-Synodus *Photiana* Græce & Latine ex MSC. Græco
507. Bibliothecæ *Vaticanæ*. A. 880 Concilium Romanum V, a
Joanne VIII Papa 5 Idus Novembris celebratum, habetur, &
527. A. 881 Concilium Romanum VII, *Joannis* VIII, in quo *Ro-*
manus, Ravennas Archi Episcopus communione privatus fuit.
533. A. 885 Concilium incerti loci in Italia ab *Hadriano* III, Pon-
tifice, agitatum, & A. 886 Concilium ibidem incerti loci, sed
in Italia hoc anno celebratum, ex Thesauro Anecdotorum P.
Martene profertur, ex quo similiter Concilium Cabilonense
575. apud *S. Marcellum* A. 887 congregatum, huc est transpositum,
578. æque ac Synodus Turonensis, ob translationem corporis *S.*
590. *Martini* A. 887 congregata, ex P. *Pagi* refertur. A. 888
Conci-

Digitized by Google

Concilio Moguntiacensi subjungitur PP. *Martene & Durand* Observatio, ex Praefatione Collectionis veterum Scriptorum *Tomi I* excerpta. A. 889 Ticinensis Synodus pro electione Pag. 603.
seu confirmatione *Widonis* in Regem Italiae ex *Rerum Italicarum Scriptorum Tomo II* huc translata est. Synodus ab *Eduardo* Seniore, Rege Anglorum, congregata sit quo anno, incertum est, nec hac de re inter eruditos convenit. Quam in rem 617 seq.
hic comparet Observatio P. *Antonii Pagi*, cui certum est Concilium hoc A. 904 congregatum esse, contra *Wartonum* inprimis disputantis. A. 900 Concilium Compostellanum asseri- 671.
tur, cui tamen annectitur P. *Pagi* Observatio, qua hic ostendit, hoc Concilium congregatum fuisse A. 971. Eodem Anno 695.
memoratur Synodus Romana, in qua *Agrinus*, Lingonensis Episcopus, suae sedi restituitur, & A. 902 traditur Concilium Narbonense in villa Atiliana celebratum, quod libertatem B. *Ma-* 697.
riae de quadraginta ab Ecclesia de Crucio asserit, ex *Martenii* Thesauro Anecdotorum. A 899 Synodum Saliburgensem, in 711.
qua *Wichingus* e throno Pataviensi deturbatus est, recenset ex *Hansizii Germania Sacra*. A. 912 Concilium Turonen- 777.
se de celebrando festo translationis *S. Martini* exhibetur, quemadmodum illud descripsit *Odo*, Cluniacensis Abbas, in libello *de reversione B. Martini a Burgundia*. A. 915 habetur Con- 789.
cilium Cabilonense in Ecclesia *S. Marcelli* Martyris in suburbio, traductum huc ex *Severtii* Chronolog. A. 936 quod 823.
celebratum fuit, Concilium Rhemense hic ex *Hist Liter. in Secul. obscur.* exponitur. A. 950 inseritur Concilium incerti 861.
loci & temporis, in Normannia celebratum, Notis illustratum ex *Bessino*. Concilio Ravennensi, A. 967 habito, subjicitur Ob- 915 seq.
servatio P. *Pagi*, qui duo Concilia Ravennensia bene distinguenda esse docet. A. 969 exponitur ex *Ughelli Ital. Sacr.* 941.
Concilium Mediolanense, in quo Albensis Ecclesia Astensi unitur. A. 994 Concilium Ansanum celebratum, quod Canoni- 1003.
cos in Ecclesia Romanensi instituit seu restituit, ex Chartario Romanensi accessit. A. 1000 asseritur Concilium Compen- 1041.
diense, & Concilium Polonicum, ab *Ottone III*, Imperatore, ob erectionem Guesnensis Metropolis coactum, quibus jun-

guntur varia Concilia Germanica, circa hæc tempora habita super controversia inter *Willigisum*, Archi-Episcopum Moguntí, & *S. Bernwardum*, Episcopum Hildesheimensem, de Cœnobio Gandersheimensi, & super causa *Giscleri*, Archi-Episcopi Magdeburgensis, duplicem sedem occupantis. A.
Pag. 1197. 1029 exhibetur Concilium, in *Palithi* habitum, ex Hildeshei-
1463. mensi Chronico. A. 1054 Concilium Narbonense, in quo treuga & pax confirmata est, refertur, quemadmodum illud ex Archivo Archi-Episcopi Narbonensis edidit *Steph. Baluzius*
1473. *de Concordia Sacerdotum & Imperii*. In Appendice extant præter alia Acta Concilii Ticinensis, A. 876 pro electione *Caroli Calvi* in Regem Italiæ habiti, auctiora ex MSC. Codice *Ambrosianæ* Bibliothecæ una cum Animadversionibus *Josephi*
1491. *Antonii Saxii*. Tomum vero hunc XI claudit Epistola sanctæ magnæ & œcumenicæ *Nicænæ* Synodi ad sanctissimam Alexandrinorum Ecclesiam Græce & Latine ex *Montfauconii Bibliotheca Coislin.*

5 seq. *Tomo XII* A. 1055 Concilium Lexoviense, a Legato sedis Apostolicæ coactum, in quo *Malgerius*, Rotomagensis Antistes, a Comprovincialibus Episcopis, annuente *Gulielmo Notho*, Normannorum Duce, ab Episcopali munere arcetur, ex *Guil.*
9. *Bessini Concil. Rotomag.* repræsentatur. A. 1056 ex *Martene Anecdot.* Concilium Cabilonense, ab *Hildebrando*, sedis Apostolicæ Legato, agitatum, quod Canonicis Romanensibus Eccle-
57. siam de Spinosa confirmat, repetitur. A. 1060 refertur Concilium Turonense, in quo multa de disciplina Ecclesiastica a *Stephano*, Cardinale Legato Apostolico, & decem Episcopis
61. constituta sunt, jam a *Luca Dacherio* editum. Anno eodem exhibetur Concilium Jaccetanum, in quo abrogatus ritus precandi Gothicus, Romanus introductus, & translata Jaccam Episcopalis sedes, quæ Oscæ prius fuerat, quemadmodum ex-
113. tat in *Hieronymi Suritæ Indicibus rerum Aragon.* A. 1062 Synodus legitur Romana, in qua contra *Gulielmum*, Senogalliensem Episcopum, sententia lata est pro *Benedicto*, Episco-
165. po Semproniensi, ex *Ughello*. A. 1068 ex *Tomo II Spicilegii Dacheriani* memoratur Concilium Ausense, præside *Hugo-*

goni

ne Candido, Cardinale Legato Apoſtolico, habitum, in quo decretum, ut omnes Eccleſiæ Vaſconiæ quartam decimarum partem cathedralibus Eccleſiis perſolverent, exceptis Eccleſiis Sancti *Orientii*. Eodem anno Concilium Toloſanum de Pag. 167.
reſtaurando Epiſcopatu Lectorenſi ab *Hugone Candido*, Cardinale, ſedis Apoſtolicæ Apoſtolo, emendatius ex MSS. exemplaribus editur, quam ediderat *Catellus* ex Tabulario *S. Stephani Toloſatis*. A. 1072 habetur Concilium Rotomagenſe, 207 ſeq.
in Baſilica S. Mariæ Rotomagi ab *Joanne*, Archi-Epiſcopo, cum ſuis ſuffraganeis, *Wilhelmo*, Anglorum Rege, Normanniam gubernante, celebratum, Notis & Obſervationibus D. *Angeli Godin* illuſtratum. A. 1074 ex Codice MS. *S. Mariæ de* 214 ſeq. 543.
Fonteneto refertur Concilium Rotomagenſe, ab eodem Archi-Epiſcopo eodemque loco habitum. A. 1076 & 1077 interjicitur Concilium generale, ſub *Lanfranco* habitum de matronis & virginibus, quæ ad monaſteria virginum confugere, ad caſtitatem ſuam contra Normannorum inſanam libidinem privilegio veluti tuendam, an ad ſeculum redeant & fiant conjuges, ex *Eadmeri Hiſtoria novorum*. A. 1082 aſſertur Concilium Meldenſe II, præſide *Hugone*, Dienſi Epiſcopo, Apoſtolicæ ſedis Legato, celebratum, ex *Spicilegio Dacheriano*. A. 1088 ex P. *Pagi* Concilium Fuſſelenſe, & A. 1089 Concilium Turritanum, in Sardinia adverſus Torquitorem, ejus Inſulæ regulum, celebratum, ex *Martene Anecd.* exhibetur. A. 1091 ſiſtitur Concilium Legionenſe præſide *Renenio*, S. R. E. Cardinale, & per Hiſpanias Legato, una cum *Bernardo Toletano*, primate, cum Obſervatione *Pagi*. A. 1094 ex Tabulis MSS. majoris Monaſterii prope Turones traditur Concilium Brivatenſe, præſide *Hugone*, Archi-Epiſcopo Lugdunenſi, & Romanæ ſedis vicario, aſſidentibus ei Auxitano & Narbonenſi Archi-Epiſcopis, cum multis diverſarum provinciarum Epiſcopis & Abbatibus, & circa idem tempus habitum Colloquium Dolenſe. A. 1095 Concilium Lemovicenſe, cui præfuit *Urbanus* II, Papa, quemadmodum illud ex Tabulario Lemovicenſi edidit *Joannes Beslyus* in *Hiſtoria Comitum Pictavorum & Ducum Aquitanorum*, exponitur. A. 1099 Conventus

585. 673. 675. 793. 819. 820. 925. 1061.

tus Episcoporum apud Giffonam pro dedicatione Ecclesiæ Giffonensis ex Card. *de Aguirre Concil. Hispan. & Append. ad*
Pag. 1127. *Marcam Hispan.* in medium producitur. A. 1106 Concilium Guastallense in Longobardia, de schismaticis Episcopis & Clericis in unionem Ecclesiæ assumendis, deque aliis Ecclesiasticæ disciplinæ capitibus, celebratum, a Paschali II Papa ex *Cencii Camerarii* MSC. Codice *Vaticano* refertur, una cum fragmento hujus Concilii, ex *Martene Anecd.* arcessito. A.
1128. 1118 celebratum est Concilium Tolosanum de sacra in Hispa-
1249. niam expeditione adversus Saracenos, quod ex *Chronico Malleacensi* exhibetur, quemadmodum ibidem ex *Orderici Vitalis Historia Ecclesiastica* Concilium Rotomagense, Non. Octobr.
1475. A. 1118 actum, profertur. Ad A. 1133 refertur Epistola *Lotharii*, Imperatoris, in qua *Innocentium II* Romam deduxisse, & *Petrum Leonis* ejusque gregarios damnatos fuisse scribit, ex
1517. *Dacherii Spicileg.* A. 1140 habetur Concilium Constantinopolitanum, hoc ipso anno mense Majo in dextris Catechumeniis *S. Alexii*, præsidente *Leone Styppiota*, Patriarcha, celebratum, quo *Constantini Chrysomali*, olim defuncti, scripta non modo nugarum & ineptiarum, sed hæresis & ineptiarum, plena, in judicium vocata, examinata, proscripta & damnata sunt, ex *Allatio de Consens. Orient. & Occid.* Græce & Latine, ex
1641. quo etiam repetitum est Concilium Constantinopolitanum, in Palatio Blachernarum in causa Cosmæ Patriarchæ A. 1147 d. 4 Februar. celebratum.

49. *Tomo XIII* A. 1156 ex *Allatio* in *Vindiciis Synodi Ephesinæ* sufficitur Concilium Constantinopolitanum adversus *Sotericbum*, Antiochiæ Syriæ electum Episcopum, & quosdam alios, asserentes divinum Sacrificium soli Patri & Spiritui San-
51. cto, non etiam Verbo, offerri. A. 1157 duplex affertur ex *Appendice ad Marcam Hisp.* Conventus Episcoporum, quorum alter apud castrum Morel in Aragonia pro confirmatione Privilegiorum monasterii *S. Ruffi* Valentiensis Provinciæ Viennensis in Gallia est celebratus, alter vero Arulensis pro de-
61. dicatione ejusdem Ecclesiæ. A. 1162 ex P. *Pagi* commemo-
293. ratur Conventus ad Saonam, a *Friderico*, Imperatore, contra *Alexan-*

Digitized by Google

Alexandrum III indictus, & hoc ipso anno habitus. A. 1163 Pag. 307.
canones Concilii Turonensis, sub *Alexandro* III, Papa, cele-
brati, in editis prætermissi, adduntur ex *Martenii Thesauro*
Anecd. A. 1164 ex *Pagi* tum Concilium Remense pro au- 325.
xilio terræ sanctæ ferendo, tum Conventus Gallicanus, ut pu-
ritati Theologiæ prospiceretur, ab *Alexandro III* coactus, re-
petitur. A. 1168 ex *Allatio* traditur Conciliabulum Constan- 343.
tinopolitanum, præside *Michaele Anchiali*, Patriarcha, cele-
bratum, in quo se Græci penitus ab Apostolica sede segrega-
runt. A. 1177 ex *Galano* refertur divinum, sanctum, ac uni- 401 seq.
versale Concilium Tarsense, propter Ecclesiæ concordiam ce-
lebratum jussu Angelici Armeniorum Patriachæ, *Gregorii*, ne-
potis *S. Niersetis*, atque in Christo coronati Regis Armeniæ,
Leonis. A. 1180 ex *Aguirre* Concilium Tarraconense, præsi- 639.
de *Berengario* ejus sedis Archi-Episcopo, & A. 1182 ex *Bessi-* 645.
no Concilium Cadomense, in Abbatia *S. Stephani* habitum,
sufficitur. A. 1186 ex *Pagi* non solum Concilium Mosomi- 659.
ense, a *Folmaro*, Archi-Episcopo Trevirensi, & Apostolico Le-
gato, celebratum, verum etiam Concilium Hibernicum, affer-
tur. A. 1197 Conventus Episcoporum apud Gerundam actus, 725.
in quo *Petrus*, Aragonum Rex, Constitutionem edidit adver-
sus hæreticos, legitur. A. 1199 Concilio Divionensi ex *Mar-* 750.
tenio additur forma interdicti *Petri Capuani*, Romanæ Eccle-
siæ Cardinalis, & Apostolicæ sedis Legati. A. 1204 & 1206 781.
interferitur Concilium Antiochenum, a *Petro*, Cardinali, tituli
S. Marcelli habitum. A. 1209 Concilium Parisiense adversus 805.
Almarici hæresin & sectatores, & libros quosdam *Aristotelis*
atque aliorum, profertur. Eodem anno memorantur Statuta 809 seq.
Theoderici, Episcopi Ultrajectini. A. 1212 ex *Cossartio* Con- 817.
cilium Arlatense, a *Theodosio*, S. A. L. celebratum repetitur,
in quo *Raymundo*, Comiti Tolosano, conditiones oblatæ, qui-
bus reconciliaretur cum Ecclesia, & ab eo rejectæ. A. 1219 1065.
Concilium Salisburgense, ab *Eberhardo*, Archi-Episcopo, coa-
ctum, ex *Hansizio* narratur, ibidemque inter hunc & 1222 an-
num collocatur Synodus Polonica, ab *Henrico*, Archi-Episco-
po Gesnensi, celebrata. A. 1229 Concilio Turiasonensi in A- 1247.

Digitized by Google

ragonia de dissolvendo *Jacobi*, Regis, & *Eleonoræ* matrimonio habito adjiciuntur ex *Aguirre* Acta ejusdem Concilii, ex quo etiam Autore, quod hunc Tomum claudit, arcessitum est Concilium Tarraconense, præside *Petro Albalatio*, Archi-Episcopo, celebratum.

Pag. 1249.

1471.

ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΛΟΓΓΙΝΟΥ ΠΕΡΙ ΥΨΟΥΣ ΒΙΒΛΙΟΝ.

h. e.

DIONYSII LONGINI DE SUBLIMITATE LIbellus, cum Præfatione de Vita & Scriptis LONGINI, Notis, Indicibus & variis Lectionibus. Editio Tertia.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, 1730, 8 maj.

Plag. 14.

Tertiam hujus libelli editionem cur demum *Actis* nostris inserere ac recensere instituamus, causa alia est nulla, nisi quia priorum, incertum, quo casu, in iisdem nullam omnino factam esse mentionem, observavimus, quæ imaginem quandam breviter expressam *Longini*, hoc modo editi, contineret. Nec ingratam nunc demum operam nos Lectoribus præstituros esse speramus, quin plane confidimus, tanto acceptiorem tertium repetitæ editionis recensionem fore, quanto hæc prioribus duabus est præstantior. Debet illam, æque ac priores, orbis eruditus Viro de literis Græcis immortaliter merito, *Joanni Hudsono*, cujus nomen etsi non sit in ipso titulo expressum, Dedicationi tamen, quæ *Joanni Boivino* & *Henr. Leonh. Schurzfleischio* consecrata est, subjectum esse animadvertimus. Causam Cl. *Hudsono Longinum* edendi dedit *Tolliana* ejusdem Autoris editio. Nam, cum integris aliorum, & inprimis *Tollii*, Animadversionibus, sane amplissimis, in molem immensam parvulum libellum excrevisse intelligeret, & pubem ingenuam libri, forte & pretii, magnitudine a legendo absterreri cerneret, hac in parte rationibus studiosorum consulturus, animum induxit *Longinum* in formam minorem redigere, ita tamen, ut nihil bonæ frugis resecaret, sed luxurian-

tem

tem duntaxat Observationum silvam coerceret. Ac, ne quid Cl. *Hudsonus* neglexisse in poliendo *Longino* videretur, eo omnem operam curamque contulit, ut textum *Longini* non solum mendis typographicis, quibus cum aliæ, tum *Tolliana* inprimis, fœdatæ erant editiones, & interpunctionibus perversis liberaret, verum & integritati & nitori suo, quoad ejus fieri posset, restitueret. Quamobrem non satis habuit, impressa omnia notæ alicujus exemplaria in subsidium vocare, sed Codicem quoque MSC. ex Bibliotheca *Joannis Mori*, Episcopi Eliensis, adhibuit. Quo factum est, ut a *Tollio* in exprimendis *Longini* verbis minime raro discederet, & *p. 6 Fabrum* & *Schurzfleischium* secutus, exscribendum curaret προσορίσαι, *Tollio* πορίσαι exhibente, & pro ἐπικινδυνότερα αὖ τὰ ἐφ' ἑαυτῶν, quod edidit *Tollius*, reponeret ἐπικινδυνότερα αὐτὰ ἐφ' ἑαυτῶν, iisdem autoribus. *P. 22* ex conjectura *Fabri* verbis ἐμπαθὲς ἐς τὰ ὕψη inseruit τὸ ἐς, quod antea exciderat. *Pag. 31* pro ὃ τὸ ἀγχίστροφον, cum *Manutio*, a *Schurzfleischio* comprobato, edidit ὐδὲ τὸ ἀγχίστροφον. *Pag. 72* pro ἔχεται ἡμῖν τὰ πράγματα, quod *Tollius* perperam ediderat, cum *Manutio* & *Herodoti* libris legit ἔχεται ὑμῖν τὰ πράγματα. *Pag. 100* pro ἀεὶ ex MSC. *Ambrosii* rescripsit αἰεὶ. *Pag. 108 Tollianæ* lectioni εἴπερ καθαρὸν in textu prætulit ἐπεὶ καθαρὸν exprimendum. Neque in Græcis solum verbis & lectione *Longini* ipsa *Tollium* in adductis & aliis compluribus locis relinquit Cl. *Hudsonus*, sed in distinguendi etiam ratione sibi idem licere existimavit. Ita *p. 61* verba καὶ δὲ ἀσφαλείας ἄγει καὶ ὀνόματα, διδάσκων interpungit, *Tollio* e contrario post verbum ἄγει & ante καὶ ὀνόματα punctum ponente, & hæc ultima cum διδάσκων conjungente. Ita *p. 72* duos versus parenthesi includendos curavit, a prioribus aliter distinctos. Quod si vero in Græco textu a *Tollio* recedendum sibi duxit Doctiss. *Hudsonus*, idem sibi in Latina interpretatione hoc magis concedendum putavit, quo liberiore ille interpretationis genere est usus. Itaque, quam adornavit Cl. *Tollius*, expositionem Latinam hic non solum correctam & emaculatam, sed & justo latius excurrentem, verbis otiosis

 ampu-

amputatis, ad Græca revocatam habemus. Cui rei ut exemplis multis fidem faciamus, supervacaneum existimamus, quia id singulis licet paginis unicuique observare. Latinæ, quæ Græca verba excipit, interpretationi in unaquaque pagina subjiciuntur Annotationes, non quidem integræ, quemadmodum id factum est in editione, a *Tollio* procurata, sed tantum selectæ quæque virorum celeberrimorum, *Gabrielis de Petra*, *Bernh. Martini*, *Gerb. Langbainii*, *Tan. Fabri*, *Dacerii*, aliorum, *Tollio* jam adductorum. Atque his tandem accedunt in eundem *Longinum* Animadversiones *Joannis Boivini* & *Conr. Sam. Schurzfleischii*, Virorum doctissimorum, quibus suas interdum Observationes interspergere non dubitavit Cl. Editor. Quæ tametsi sunt pro instituti ratione maximam partem brevissimæ, continent tamen Cl. Autoris conjecturas de *Longino* non plane contemnendas. Sic *p. 18* pro ἔχοντα, quod in vulgaribus extat, & hic etiam expressum est, rectius suspicatur esse ἔχοι ἄν, licet MSC. *Ambr.* habeat ἔχοι δή. *Pag. 60* pro οἱς κυφιζομένυς, quod est in textu, omnino legendum censet κυφιζομένοις, ut cum verbo sequenti παρίςαθαι jungatur. *Pag. 116* pro μετ' ἐλευθερίας καὶ πάθυς magis placet Nostro μεγαληγορίας καὶ ὕψυς, propterea quod *Longinus* semper fere ὕψος καὶ πάθος conjungit. Ipsi *Longino* de *sublimitate* quemadmodum præmittitur Præfatio de Vita & Scriptis *Longini*, ejusque de sublimitate variis editionibus, sic subjicitur fragmentum libelli περὶ μέτρων, cum Latina interpretatione & Annotationibus a Cl. *Boivino*, una cum duobus fragmentis aliis, evulgatum. Accedunt denique tres Indices, quorum primus est rerum notatu digniorum, alter vocum Græcarum & phrasium memorabilium, cui etiam insertæ sunt Annotationes paulo longiores, quæ ad imam cujusque paginæ partem commode subjici non potuerunt, tertius denique Autorum, quorum *Longinus* in libello de sublimitate facit mentionem.

JO. PETRI DE LUDEWIG, JCTI, ET FRIDERICIANÆ Cancellarii, Reliquiæ Manuscriptorum omnis

Digitized by Google

mnis ævi Diplomatum ac Monumentorum, ineditorum adhuc.

Tomus X.

Halæ Salicæ, impensis Orphanotrophei, 1733, 4.
Alph. 2 pl. 16.

Persequitur nobile atque præclarum institutum suum Ill. *Ludewigius*, & Tomum decimum Reliquiarum in dias luminis auras exire jubet. Sacrum hunc esse voluit Ill. *Samueli* L. B. *de Cocceji*, Borussorum Regis Purpurato, indulgentissimo literatorum hominum Mæcenati. Singularem methodum, uti alias solenne ipsi erat, hic quoque tenet Ill. Autor, & Mæcenatis, in cujus tutelam curamque sese commendat, vitam resque gestas ornate atque ex vero describit. Meretur Ill. *Coccejus*, in cujus fortunæ partem Musæ elegantiores veniunt, ut vitam vivi spirantisque inseramus *Actis* nostris, ut alii in togatum hunc Heroem intuentes, habeant, quod imitentur. Heidelbergæ vitam agebat *Henricus Coccejus*, cum A. 1679 tam insignis spei filium susciperet. Uti docile atque acre nactus erat ingenium; ita exemplo, monitis, & præceptis parentis feliciter adolescebat, & vividam excitatioremque indolem circumferebat per universum scientiarum ambitum. Vicesimo ætatis anno JCti nomen dignitatemque a JCtis Viadrinis reportavit. Post per cultiorem Europam iter suscepit, & in Italia in *Magliabecchii*, in Gallia in *Mabillonii* & *Ezechielis Spanhemii*, in Belgio in *Grævii*, *Gronovii*, *Franzkii*, *Perizonii*, & in Anglia in sacrorum Antistitum amicitiam familiaritatemque mirifica morum suavitate & præstabili doctrina sese insinuavit. Triennio exacto, Viadrinam repetiit, atque ex JCtorum cathedra, Augustalibus codicillis confirmatus, sacratam Themidi juventutem erudivit. A. 1704 Borussorum Rex Senatoriam, & sexennio post Consularem dignitatem, aut usitatiori loquendi more, Directoris munus in Halberstadiensis Principatus curia ipsi demandavit. A. 1711 inter Allegatos Imperii Ordinum Primarius Wezlariensis Judicii

dicii corruptelas penitus sustulit, atque, ne novæ orirerentur turbæ facile, solicite atque prudenter cavit. Neque sine præmio fuit indefessa atque bene navata *Cocceji* opera. Locum enim A. 1713 in Senatu causarum secretioris generis & ultimæ provocationis impetravit, & non ita multo post in illustre rerum militarium atque ærarii Concilium allectus fuit. A. 1723 gravissimo Præsidis rei judiciariæ in Brandenburgico Ducatu admotus fuit muneri, in quo singulare exquisitæ doctrinæ suæ specimen edidit, & Borussici Juris Corpus emendavit, & in meliorem formam ordinemque redegit. A. 1727 in sanctiorem Senatum cooptavit eundem sagax ille ingeniorum censor, Borussorum Rex, & A. 1730 supremam Sacrorum & Academiarum curam, atque anno post Præsidium ultimæ provocationis & fiduciarii juris ipsi commisit. Scripsit Ill. *Coccejus* 1) *de Principio Juris Naturæ unico vero & adæquato*; 2) *Resolutiones dubiorum, circa principium Juris Naturalis motorum ab adversa parte*; 3) *Jus Controversum Civile Pandectarum ad Ordinem Lauterbachii.* In speratis numeramus 1) *Einleitung zum natürlichen Rechte und vernünftiger Religion*; 2) *Commentarium ad* Grotii *libros de Jure Belli & Pacis.* Excipit magnificam Dedicationem Præfatio, in qua contra artem mortis præsagam, contra Consultores ad librariam suppellectilem suam venum exponendam prolixe atque vehementer disputat. Videamus nunc, quidnam boni contineat hæc Sylloge. *Primum* in ea locum constituit *Hamelense Chronicon*, cum Diplomatibus, ab A. 712 ad A. 1436. Absolvitur Chronicon Historia sacri Collegii & urbis. Autor ipsius fuit *Joannes de Polde*, Canonicus Hamelensis. In primis originibus recensendis Legenda, hoc est, narrationes usu Ecclesiæ probatas sequitur; in junioris vero ævi rebus Diplomata passim collaudat per epitomen. Quapropter alius maturo consilio addidit Diplomata descripta verbatim. Primus, sed mendose admodum, Chronicon hoc in lucem conspectumque omnium protulit *Meibomius*. Sed omisit Diplomata, quorum partem attulit *Leibnitius*. Utrique nævo medelam adhibuit Ill. *Ludewigius*, cujus Codex ceteros & mole

&

Digitized by Google

& augmentis superat. Adjecit præterea Diplomata Miscella, quæ res Saxonicas Brunsuicensesque ab A. 1200 mirifice illustrant. Succedunt iterum II *Diplomata Miscella*, a quibus Misniæ, Thuringiæ, Westphaliæ, Sueviæque res ab A. 1100 plurimam clarissimamque lucem accipiunt. Excipit hæc III *Autor Anonymus de Formula Silesiæ*, quam habuit mutavitque subinde spatio Seculi XVII unius ab A. 1600 ad A. 1700. *Capite primo* de cura sacrorum agit, in qua *Anonymus* ille trium religionum, Lutheranæ, Reformatæ & Pontificiæ, simultates, quas invicem exercuerunt, fuse describit. *Caput secundum* de supremis Ducibus Silesiæ, de Principatibus Silesiæ hæreditariis, & de Dynastiis haud proletariam notitiam suppeditat. Dilaudat Ill. *Ludewigius* industriam Autoris in recensendis Silesiæ rebus; sed in judiciis ejus accuratiorem Jurisprudentiam desiderat, propterea quod neget Brandenburgicis Jus aliquod in Silesiam, quod tamen olim satis manifestum fuerit. Sed hic quoque, quemadmodum amplum partium studii *Ludewigiani* testimonium tota hæc Præfatio exhibet, Professoris Halensis nomen eum agit in transversum, ut nequeat cohibere atram bilem adversus eos, qui aliter sentiunt, ac ipse, de prætensionibus Brandenburgicæ Domus. *Quartum* locum occupant *Bebenhusani Annales* ab A. 1167 ad A. 1401. Est in libraria supellectile *Ludewigiana* Historia Wurtenbergica, quæ duo Volumina non parvæ molis conficit. Et, quamvis ignoret Autoris nomen *Ludewigius*, nihilominus summum illi pretium statuit; quod non tam occupetur in narratiunculis, quam in conquirendis varii generis monumentis, quæ tangunt Wurtenbergica. In his reperit Annales hos *Bebenhusanos*, inde descriptos bona fide. Post hos V occurrunt tres Scriptores rerum Italicarum, 1) *Descriptio Italiæ, interprete Jo. Molinaro*; 2) *Acacii Hulsii Paben, J. U. D. Hodœporicum Romanum & Neapolitanum*; 3) *Diplomata in gratiam Familiæ Siculæ de Aceto.* Sequuntur VI *Petri Albini Carinthiaca*, quæ manu descripta *Georgii Fabricii*, præstantissimi Historici Saxonici, ad Ill. *Ludewigium* pervenerunt. Opusculum, Nostri judicio, refertum est plurimis rerum vetustioris

ris

ris ævi conjecturis, ut noluerit illud perire; quamvis, domesticos Carinthiæ & viciniæ ejus Scriptores majori apparatu & brachio fortiori tractasse hoc argumentum, ultro atque ingenue largiatur. Claudit VII Volumen hoc *Liber Diplomatarius miscellus*, in quo invenies multa singularia Juris publici & Historiam *Novi Operis* Magdeburgici Cœnobii & opibus & celebritate olim florentissimi, continuatam ab A. 1400, ubi substiterat Noster Reliquiarum *Tomo quinto*. Duplicem Appendicem adjecit Ill. *Ludewigius*. In *priori* sententiam suam de originibus Juris Saxonici antiquioribus *Caroli M.* temporibus contra nuperum Speculi Saxonici Editorem, Consultiss. *Gartnerum* nostrum, modeste defendit. In *altera* satis clare atque perspicue ostendit, quam turpiter illi cœcutiant, qui, Historiam a JCto secure ignorari posse, nimis temere atque insulse statuunt.

ABRAHAMI WIELING, JCTI ET ANTECESSOris, Repetitio Institutionum Juris Civilis. Accedunt JUSTINIANI CONST. Omnem ad Antecessores, variis Lectionibus illustrata, EMUNDI MERILLII Oratio de tempore in studiis Juris prorogando, & JO. GOTTLIEB HEINECCII Oratio Viadrina de JCtis semidoctis.

Franequeræ, apud Wibium Bleck, Bibliopolam, 1733, 8.
Alph. 1 pl. 6.

In Præfatione, huic Opusculo præmissa, Cl. Autor monet, solis legum novitiis opellam istam destinari, decrevisse se lectores hujus Opusculi sine ambagibus in rem præsentem intromittere, ac Auditorum suorum commodis unice studere, in eorumque gratiam *Justiniani* Constitutionem notulis nonnullis illustratam adjecisse, & Orationi *Merillii* nonnihil e scriptis *Bynckershœkii*, aliorumque virorum principum, adspersisse. Incedit Cl Autor ea via, ut singulos Institutionum *Justinianearum* Titulos Quæstionibus & Responsionibus illustret, nec sua defraudandum laude nobis videtur præsens Opusculum; quippe pleraque plana,

Digitized by Google

plana, perſpicua, ſuccincta, ex Antiquitatum fontibus quandoque eruta, præſtantiſſimis celeberrimorum Autorum nonnunquam teſtimoniis confirmata, & ita comparata videntur, ut legum novitiis inſigne commodum afferant. Haud abs re eſſe ducimus, ſpecimen aliquot tractationis, qua uſus eſt Cl. Autor, ſiſtere. Sic *Libro III Tit. 25* tradit, omnium obligationum cauſam proximam ex facto obligatorio eſſe petendam, unde alteri jus naſci leges voluerint. Factum vero iſtud duplex eſſe, aliud licitum, aliud illicitum. Factum licitum eſſe, quod legibus non adverſum, libera voluntate perficiatur, & conventio vel pactio appelletur; conventionem vero eſſe mutuum duorum pluriumque in idem placitum conſenſum, diverſam a pollicitatione. Pollicitationem enim dicendam promiſſionem, ſolius offerentis voluntate conſtantem, adeoque inutilem, niſi vel Deo factam, vel Reipublicæ. Conventionem diſtinguendam eſſe in duas potiſſimum ſpecies, quarum una pactum, altera contractus nuncupetur. Pactum eſſe conventionem de aliquo dando vel faciendo, deſtitutam & certo nomine & certa cauſa, alterum pactum eſſe nudum, alterum non nudum, vulgo veſtitum. Pactum nudum vocari, quod nudo utriusque conſenſu ineatur, & obligationem duntaxat naturalem pariat; non nudum vero, quod vel a lege, vel a Prætore vim civiliter obligandi acceperit; inde aliud legitimum, aliud prætorium dici. Contractum vero eſſe conventionem, habentem vel certum nomen, vel certam actionem; unde obligatio civilis mixta naſcatur. Contractus vero dividendos eſſe tum in contractus veros & quaſi-contractus, tum in contractus Juris Gentium & Civilis. Contractum verum vocari, qui vero ineatur conſenſu, eoque vel expreſſo, vel tacito. Quaſi-contractum eſſe, qui conſenſu præſumto ſecundum naturam negotii perficiatur. Contractum verum in duas diſpeſci ſpecies, cum alius ſit nominatus, alius nec-nominatus. Contractum nominatum dici, qui certum in legibus nomen, certamque adeo actionem, nomini ſuo congruam, adeptus ſit; nec-nominatum vero, qui neque certum in legibus nomen, neque certam habeat actionem, ſed cauſam duntaxat. Per

causam vero intelligi dationem vel factum, unde generalis actio in factum, sive præscriptis verbis, oriatur. Contractuum nec-nominatorum quatuor numeranda esse genera, quorum priora a datione, posteriora a facto initium capiant: do, ut des, do, ut facias, facio, ut des, facio, ut facias. Contractus nominatos distingui in bilaterales, qui contrahentem utrumque, & unilaterales, qui alterutrum duntaxat contrahentium obligent. Contractus nominatos quatuor perfici posse modis: nimirum interveniente rei traditione, qui contractus dicantur reales & Juris Gentium, solennitate verborum, qui verbales & Juris Civilis, solennibus literis, qui literales, itidemque civiles, denique solo contrahentium consensu, qui simpliciter consensuales appellandi, Jurisque sint Gentium. Contractuum realium quatuor occurrere species: Mutuum, Commodatum, Pignus, & Depositum. Mutuum esse contractum Juris Gentium, realem, unilateralem, creditorem inter & debitorem, quo res fungibilis ea lege in debitorem gratis transferatur, ut creditori, mutuum quandocunque repetenti, non idem in specie, sed tantum in genere, ejusdem scilicet qualitatis & quantitatis, restituatur. Rem fungibilem eam esse, quæ ipso usu consumatur, quæque pondere, numero, & mensura constet, uti omnia victui inservientia, item pecuniam numeratam, quæ inde etiam quantitates appellentur. Requisita mutui essentialia tria esse, translationem rei fungibilis, usum gratuitum, obligationem debitoris ad restituendam rem mutuo datam. Commodatum esse contractum Juris Gentium realem & bilateralem, commodantem inter & commodatarium, quo res non fungibilis ad certum usum & gratis commodatario concedatur, ita, ut, finito usu, eadem res non deterior in specie restituatur. Quatuor requisitis essentialibus commodatum constare, translatione rei non fungibilis, usu ejus certo, eodemque gratuito, & restitutione rei non deterioris factæ, in specie. Commodantem commodatario non nisi ex dolo, commodatarium vero commodanti & ex dolo, & ex quavis culpa, teneri. Præstationis hujus hanc rationem reddi, quia nulla hinc utilitas ad commodantem, omnis vero ad

com-

Digitized by Google

commodatarium redeat,quippe quod perpetuum in Jure nostro ſit,niſi expreſſe,vel tacite, aliter conveniſſe videatur. Quinque hic attendendas eſſe regulas,quarum prima: Dolum ſemper præſtandum eſſe, adeo, ut ne paciſci quidem contrahentes poſſint,ne dolus præſtetur. Dolum vocari malignum propoſitum quovis modo deludendi alterum,ſive omnem calliditatem, fallaciam, machinationem,ad decipiendum alterum adhibitam. Alteram vero regulam eo redire: Caſum nunquam præſtari, niſi quis vel ſua culpa cauſam caſui dederit, vel ultro eum in ſe ſuſceperit. Per caſum vero intelligendum eſſe incertum eventum,qui humana induſtria præcaveri non poſſit; vim majorem,vim divinam,damnum fatale. Tertio loco ea regula affertur: Culpam latam præſtari ab eo,cujus nulla utilitas in contractu vertatur. Culpam latam denotare ſupinam ac nimiam negligentiam, qualis in hominem vel mediocriter providum cadere non ſolet. De levi culpa hanc obtinere regulam: Levem culpam, ſi mutua contrahentium vertatur utilitas, præſtari ab utroque. Culpam levem dici omiſſionem ejus diligentiæ, quam frugi paterfamilias ſuis in rebus plerumque ſequatur. De præſtatione culpæ leviſſimæ hanc regulam eſſe proditam: Culpam leviſſimam ab eo præſtari ſolo, ad quem operis ex contractu utilitas perveniat. Definiendam eſſe iſtam culpam maximæ neglectum diligentiæ, quam ſuis in rebus attentiſſimus quisque adhibere ſoleat. Contractum Depoſiti ita deſcribendum ducit Cl. Autor, quod ſit contractus Juris Gentium,realis & bilateralis, deponentem inter & depoſitarium, quo res mobilis ea lege gratis cuſtodienda apud depoſitarium deponitur, ut eadem ſpecies deponenti, quandocunque eam repetenti,non deterior facta, reſtituatur. Monet inſuper Cl. Autor,Depoſitum alio nomine Commendatum dici,& tria Depoſiti eſſe eſſentialia, ſcilicet Depoſitionem rei mobilis, cuſtodiam gratuitam, reſtitutionem ejusdem ſpeciei, non deterioris factæ. Teneri deponentem depoſitario ad culpæ,etiam leviſſimæ, depoſitarium vero ad doli duntaxat & latæ culpæ præſtationem. Ipſum vero Depoſitum *triplex* eſſe, *unum* ſimplex, *alterum* miſerabile, *tertium* rei litigioſæ, quod ſeque-

ſequeſtrum appellandum. Depoſitum miſerabile eſſe, quod tumultus, incendii, ruinæ, naufragii, aliusque calamitatis cauſa alteri cuſtodiendum detur. Ac in hac Depoſiti ſpecie id ſingulare occurrere, quod depoſitarius ex inficiatione fraudulenta dupli præſtatione poſſit onerari. Sequeſtrum vero Depoſitum eſſe rei litigioſæ apud ſequeſtrem, quæ, finita lite, integra reſtituenda victori, dividique in *duas* ſpecies, *unum* voluntarium, ſive conventionale, *alterum* neceſſarium, ſive judiciale. Per ſequeſtrum voluntarium intelligi, quod ipſorum litigantium voluntate & conventione apud ſequeſtrem ea deponatur lege, ut quolibet modo, finita lite, reddatur victori. Neceſſarium vero ſequeſtrum eſſe, cujus poſſeſſio juſſu judicis, etiam invitis partibus, ea conditione ſequeſtri committatur, ut non niſi poſt ſententiam reſtituatur victori. Inter Depoſitum, ſive ſimplex, ſive miſerabile, & inter ſequeſtrum hanc præterea obſervari differentiam, quod non niſi res mobiles proprie deponi, res vero immobiles etiam ſequeſtrari poſſint. Pignus hoc pacto poſſe definiri, quod ſit contractus Juris Gentium, realis & bilateralis, creditorem inter & debitorem, quo rei qualiscunque poſſeſſio in ſecuritatem crediti a debitore transferatur in creditorem, ea lege, ut, ſoluto debito, non deterior in ſpecie reſtituatur. Hypothecam vero eſſe conventionem inter debitorem ac creditorem, qua res quælibet in ſecuritatem crediti, ſine poſſeſſionis tamen translatione, expreſſe vel tacite, pignori obligetur. Pignoris requiſita eſſentialia tria eſſe, ſecuritatem crediti, poſſeſſionis in re pignorata ad creditorem translationem, ejusdem ſpeciei non deterioris factæ reſtitutionem. In contractu pignoratitio utrique contrahentium, ob æqualem utrinque utilitatem, eandem præſtationis obligationem incumbere, doli nimirum latæ ac levis culpæ.

M. LUDOVICI JOANNIS LE THIEULLIER, in Univerſitate Pariſienſi Facultatis ſaluberrimæ Doctoris regentis, Regis Conſiliarii, & in majori Conſilio Medici Ordinarii, Obſervationes Medico-Practicæ.

Pari-

Parisiis, apud Carolum Osmont, Petrum Michaelem Huart, & Jacobum Clousier, 1732, 12.

Plag. 17.

Magnum esse, imo maximum, Observationum recte institutarum in Medicina usum, ab omnibus retro seculis ad nostram usque ætatem una Medicorum vox fuit, eademque sententia, ex quo, duo hæc Medicinæ fundamenta, experientiam atque rationem, constituta esse, compertum habemus. Et, licet ex recentioribus plurimi a veterum vestigiis illaque *Hippocratica* observandi ratione multum recesserint, quod suis ingenii commentis, quæ infelici partu, invitaque natura, cerebro excluserant, indulgere, satis habebant, inter omnes tamen, qui non plane artis suæ fata progressusque ignorant, Medicos satis constat, non destitui posteriora hæc secula Viris cordatioribus, qui accuratiorum magnaque fide conscriptarum Observationum laudem sibi compararunt; quorum hic nomina longo ordine recenseremus, nisi cognita omnibus & in summa celebritate posita essent. Ut adeo nesciamus, qua fronte jactitet Cl. *le Thieullier*, se derelictam huc usque ab omnibus provinciam suscepisse, &, quicquid fuit in observando molestiarum, alacri animo devorasse, tantum ut tyrones in rectam viam reduceret, ipsorumque conatus in arte exercenda pro virili adjuvaret. Qua in re uti bonum animum non laudare nefas omnino esset, ita felices eidem successus candide comprecamur. *Sectionibus* constat libellus *XXI*, quibus de totidem morbis ad literarum ordinem Observationes variæ exponuntur. Agunt enim de abortu, angina, apoplexia, arthritide, colico dolore, convulsionibus, dysenteria, erysipelate, febribus continuis & intermittentibus, hydrope, ictero, mensium vitiis, morbillis, nephrithide, paralysi, peripnevmonia, phthisi, pleuritide, variolis & purpureis maculis, denique de vomitu. Utplurimum in iis nonnulla tantum morbi symptomata breviter recenset, aliquando & ætatem temperamentumque ægrotantis attingit, aliquando negligit, vitæ genus ante actum vero, constitutiones corporis, morbosque prægres-

 sos

Digitized by Google

ſos ægrotantium, item cauſas & origines morborum, & reliqua, quæ alias ad Obſervationes completas & integras, adeoque Medicinæ fructuoſas, requiruntur, plane prætermittit. Quoniam vero ad hanc Obſervationum integritatem etiam pertinet, ut mutationes morborum ab adhibitis medicationibus accuratius notentur, hanc quidem pariter egregie explevit, dum effectus medicamentorum per ſingulos dies ad morbi uſque exitum diligenter enarravit. In omnibus vero morbis venam ſecare, alvum purgare, & clyſterem donare, hisque remediis hoſtem ſuum ſtrenue debellare conſuevit, ita, ut pauciſſimos videamus eſſe ægrotos, in quibus non venæ ſectio ſæpius repetita, & vix ullum, in quo non alvi purgatio clyſterumque applicatio iterum iterumque adhibitæ fuerint. Si quibus aliis viſum eſt uti remediis, ea utplurimum decoctis & electuariis continentur, & vix chemici medicamenti veſtigium apparet. Ægrotos tamen hos omnes priſtinæ ſanitati reſtituit. Quid cauſæ fuerit, quare felices tantum curationes literis demandet, cum & deceſſiſſe alios, ejus curæ commiſſos, non dubitemus, nunc quidem copioſius diſquirere non placet. Interim tamen maximi Obſervatores, & inter hos omnium facile princeps, *Hippocrates*, ſiniſtros morborum eventus morteſque ſuorum ægrotantium non ſiluerunt, quod & id rei medicæ fructuoſum fore perſpectum habebant. Vereri Autor ipſe videtur, ut fidem omnibus habituri eſſent lectores. Et ſunt profecto nonnulla, quæ jactantius aliquantum dicta videntur, e. g. de viro quodam peripnevmonia laborante, qui, ut ex omnium ſymptomatum recenſione patet, rebus conclamatis animam jam egit, potione tamen quadam emetica & purgante, citius fere, quam aſparagi coquuntur, a Noſtro reſtitutus eſt, ut poſt paucas horas jocos facetiasque cum amicis miſcuerit. Provocat tamen ad adverſaria ſua, quibus ipſa ægrotantium nomina dignitatesque notavit. Quod reliquum eſt, quamvis Autoris methodus noſtris provinciis non adeo conveniat, Medicum tamen, judicio practico inſtructum, & has Obſervationes in ſuos uſus verſurum eſſe, nulli dubitamus.

JO.

Digitized by Google

JO. GE. LOTTERI DE VITA ET PHILOSOPHIA Bernardini Telesii Commentarius, ad illustrandas Historiam Philosophicam universim, & literariam Seculi XVI Christiani sigillatim, comparatus.

Lipsiæ, apud Bernh. Christoph. Breitkopfium, 1733. 4.
Plag. 11.

Quam A. 1726 in cathedram produxerat Dissertationem Cl. Collega noster, eam multo auctiorem & ornatiorem jam redire in lucem jubet, *Antiperipateticorum* Historiæ partem minime contemnendam. Quod ipse index, a nobis modo propositus, satis declarat, in *duo Capita* abit hic Commentarius, quorum alterum vitam *Telesii* luculenter sane describit, ut hinc peti debeat in posterum, quicquid scitur de viro non uno nomine commemorabili: alterum Cap. I
de Philosophia ipsius, adversariis item, atque propugnatoribus, §. 1.
non minus exquisita diligentia tradat. Natus est *Bernardinus Telesius* (quæ nominis orthographia est) Consentiæ A. 1508 stirpe nobili, licet ipsa parentum nomina non extent. Parentis curam & beneficia ipsi præstitit patruus, *Antonius Telesius*, 2.
cujus hic vita & scripta obiter, sed accurate, enarrantur; & inter alia de Poesi illius laudantur *Toscani* versiculi: *Ducit pulchrius, esse judicetur Si, dum parva canit, Poeta magnus, quam, si magna canens, Poeta parvus.* Hic igitur *Antonius Telesius* suum ex fratre nepotem *Mediolani* domi suæ diligenter instituit, & utriusque linguæ Eloquentiam, Poesin, ac Philosophiæ elementa illi propinavit. Ille *Antonius*, Romam evo- 3.
catus ad docendas in Gymnasio illius verbis bonas literas, secum deduxit *Bernardinum*, &, cum ipse Consentiam paulo post abiret, ibi reliquit. Fatalis illi fuit obsidio Romæ & expugnatio facta A. 1627, quo facto, ipse quoque cum bonorum omnium jacturam, tum captivitatis molestias, expertus est. Hinc liberatus, *Patavium* abiit, doctore usus præter ceteros *Hier. Amalthæo*. Jam hic ope Græcæ linguæ intelligere me- 4.
lius,

Digitized by Google

lius, quam vulgo fiebat, *Aristotelem* cœpit, & quædam in illo, quæ sibi displicerent, notare, novumque adeo Philosophiæ quasi corpus sibi formare, auctus Doctoris Philosophiæ titu-
§. 5. lo A. 1535. Rediit deinde Romam, ubi amicitias sibi plures comparavit, *Ubaldini Bandinelli* præsertim, & *Jo. della Casa*, quorum hortatu, quæ in Philosophia cogitaverat,
6. perficere studuit. Oblatum a *Paulo IV*, P. M. Consentini Episcopi honorem deprecatus, fratri suo *Thomæ* impetravit,
7. Scilicet jam fatis tum concesserat uxor, quam duxerat, *Diana Sersalia*, nobilissima fœmina, sed quæ intercessisse dicitur, dum viveret, quo minus seriam æque Philosophiæ & literis operam
8. maritus illius impenderet. Quo magis post illius immaturum obitum in illum quasi portum literarum se retulit, quo cum aliquot annis strenue usus esset, & inprimis in oppugnando *Aristotele* multum ingenii atque industriæ adhibuisset, fama
9. illius, ad Neapolitanos præsertim delata, fecit, ut illum sibi do-
10. ctorem juventus expeteret atque impetraret, ubi *Academiam* vel primam, vel inter primas, condidit, naturalium rerum inquisitioni dicatam, quæ *Telesiana* ab ipso, itemque ab ipsius & plerorumque sociorum patria *Consentina*, dicta est. Quæ de illa Academia disci possunt, & pluscula de viris, qui nominati sunt, memorabilia Observationum habitu Cl. Autor proponit, & singulis fere paginis de literaria Italorum ejus tem-
11. poris Historia bene meretur. Cum ostendit, mortuum esse Nostrum A. 1688 in secessu *Consentino*, in quem ægrotum se deportari voluerat, ex morbo, quem atra bilis, a Monachis qui-
12. busdam irritata, illi conciliaverat, Catalogum subnectit Operum, ab ipso editorum, annotatis etiam diversis editionibus, ac fatis; in quibus illud inprimis memorabile, quod *Clementis VIII*, P. M. jussu ipsius de rerum natura libri Indici expurgatorio Romano illati, &, donec expurgarentur, prohibiti sunt. Plenissima, quæ ipso vivo prodiit, editio eorum est, *de rerum natura juxta propria principia libri novem*, Neap. 1586, fol. Anno autem 1590 Syntagma Opusculorum *Telesianorum* prodiit hoc titulo: *Bern. Telesii, Consentini, varii de naturalibus rebus libelli, ab* Anton. Persio *editi, quorum alii nunquam antea*

Digitized by Google

antea excusi, alii meliores facti prodeunt, Venet. apud *Felicem Valgrisium*, 1590, 4. Jam *alterum Caput* de Philosophia *Telesii* recensendum erat, pari diligentia elaboratum. Sed maluimus libellum mole sua majorem Lectoribus nostris commendare integrum, quem totum legisse neminem temere pœnituerit. Verbo, *Parmenidis* Philosophiam, in quantum ea ex libello præsertim innotescit *de primo frigido*, qui inter *Plutarchi* Opuscula legitur hodie, instauravit *Telesius*: *sensui* primas tribuit in cognoscendis rerum naturalium causis: tria earum principia constituit, *calorem*, *frigus*, *materiam*, e quibus nata corpora duo primaria, *cœlum* & *terra*: ex perpetuo principiorum bello atque conflictu ortum trahunt corpora universa. Sed præstat, uti diximus, ipsum adire libellum.

Christian Wolffens ausführliche Nachricht von seinen eigenen Schrifften, &c.

h. e.

CHRISTIANI WOLFII COMMENTARII DE Scriptis propriis, quæ lingua Germanica de Philosophia in lucem emisit. Editio altera, priori auctior & emendatior.

Francofurti ad Mœnum, apud Jo.Bened. Andreæ & Henricum Hort, 1733, 8.

Plag. 16.

Etsi hos Commentarios de scriptis propriis conscripserit Cel. Autor eo tempore, quo Philosophia ipsius acerrime impugnabatur, ut satisfaceret desiderio illorum, qui, cum scripta ipsa legere non possent, ejus tamen historicam quandam cognitionem habere desiderabant; eos tamen ita adornavit, ut non modo in Historia literaria usui esse possint, verum etiam, quod præcipuum est, introductionis loco ad scripta Nostri Philosophica inserviant. *Caput I* scripta Autoris ita re-

censet, ut simul eorundem historiam exhibeat, occasionem scribendi, finem & impedimenta enarrans, & iteratas editiones indicans. Cum enim nunc omnium manibus terantur, qui sciendi cupidine flagrant; continuo istorum librorum editiones reiterantur. *Cap. II* de stilo differit, quo in concinnandis libris suis Philosophicis usus est. Rationem hic reddit, cur eos Germanico idiomate, eoque puro, conscripserit, ita, ut non modo a phrasibus, verum etiam a terminis peregrinis, abstinuerit. Ipsos enim terminos Scholasticorum in Germanicos convertit, non Latinam secutus etymologiam, sed ratione denominandi ex notione rei petita, & idiotismo linguæ Germanicæ observato. Ita conscientiam theoretice practicam vocat *das nachgebende Gewissen*, quia nempe hæc conscientia adhuc cedit circumstantiis singularibus, ut harum intuitu contra ipsam agas. Ostendit deinde, quod nec terminorum Germanicorum usu, nec constante eorundem significatu, scripta sua obscura reddiderit, neque ideo a recepto verborum significatu recesserit, quod accuratas eorundem dederit definitiones, vulgo non receptas. *Cap. III* prolixe describit methodum, qua in Philosophia cudenda usus est. Ita autem in scriptis Germanicis leges methodi Mathematicæ observatæ, ut discursu continuo analytica via procedens, a rationibus determinantibus descendat ad determinatum. Quoniam vero multi & usum methodi reprehenderint, &, cum essent ejus rudes, multos Autori errores imputaverint, veluti quod notionem foveat majestate divina indignam, quia definitioni nominali non nisi ea inesse jussit, quæ ceteris inde demonstrandis sufficiunt, quodque neget, de quibus adhuc subdubitanter loquitur eo in loco, quo nondum demonstrari possunt, & quæ sunt alia his gemina; ideo prolixe ea exponit, quæ perversam interpretationem, ex ignorantia methodi profectam, præcavere valent. Quoniam præterea Autori vexæ creabantur ob novam Philosophiæ formam introductam, novaque quædam dogmata, *Leibnitio* particularia, vel ad ea accedentia, eidem inserta; *Cap. IV* de libertate philosophandi disse-

Digitized by Google

differit, &, qua cautione eadem usus fuerit, docet, ut liquido appareat, ipsum ab omni abusu liberum esse. Ita autem in his & similibus continuo versatur, ut, dum alios refellere nititur, non nisi docentem audias, nullo adversario constituto. *Cap. V* describit regulas, quas quis observare tenetur, ut & scripta sua intelligat, & ex iis proficiat. Atque hoc pacto tacite redarguit illorum præcipitantiam, qui cursoriam lectionem & locorum citatorum inspectionem nudam sufficere existimabant. *Cap. VI* & sequentibus de singulis scriptis sigillatim differit, scilicet de Logica, Metaphysica, & in eam Annotationibus, scriptisque Apologeticis, Philosophia morali, Politica, Philosophia experimentali,& Physica dogmatica,cum Teleologia. Sed de his cum abunde dictum sit passim in hisce *Actis*, si Apologetica exceperis, ut specialia addamus, opus non est. *Cap. XIII* usum Philosophiæ tum in genere, tum præcipue suæ, exponit. Monstrat sane, ex diligente Philosophiæ tractatione innotescere methodum studendi, & in stadio literario feliciter progrediendi viam, una cum modo applicandi, quæ didiceris, ad futuros casus. Eandem sui cultores præparare ad Theologiam, Jurisprudentiam & Medicinam multo temporis atque laboris compendio, multoque solidius, quam vulgo fieri solet, percipiendam, & suam inprimis Philosophiam suppetias insperatas ferre Facultatibus, quas dicunt, superioribus. Philosophia ubi imbuatur animus, hominem aptum reddi ad sanum de rebus judicium ferendum, & ad veram perduci honestatem atque sinceritatem. Hisce in genere demonstratis, de sua inprimis Philosophia evincit, quod adversus profanitatem invalescentem profligandam arma tutissima suppeditet, quod Atheismum evertat tam theoreticum, quam practicum, quod monstret viam apertam ope luminis rationis verum Deum inveniendi, eumque tanquam Deum colendi, multo quidem evidentius, quam hactenus ab ullo factum fuerit Philosopho, admiranda rationis cum revelatione concordia; quod manifestet modum cognitionem Numinis quotidianis experimentis continuo magis magisque confirmandi, & ad religionem

revelatam nos manu ducat; quod evidenter demonſtret, quæ in Scriptura ſacra præcipiuntur de actionibus liberis, eſſe gemina Juris Naturalis præcepta; quod argumenta ſuppeditet, quibus præſtantia religionis Chriſtianæ coram tribunali rationis probari & adverſus objectiones Antiſcripturariorum defendi poteſt; quod Scepticiſmum, Materialiſmum, Idealiſmum in exilium egerit. *Cap. XIV* hiſtoriam perſecutionis, quam perpeſſus eſt, graphice delineat, comparatione inſtituta inter condemnationem *Galilæi* & vexas ſibi creatas, ut ex juſtiore procedendi modo adverſus illum hoſtium ſuorum injuſtitia rectius eluceat. Tandem *Cap. XV* methodum exponit, quam tenere debent, quotquot ſucceſſu felici Philoſophiæ operam navare decreverunt.

NOVA LITERARIA.

Pariſiis unus ex Monachis Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri, cujus nomen adhuc ignoratur, in eo jam eſt, ut novam Editionem *Operum S. Juſtini Martyris, Tatiani, Athenagoræ, Theophili Antiocheni*, cum libello *Hermiæ adverſus gentiles Philoſophos*, excuſam ſumtibus *Caroli Oſmont*, quam proxime tradat in manus eruditorum. Quo in negotio illud inprimis operam dedit, ut adjumenta e Codicibus MStis, quanta poſſet, maxima exquireret. Nihil in contextu mutatum ſine Codicis MSti autoritate. Eo plura emendata, quo plura exſtitere præſtantiſſimorum Codicum præſidia, ut in *Cohortatione S. Juſtini*, & nonnullis ejusdem ſpuriis Operibus, in *Tatiano*, in *Athenagora*, cujus *Apologiam* & *Librum de Reſurrectione mortuorum* cum novem Codicibus MStis contulit. Nullo quidem in antiquo libro reperit, unde expleret longas illas lacunas, quas viri docti in prima *S. Juſtini Apologia*, ejusque *Dialogo*, & *Libro de Monarchia*, viſi ſunt ſibi animadvertere. Sed alia via aſſecutus eſt, ut eorum deſideria leniret. Nam in *Apologia*, ſi unam excipias breviſſimam lacunam, cui reparandæ MStus Co-

Codex profuit, ipſa illa reperiuntur, quæ excidiſſe nonnulli dolebant. In *Dialogo* autem, qui duos dies in diſſerendo conſumſit, deſiderant plerique finem primæ diſputationis & initium ſecundæ. Sed cum hæc dierum diſtinctio non ſemper in antiquorum Dialogis obſervatur, tum vero, integrum eſſe *S. Martyris Dialogum*, multa probant rationum momenta, quæ non poſſunt hoc loco referri. Supereſt ergo *Liber de Monarchia*, in quo nunc profana tantum exſtant teſtimonia, olim autem ſacra ſimul & profana exſtitiſſe creduntur. Sed reclamat *S. Martyr*, qui poſtrema tantum & Operis initio promittit, & perorando commemorat. Si ei opponatur *Euſebius*, qui prima ſpecie dicere videtur, Monarchiam a *Juſtino & ex noſtris Scripturis & ex gentilium libris aſſeri*; non quidem reſpondet Editor, ut nonnulli fecere, *Euſebium* in ea re, quam videbat oculis, & manibus tenebat, oſcitantem erraſſe; ſed auxilio venient Obſervationes doctiſſimorum Grammaticorum & loca veterum ſimillima, quæ copiam dabunt *Euſebii* aliter interpretandi & cum *Juſtino* conciliandi. Neceſſe eſt his de rebus admoneri Lectores, ne forte tempus perdidiſſe nonnullis videatur Editor, ſi reſtitutæ tam inſignes lacunæ non fuiſſent. Interpretationem addidit plane novam, præſertim *Dialogi S. Juſtini*, & aliorum ejusdem Operum, nec non *Orationis Tatiani*, libri *Athenagoræ de Reſurrectione*, & *trium Theophili ad Autolycum Librorum*. Servavit *Henrici Stephani* interpretationem in *Oratione Juſtini ad Græcos* & *Epiſtola ad Diognetum*, mutatis tamen pluribus locis, quorum nonnulla *Calviniana* doctrina *Stephanus* infecerat. In interpretando autem illud inprimis datum ſibi putavit, ut non ſolum ſenſum ex ſenſu, ſed etiam, quantum Latinæ linguæ natura patitur, verbum ex verbo exprimeret. Notæ, non minima pars laboris, in emendando contextu adhibentur & rebus obſcuris & difficilibus explicandis, partim ex ejusdem Scriptoris, partim ex aliorum teſtimoniis. Unicuique Operi præmittitur Analyſis, toti autem Voluminis Præfatio generalis. In Analyſi non id tantum perſpicitur, quid in quoque Capite dicatur, ſed etiam

quæ ſit ſeries & junctura ſententiarum, & quomodo media cum primis, ima cum mediis cohæreant. Suſcipiendus fuit hic labor, tum ut conſtaret, apta & nexa eſſe, quæ manca & multis partibus mutila videbantur, tum ut, monſtrata ordinis luce, quædam veluti confuſionis tenebræ pellerentur. Hoc vitio cumulatus inprimis videbatur *S. Juſtini Dialogus;* ſed, ea, quam diximus, adhibita conſiderandi ratione, eniteſcit præclariſſimarum rerum pertractatio, ac totum Opus in tres magni momenti partes diviſum eſſe apparet. Tres partes erunt Præfationis. In prima ſuperiores recenſentur editiones, atque hujus noviſſimæ conſilium & ratio exponuntur. In ſecunda nonnulla expenduntur, ad *Juſtini, Tatiani, Athenagoræ* & *Theophili* doctrinam ſpectantia, quæ Notarum anguſtiis includi non poterant. In tertia de *Juſtini* & aliorum geſtis & ſcriptis diſſeritur, ac multa examinantur e media Eccleſiæ hiſtoria repetita, quæ legendi ſtudia commovere poſſunt.

Baſileæ *Joannes Brandmüller*, Bibliopola & Typographus, Dictionarium linguæ Gallicæ, tam antiquæ, quam hodiernæ, *Petri Richelet* ad Hollandicam editionem, quæ haud ita pridem prodiit, ſed majori charactere, literisque oculum non æque fatigantibus, grandiorique adeo Volumini deſtinatam, recudi curabit, ut duo illa Volumina in 4 editionis Amſtelædamenſis, tria in folio nunc expleant. Tum characterum, tum chartæ ſpecimen ſane elegans dedit, eodem præterea charactere ſe uſurum pollicitus, quo *Moreri* Dictionarium impreſſum ab ipſo eſt, verum recentius fuſo, atque affabre formato. Quanquam in ea editione, quam ſequetur & exprimet, multæ hiſtoricæ, anatomicæ, medicæ, philoſophicæ diſquiſitiones omiſſæ ſint, quæ ad Lexica pertinent, res magis & ſcientias, quam voces linguamque, illuſtratura; non tamen illa imperfectior præcedentibus eſt; quippe quæ ſex millia novorum penſorum recepit ex Dictionario Academiæ Gallicæ (Dictionaire de l'Academie Francoiſe). Quibus ex cauſis & Amſtelædamenſis prælata eſt tum aliis, tum Trevoltianæ, quæ typis iterum exſcriberetur. Intra anni ſpatium liber abſolvetur, cujus imprimendi cauſa prelum jamjam fatigatur. Subſcripturis prænumerandum eſt ante anni novi auſpicia. Integrum pretium decem florenis Germanicis, ſeu 25 libris Gallicis, ſeu octo tha-

thaleris imperialibus & octo grossis constabit, cujus dimidium tum demum, cum tradetur liber, exsolvetur, dimidium vero per Germaniam his antea committi potest: Viennæ *Monath, Straub, Lemmerhirt*; Augustæ Vindelicorum *Schlütter* & *Happach*, Fratribus *Veith*, *Wolf*, *Stretter*, *Merz* & *Meyer*; Norimbergæ *Loehner*, *Stein*, *Monath*, *Meyer*, Hæredibus *W. M. Endter*; Francofurti ad Mœnum Fratribus *Knoch*, *Andreæ*, *Fleischer*; Offenbachi *Kœnig*, Casellis *Stephan*, *Cramer*; Halæ Saxonum *Sellius*, *Fritsch*; Lipsiæ *Gleditsch*, *Laukisch*, *Deer*; Coloniæ *Metternich*, *Putz*, *Schlebusch*, *Nœthen*, *Huysch*; Argentorati *Doulsecker*, *Stein*; Hamburgi *Kissner*, *Heyl*, Viduæ *Felginer*; Lubecæ Viduæ *Schmid*; Berolini *Dusarrat*, *Naudé*; Ulmæ *Bartholomæi*, *Wohler*, *Rothe*; Ingolstadii *de la Haye*; Marburgi *Müller*; Giessæ *Müller*, *Lammer*; Stutgardi *Mezler* & *Erhardt*; Tubingæ *Cotta*, *Ebert*; Wezlariæ *Winkler*; Heidelbergæ *Loos*, *Simon*; Manhemii *Fernau*, Hanoviæ *Osius*, *Stock*; Moguntiæ *Mayer*; Budingæ *Regelin*; Hannoveræ *Færsteri* hæredibus; Guelpherbyti *Meisner*; Cellis *Hofmann*; Brunsvigæ *Meyer*; Francofurti ad Viadrum *Conradi*; Bremæ *Biermann*, Pharmacopolæ; Carlsruhæ *Maschenbaur*; Monachii *Remi*; Pragæ *Loehner*; Onoldi *Wendel*; Baruthi Dn. Prof. *Flessa*; Ratisbonæ *Peetz*; Lindaviæ *Ott*; Colmariæ, *Petit*; Uratislaviæ *Hubert*; Dietzæ Dn. Rectori *Ritz*; Hafniæ *Pauli*; Biponti, Dn. Prof. *Croll*; Gothæ *Mevius*; Dresdæ *Zimmermann*; Herbornæ *Andreæ*; Duisburgi *Bœttiger*; Düsseldorpii *Meyer*; Dantisci *von Beughem*; Wittembergæ *Knoch*; Salzburgi Vid. *Meyer*, *Peetz*; Græcii Fratres *Veith*; Lentii *Peetz*; Coburgi *Pfotenhauer*; Erfordiæ *Stœssel*.

Lipsiæ *Maurit. Georg. Weidmannus* subjiciet prelo *Codicem Theodosianum*, cum perpetuis Commentariis *Jacobi Gothofredi*, atque eundem ita ad exemplum editionis, quæ prodiit A. 1665 opera Cl. *Marvilli*, exprimi curabit, ut pagina respondeat paginæ. Addentur Appendix & Observationes rerum earum, quæ aut fugiebant *Gothofredi* tempora, aut ab eo circa alia occupato fuere prætermissæ. Inprimis opera dabitur, ut editio prodeat limatissima, & diligentissime ab erroribus repurgata. Quo vero & de nitore chartæ, characterum forma atque elegantia, emtores possent arbitrari, visum est Operis aliquod specimen divulgare. Constabit Opus integrum mille fere plagulis, & intra biennium, ex eo tempore, quo primum excudi cœptum erit, (manus autem admovebitur circa principium mensis Januarii A. 1734,) absolutum dabitur, Tomi duo priores ad nundinas autumnales Lipsienses A. 1734, tertius & quartus nundinis A. 1735 vernis, & duo tandem postremi ejusdem anni nundinis autumnalibus exibunt. Pretium exemplo statui-

ſtatuitur florenorum Imperialium 12, cujus partem tertiam, nimirum florenos 4, quando nomina ſua profitebuntur, emtores ſtatim numerabunt; totidem, cum Tomos duos priores; reliquos denique 4 florenos, cum Tomos tertium & quartum prelo emiſſos acceperint. Terminus, intra quem integrum erit, quibus lubet, nomina dare, conſtitutus eſt ad Calendas Martii anni ſequentis 1734. Qui temporis definitum neglexerint ſpatium, exemplum, niſi ſolutis 18 florenis, ſuum facere non poterunt. Denique monendum eſt, ut emtores ſuis ſumtibus & libri ad Bibliopolam pretium, & excuſa typis exempla, quo voluerint, transferri curent. Subſcriptiones accipient Syngraphasque dabunt ſequentes Bibliopolæ: Altorfii *Wedel*; Amſtelodami *Wettſtein & Smith, Chatelain*; Antwerpiæ *Verduſſen*; Argentorati *Dulsecker*, Sen. *Beck*; Auguſtæ Vindelicorum *Schlütter & Happach*, fratres *Vait*, *Mertz & Meyer*; Berleburgi *Haeg*; Berolini *Rüdiger, Nicolai, Haude*; Bremæ *Sauermann*, *Jæger*; Brunſuigæ *Meyer*, *Schræder*; Bruxellis *Frix*, *Foppens*, *t'Serſteevens*; Caſſellis *Cramer*; Chemnitii *Stæſſel* & fil. Coloniæ *Metternichia*, *Huyſch* fratres; Dantiſci *Knoch*; Dresdæ *Zimmermann & Gerlach*, *Sauereſſig & Hilſcher*; Francofurti ad Mœnum *Andreæ & Hort*, *Knoch*, *Varrentrapp*, *Fleiſcher*; Francofurti ad Viadrum *Conradi*; Gieſſæ *Krieger*, *Müller*; Gœrlicii *Marche*; Goslariæ *Kœnig*; Gothæ *Mevius*, *Schall*; Guelpherbyti *Meiſner*; Hafniæ *Pauli*, *Rothe*; Hagæ Comitum *de Hondt*, *Moetjens*; Halæ Saxonum *Sellius*, *Orphanotrophium*, *Fritſch*; Hamburgi *B. Felgineri* Vidua, *Heſſel*, *Brand*, *Kœnig & Richter*; Hanoveræ *Færſter* & fil. Helmſtadii *Weigandt*; Herbipoli *Fugger*; Herbornæ *B. Andreæ* Hered. Holmiæ *Weidmann*; Jenæ *Bielcke*, *B. Meyeri* Vid. Ingolſtadii *de la Haye*; Lemgoviæ *Meyer*; Lubecæ *Bœckmann*; Lugduni *de Tournes*, Fratr. *de Ville & Chalmette*; Lugduni Batavorum *Luchtmans*; Magdeburgi *Scheidhauer*; Marpurgi *Muller*; Norimbergæ *Lochner*, *Monath*, *Riegel*; Offenbaci *Kœnig*; Pariſiis *Montalant*; Pragæ *Lochner*, *Rüdiger*; Ratisbonæ *Peez & Bader*; Regiomonti *Eckard*; Roſtochii *Fritſch*; Salisburgi *Meyer*; Stuttgardiæ *Mezler & Erhard*; Trajecti ad Rhenum *Brœdelet*; Tubingæ *Cottæ* Fratr. Venetiis *Coleti*, *Manfre*, *Albrizzi*; Veronæ *Tummermanni*; Viennæ *Chriſtophori*, *Straub*, *Lehmann*; Ulmæ *Bartholomæi* & fil. *Wohler*; Wezlariæ *Winckler*; Wittenbergæ Hæred. *Zimmermanni*; Uratislaviæ *Hubert*.

INDEX

INDEX AUTORUM,

quorum Libri aut Inventa in hoc Volumine recensentur.

I *Libri Theologici & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.*

Bertrami (*Jo. Frid.*) *Historica Demonstratio, qua Frisiam Orientalem tempore Reformationis Evangelico-Lutheranæ non Reformatæ accessisse evincitur.* 89
Blackwall (*A.*) *Autores classici sacri defensi & illustrati. Volumen II.* 414
Clerici (*Jo.*) *Veteris Testamenti Libri Hagiographi. Tomi II.* 232
Coleti (*Nic.*) *Sacrosancta Concilia. Tom. X, XI, XII, XIII.* 529
le Long (*Isaaci*) *Bibliotheca Librorum divinorum in Germaniæ inferioris dialectum versorum.* 62
Ruinarti (*Theodorici*) *Historia Persecutionis Vandalicæ.* 420
à Seelen (*Jo. Henr.*) *Meditationes Exegeticæ: Pars II.* 280
Wolfii (*Jo. Christoph.*) *Bibliothecæ Hebrææ Volumen IV & ultimum.* 459

II *Libri Juridici.*

Aurelii (*Osii*) *Dispunctor ad Merillium.* 257
Gothofredi (*Jacobi*) *Opera Juridica minora; ex ed.* Christiani Henr. Trotz. 451
Hoffmanni (*Jo. Guil.*) *ad Legem Juliam de Adulteriis coercendis Liber singularis.* 296
Lünigii (*Jo Christ.*) *Codex Italiæ Diplomaticus. Tomus III.* 256
Merillii (*Edmundi*) *Opuscula.* 258
Noordkerk (*Herm.*) *de Matrimoniis ob turpe facinus, quod peccatum Sodomiticum vocant, jure solvendis.* 360
de Repgow (*Epkonis*) *Speculum Saxonicum; ex ed.* Caroli Wilh. Gærtneri. 16
Wieling (*Abrab.*) *Repetitio Institutionum Juris Civilis.* 544
Wybonis (*Jo.*) *de Interrogationibus in Jure Liber singularis.* 157

III Libri Medici & Physici.

Anonymi *Historia Academiæ Regiæ Scientiarum A. 1724.* 64
Bageti (*Jo.*) *Osteologiæ Tractatus primus.* 421
Baron (*Hyacinthi Theodori*) *Codex Medicamentarius, seu Pharmacopœa Parisiensis.* 260
Breynii (*Jo. Phil.*) *Corrigenda quædam & emendanda circa generationem Insecti, quod in edita a se Historia ejus naturali Coccum radicum salutavit.* 167
Burggravii (*Jo. Phil.*) *Lexicon Medicum universale. Tomus I.* 448
Dillenii (*Jo. Jac.*) *Hortus Elthamensis.* 241
Fischeri (*Christiani Gabr.*) *Notæ & Animadversiones ad Caput Plinii 33 Lib. IX. Hist. nat. de Concharum differentiis.* 487
Heisteri (*Laur.*) *Compendium Anatomicum. Editio quarta. Tomi II.* 70
Hoffmanni (*Frid.*) *Medicinæ rationalis Systematicæ Tomi IV Pars II.* 298
Junckeri (*Jo.*) *Conspectus Chemiæ Theoretico-Practicæ.* 24
Lavagnoli (*Bartholom.*) *de Usu pravo & recto disciplinarum optimarum in Medicina. Pars I de Usu Chymiæ.* 362
Linckii (*Jo. Henr.*) *de Stellis marinis Liber singularis.* 422
Pozzi (*Joseph.*) *Orationes duæ, cum Epistolari Anatomico Commentariolo.* 160
Ritteri (*Alb.*) *Lucubratiuncula II de Alabastris Schwartzburgicis.* 41
le Thieullier (*Lud. Jo.*) *Observationes Medico-Practicæ.* 548
Waltheri (*Augustin. Frid.*) *Observationes Anatomicæ ex musculorum doctrina.* 263
Winslovii (*Jac. Benigni*) *Expositio Anatomica structuræ corporis humani.* 214

IV Libri Mathematici.

Anonymi *Historia Academiæ Regiæ Scientiarum A. 1724.* 64
Castronii (*Benedicti Mariæ*) *Horographia universalis.* 455
Clairaltii *de Curvis duplicis curvaturæ Disquisitio.* 310
Euleri (*L.*) *Constructio æquationum quarundam differentialium, quæ indeterminatarum separationem non admittunt.* 369
Gaubil (*P.*) *Tractatus de Astronomia Sinensi.* 164
Gersten (*Christian. Lud.*) *Tentamina Systematis novi, ad mutationes Barometri ex natura elateris aerei demonstrandas.* 275

Leichneri (*Jo. Wilb. Theodori*) *Demonstratio methodi suæ Geometricæ, quantitatem liquoris dolio, non pleno, situm horizontalem habente, contenti, indagandi.* 454
van Loin (*Jo. Henr.*) *Observatio singularis cujusdam phænomeni in cœlo conspicui die 3 Martii A. 1733.* 228
Manfredi (*Eustachii*) *Observatio Eclipseos lunaris, Romæ habita Cal. Dec. A. 1732.* 112
Marinanii *Eclipsis lunæ totalis & cum mora observata Viennæ A. 1732 Cal. Dec.* 278
de Maupertuis *Discursus de Figuris differentibus astrorum.* 316
Scheuchzeri (*Jo. Jac.*) *Nova ex summis Alpibus vulgata.* 43
Souciet (*Steph.*) *Observationes Mathematicæ, Astronomicæ, Geographicæ &c. ex antiquis Sinarum libris excerptæ. Tomus III.* 163
Wolfii (*Christ.*) *Elementa Matheseos universæ. Tomus II.* 367

V Libri Historici, Geographici &c.

Anonymi *Elogium Christfridi Wachtleri, JCti Dresdensis.* 92
Mich. Ern. Ettmülleri. 140
Ludovici Ferdinandi, Comitis de Marsigli. 282
Jo. Henr. Boecleri, JCti Argentoratensis. 332
Thomæ Woolstoni, & Tyndalii, Anglorum. 523
Historia universalis, ab initio mundi ad præsens usque tempus perducta. Tomus I. 195
Bohadini f. Sjeddadi *Vita & res gestæ Sultani, Almalichi Alnasiri, Saladini; ex ed.* Alb. Schultens. 49
de Bünau (*Henr.*) *Accurata & copiosa Germaniæ Historia. Tomus II.* 337
de Charlevoix (*Petr. Franc. Xaver.*) *Historia Insulæ Hispaniolæ vel S. Dominici. Tomi II.* 246
Dragheim (*Jo. Benj.*) *Vita Jacobi Henrici Zerneckii, Præconsulis Thoruniensis.* 177
Emmii (*Ubbonis*) *Tractatus de Frisia Orientali in Germanicam linguam translatus, &c.* 87
de Falckenstein (*Jo. Henr.*) *Codex Diplomaticus Antiquitatum Nordgaviensium.* 484
Ferreira (*Franc. Leitani*) *Notitia Chronologica Universitatis Conimbricensis. Pars I.* 471
Gagnierii (*Jo.*) *Vita Mohammeti.* 10
Gebaueri (*Georg. Christiani*) *Sciagraphia Historiæ accuratæ & copiosæ præcipuorum Europæ Imperiorum & Statuum.* 520

Harenbergii (*Jo. Christoph.*) *Analecta ad Genealogiam Ducum Saxoniæ ante Sec. XIII, & Ducum Brunsuicensium.* 116
Heissii *Historia Imperii Germanici. Tomi VIII.* 291
Herttenstein (*Lud. Barthol.*) *Specimen Historiæ patriæ de Ulma per Lotharium Saxonem A. 1629 obsessa, &c.* 331
Joannis (*Ge. Christ.*) *de Vita & meritis Petri de Spina.* 90
Laderchii (*Jac.*) *S. Philippus Neri autor Archi-Confraternitatis SS. Trinitatis peregrinorum & convalescentium Romæ probatus.* 294
Lotteri (*Jo. Ge.*) *de Prima, eademque rarissima, Willerami editione Observatio.* 28
de Vita & Philosophia Bernardini Telesii Comment. 551
Marsilii, *Comitis, Status militaris Imperii Ottomannici. Partes II.* 193
Mediobarbi (*Francisci*) *Imperatorum Romanorum Numismata; ex ed.* Phil. Argelati. 1
de Montfaucon (*Bernh.*) *Monumenta Franciciæ Monarchiæ. Tomus IV.* 243
Motschmanni (*Justi Christoph.*) *Academiæ Erfurtensis historia.* 329
Muratorii *Rerum Italicarum Scriptores. Tomus XIX.* 342
Tomus XX. 391
Tomus XXI. 441
Niceronii *Commentarii Historiæ celebriorum in Republica literaria virorum inservientes. Tomus XIV, XV, XVI.* 510
Occonis (*Adolph*) *Imperatorum Romanorum Numismata; ex ed.* Phil. Argelati. 1
Pausaniæ *Descriptio Græciæ, Gallice translata a* Gedoyno. 102
Plutarchi *Chæronensis Vitæ parallelæ; ex ed.* Augustini Bryani. 385
Rollini *Historia antiqua Ægyptiorum, Carthaginiensium &c. Tomus IV.* 359
Ruinarti (*Theodorici*) *Historia persecutionis Vandalicæ.* 420
Schreiberi (*Jo. Frid.*) *Historia vitæ & meritorum Friderici Ruyschii.* 505
a Sommersberg (*Frid. Wilh.*) *Silesiorum rei historicæ & genealogicæ Accessiones.* 21
de Sylva (*Josephi Suaresii*) *Historia Regis Lusitanici Joannis I. Tomi II.* 289
Venatoris (*Balth.*) *Vita Petri de Spina, Archiatri quondam Palatini; ex ed.* Ge. Christ. Joannis. 90
Wagneri (*Franc.*) *Historia Leopoldi Magni, Cæsaris Augusti. Tomus II.* 6

VI Li-

Digitized by Google

VI Libri Miscellanei.

Anacreontis *Odæ, in Italicum sermonem translatæ; ex ed.* Phil. Argelati. 430
Anonymi *Gustus urbis, sive dux voluptatum publicarum.* 110
Delineatio characterum quorundam incognitorum, quos in Insula Ceylano spectandos præbet tumulus quidam sepulchralis. 115
Grammatica Turcica. 156
Historia status hominis in peccato originali. 326
Veteris gemmæ, ad Christianum usum exsculptæ, brevis explanatio. 463
Miscellaneæ Observationes in Autores veteres & recentiores. Tom. I Vol. I. 467
Vol. II & III. 517
Bayeri (*Theoph. Sigefr.*) *Museum Sinicum.* 209
de Besser *Scripta, partim prosa, partim versa oratione composita; ex ed.* Jo. Ulr. Kœnig. 136
Blackwall (*A.*) *Autores classici sacri defensi & illustrati. Volumen II.* 414
de Blegny (*Steph.*) *Elementa, seu prima pueritiæ institutio.* 239
Ciceronis *Orationes Gallice translatæ Autore* de Villefore. *Tomi VIII.* 151
Epistolarum ad M. Jun. Brutum nova interpretatio Gallica; Autore de Laval. *Tomi II.* 210
Oratio pro T. Annio Milone emendata & illustrata a Christoph. Aug. Heumanno. 461
de Crousaz (*Jo. Petri*) *Examen Pyrrbonismi veteris & recentioris.* 402
Engelhardi (*Nic.*) *Institutiones Philosophiæ Theoreticæ. Tom. I.* 321
Falsteri (*Christiani*) *Amœnitates philologicæ. Tomus I & II.* 171
Tomus III. 327
Fischeri (*Christiani Gabr.*) *Notæ & Animadversiones ad Caput Plinii 33 Lib. IX Hist. Nat. de Concharum differentiis.* 487
Fourmontii, *Senioris, Operum suorum Catalogus.* 71
Gebaueri (*Ge. Christ.*) *Anthologicarum Dissertationum liber.* 376
Gudii (*Marquardi*) *Inscriptiones cum Græcæ, tum Latinæ; ex ed.* Franc. Hesselii. 145
Heumanni (*Christoph. Aug.*) *Conspectus Reipublicæ literariæ.* 373
Emendationes Emendationum, Anno superiori in his Actis *propositarum.* 431

Heumanni (*Christoph. Aug.*) *Oratio M. Tullii Ciceronis pro T. Annio Milone emendata & illustrata.* 461
Homeri *Iliar, Græce & Latine, cum Annotat.* Sam. Clarke. *Volumen II.* 97
Jœcheri (*Christiani Gottlieb*) *Philosophia hæresium obex.* 76
Juvenalis (*Jun.*) *Satira XIV, cum interpretatione & notis edita a* Christ. Falstero. 176
de Laval *nova Interpretatio Gallica Epistolarum Ciceronis ad M. Jun. Brutum. Tomi II.* 210
le Long (*Isaaci*) *Bibliotheca librorum divinorum in Germaniæ inferioris dialectum versorum.* 61
Longini *de Sublimitate liber; ex ed.* Jo. Hudsoni. 538
Lotteri (*Jo. Ge.*) *de Prima, eademque rarissima, Willerami editione Observatio.* 28
de Ludewig (*Jo. Petri*) *Reliquiæ omnis ævi MStorum Diplomatum. Tomus X.* 540
Lünigii (*Jo. Christ.*) *Codex Italiæ Diplomaticus. Tomus III.* 256
Mannii (*Dominici Marii*) *de Florentinis inventis Commentarium.* 57
Marsilii, *Comitis, Status militaris Imperii Ottomannici. Partes II.* 193
Mediobarbi (*Franc.*) *Imperatorum Romanorum Numismata; ex ed.* Phil. Argelati. 1
Occonis (*Adolph.*) *Imperatorum Romanorum Numismata; ex ed.* Phil. Argelati. 1
Plutarchi *Chæronensis Vitæ parallelæ; ex ed.* Augustini Bryani. 385
Erpenii (*Thomæ*) *Rudimenta linguæ Arabicæ; ex ed.* Alb. Schultens. 383
Eustathii, *Diaconi, Commentarii in Homeri Iliadem. Latine vertit & notas addidit* Alexander Politi. 433
de Villefore *Orationes Ciceronis Gallice translatæ. Tomi VIII.* 151
Wolfii (*Christiani*) *Commentarii de Scriptis propriis, quæ lingua Germanica de Philosophia in lucem emisit.* 553
(*Jo. Christoph.*) *Bibliotheca Hebrææ Volumen IV & ultimum.* 459

INDEX

INDEX RERUM
NOTABILIORUM.

A.

Abboti (*Georg.*) *vita & scripta.* 511

(*Rob.*) *vita & scripta.* ib.

Abortus *provocatio an quocunque tempore pro homicidio æstimanda sit?* 453 b

Abulfeta *(Ismael) quis fuerit?* 52

histor. universalem edidit. ib.

Princeps literatissimus. ib.

Academia *prima in Lusitania fuit Ulyssipponensis.* 481

Academiæ *Conimbricensis historia descripta.* 483

Erfurtensis historia descripta. 329

Accursii *in Jurisprudentiam merita.* 59

de Aceto *familia Sicula per diplomata illustrata.* 543

Acetum *Christo morienti propinatum quale fuerit?* 173

Achæorum *respublica descripta.* 454

Acidi *vitrioli vel sulphuris analysis.* 27

volatilisatio & fixatio. ib.

Acidulæ *Germaniæ descriptæ.* 452 b

Acostæ *(Christoph.) vita & scripta.* 483

Adamantii *nomen unde duxerit Origenes?* 373

Adulterii *pœna singularis.* 328

de Adulteriis *coercendis Lex Julia Commentario illustrata.* 296 seq

Ægyptiorum *historia antiqua edita.* 359 seq

Æquationum *differentialium, quæ separationem indeterminatarum non admittunt, constructio.* 369

In Æs *incidendi artem quis primus docuerit?* 61

Ex Æthiope *& Europæa natorum quis color?* 65

Æthiopum *coloris vestigia in natis ex coitu mixto semper remanent.* 65

Affluxus *& refluxus in Insula Martinica tempus inæquale.* 65

Alabastri *Schwartzburgici enumerati & illustrati.* 41 seq.

Alberti (*Leo. Bapt.*) *Bolis Albertianæ inventor.* 60

Albertus Magnus *unde nomen Magni traxerit?* 374

Albini (*Petri*) *Carinthiaca edita.* 543

Alchemiæ *præcepta frustra in sacro Codice quæruntur.* 364

frustra in fabulis Poetarum quæruntur. ib.

occultatio nimia artem suspectam reddit. ib.

Amadoddinus, *vitæ Saladini scriptor, quis fuerit?* 51

ejus scripta. ib.

de Saint Amand (*M. Ant. Gerardi*) *vita & scripta.* 510

America *a Columbo detecta.* 249

Ammirati (*Scipionis*) *vita & scripta.* 512

Ammonis *cornu quoddam mira figuræ.* 43

Anacreontis *Odæ Italice conversæ.* 430 seq.

Anatomes *historia quomodo adornanda?* 450 b

Ad Anatomes *studium perficiendum monita.* 161

d'An-

d'Ancourt (*Flor. Cartoni*) *vita & scripta.* 512
Andreæ (*Jo. Valent.*) *inter doctos illusores referendus.* 376
Androgynum *genus animalium, ova in & a se ipso fœcundata pariens, num detur?* 170
Aneurismatici *tumoris & polyposæ in aorta descriptio.* 70
Angariæ *descriptæ.* 454
de Angelis (*Dominici*) *vita & scripta.* 512
Angulos *rectilineos & sphæricos mensurandi ratio.* 68
Ani *sphincteres tres recensiti.* 226
Animæ *humanæ spiritualitas & immortalitas asserta.* 411 seq.
Animi *humani libertas in quo consistat?* 412
De Animorum *immortalitate quid gentiles senserint?* 470
Annuli *circa planetas unde oriantur?* 320
Anonymi *Histor. Florentina edita.* 357
Senensis Annales Senenses editi. 349
Anthologici *Collegii Lipsiensis historia.* 377 seq.
Antimoniatus *sulphuris balsamus ad tophos podagricos discutiendos confert.* 309
Antiquissimorum *temporum in re historica tenebræ.* 198
In Aorta *polyposæ & tumoris aneurismatici descriptio.* 70
Applausus *singularis exemplum.* 330
Aquæ *elasticitas præ aere demonstrata.* 27
simplicis potus commendatus. 449 b
Aquarum *eaux de Passy dictarum examen, earumque productio artificialis.* 67
Arabica *lingua in Compendio tradita.* 383 seq.
Arabicarum *sententiarum florilegium.* 383
Aretini (*Leonardi*) *rerum suo tempore gestarum Commentarius recusus.* 356 seq.
Argelati (*Phil.*) *in Mediobarbi Romanorum Imperatorum Numismata merita.* 2 seq.
Aristoteles *a multis indignissime habitus.* 79
De Aristotele *judicium.* 80
de Armatis (*Salvinus*) *conspicillorum usum invenit.* 60
Arthritidis & *rheumatismi differentiæ.* 308
causæ & cura. ib.
Asteriarum *origo.* 428
Astronomicæ *Sinensium Observationes.* 164 seq.
Atheniensium *Respublica descripta.* 359 seq.
Attractionis *idea stabilita.* 317
Avieni *locus quidam emendatus.* 518
Aulæ *veteris Romanæ conspectus.* 328
Auri *per sulphur solutio.* 28
De Auriæ *gentis laudibus Opusculum editum.* 450 seq.
Aurifabri (*Jo.*) *vita & scripta.* 330
Axes *rotarum in plaustris ab affrictu defendendæ.* 70
Ἀξίωσις *Lex illustrata.* 453
Azygos *venæ mechanismus descriptus.* 451 b

B.

Balsamus *sulphuris antimoniatus ad tophos discutiendos confert.* 309
Banni *Ecclesiastici origo.* 340
Barbari (*Hermolai*) *vita & scripta.* 510
Barometri *differentia in monte S. Gothardi & Tiguri notata.* 43

Baro-

Barometri *mutationes a vibratione tremula aeris.* 276
Baronius *refutatus.* 455
de Bartholomæis (*Jo. Bandini*) *Historia Senensis edita.* 391 seq.
Battologia *a Christo reprehensa.* 172
Baylius (*Petr.*) *refutatus.* 402 seq. 408 seq.
ejus character. 408
scriptorum maculæ. 408 seq.
Pyrrhonismus. 409 seq.
in Dictionarium Criticam meditatur Berruyerius. 46
Bebenhusani *Annales editi.* 543
Becheri *merita in Chemiam.* 25
Bellaji (*Joach.*) *vita & scripta.* 512
Benseradii (*Isaaci*) *vita & scripta.* 510
Berettæ (*Jo. Casp.*) *Historia Literaria Senatus Mediolanensis promissa.* 354
Bernensis *lapis ad Phosphoros spectat.* 67
Bernius (*Guernerius*) *quis fuerit?* 448
ejus Chronicon Eugubinum editum. 447 seq.
Berruyerius *in universum Dictionarium Baylii Criticam meditatur.* 46
ejus Liber, Histoire du peuple de Dieu, notatus. ib.
Bertramus (*Jo. Frider.*) *Historiam Joannis a Lasco meditatur.* 89
de Besser (*Jo.*) *scripta conjunctim edita.* 136 seq.
vita. 138
Beverlandi (*Adriani*) *vita & scripta.* 510
Biaccæ (*Franc. Mariæ*) *in Mediobarbi Numismata Imperatorum Romanorum merita.* 3
Bibliotheca *Patrum denuo prelo subjecta.* 286
Bibliotheca *Philologi qualis esse debeat?* 173
Billii (*Andr.*) *vita & scripta.* 343
Historia Mediolanensis edita. 343 seq.
Blondi (*Flav.*) *vita & scripta.* 512
Boecleri (*Jo. Henr.*) *vita & scripta.* 332 seq.
Bohadinus, *autor vitæ Saladini, quis fuerit?* 50 seq.
du Bois *s. Sylvii* (*Steph.*) *vita & scripta.* 511
(*Phil. Goibaldi*) *vita & scripta.* ib.
Bolis *Albertianæ inventor quis?* 60
Bonifacii (*Balth.*) *vita & scripta.* 510
Bonincontrii (*Laur.*) *Annales editi.* 441 seq.
vita & scripta. 442 seq.
In Bonis *transferendis necessarius olim fuit filiorum consensus.* 486
De Bononiæ *dignitate Commentarius editus.* 449 seq.
Boscagerii (*Jo.*) *vita & scripta.* 510
a Bosco (*Jo.*) *vita & scripta.* 511
Botalentius *pilas militares, Granaten, primus invenit.* 60
Botanicæ *digerendæ methodi Raji, Rivini, Tournefortii, se non destruunt, sed invicem possunt consistere.* 451 b
quæ inter Florentinos incrementa fuerint? 59
Botticenni (*Alexand. Phil.*) *artem pingendi sericum ex utraque parte primus ostendit.* 60
Boucanierii *vox quid notet?* 252
de Boulainvilliers *Comitis vita Mohammeti notata.* 10 seq.

Bourſault (*Edme*) *vita & ſcripta.* 510
Boxhornii (*M. Zuer.*) *in Hoſpitalii Satyram de Lite Animadverſiones.* 15
Boylii *legatum laudabile.* 518
Brachii *vita & geſtorum hiſtoria recuſa.* 350 ſeq.
Brahei (*Tych.*) *vita & ſcripta.* 511
Brenneiſen (*Enno Rud.*) *laudatus.* 87
Briſſoti (*Petri*) *vita & ſcripta.* 512
Brixiani *Annales editi.* 446 ſeq.
Bruckneri (*Hier.*) *vita & ſcripta.* 330
Brunſvicenſium *Ducum Genealogia illuſtrata.* 116 ſeq.
Bryanus (*Auguſtin.*) *novus Plutarchi Commentator.* 385 ſeq.
Bugenhagii (*Jo.*) *vita & ſcripta.* 510
de Bünau (*Henr.*) *laudatus.* 337 ſeq.
de Burgo (*Auguſtin. Gibbonis*) *vita & ſcripta.* 330
Burmannus (*Petr.*) *laudatus.* 467. 517
Bynckershœkius *laudatus.* 453
De Byrſæ *Carthaginienſis nomine Diſſ.* 518

C.

C. L. V. *quid notet in nummis veterum?* 4
Cacaoferæ *arbores in inſula Hiſpaniola omnes uno anno interiere.* 255
Calaſanctius (*Joſeph.*) *Ordinis Scholarum piarum autor.* 433
Calculatoris *Sueci memorabile exemplum.* 328
Calculi *renalis geneſis & cura.* 307
Calculorum *felleorum hiſtoria.* 303
Calendarii *perpetui nova inventio.* 458
Calligraphiæ *præcepta tradita.* 239
Calmeti (*Auguſtini*) *Hiſtoria univerſalis prelo ſubjecta.* 240
Calvini (*Domitii*) *numiſma.* 4 ſeq.
Cambialis *contractus cui genti primum receptus fuerit?* 61
Campani (*Jo. Ant.*) *Hiſtoria vitæ & geſtorum Brachii recuſa.* 350 ſeq.
notata. 351
laudes. 350
Epiſtolæ & Poemata edita. ib.
Campus *panni aurei in tabula repræſentatus.* 244
In Cane, *cui lien exemtus, phænomena poſt mortem reperta.* 163
In Cantico *Canticorum num Joannis Hircani hiſtoria ſit tradita?* 281
Caourſini (*Guil.*) *vita & ſcripta.* 511
In Capita *& verſus diſtinctio Novi Teſtamenti inconveniens.* 416
Capitis *dolorum cauſæ & cura.* 302
Capitonis (*C. Fonteji*) *numiſma.* 5
De Capponibus (*Thom.*) *primus molere farinam in ſicco docuit.* 66
Capponii (*Neri*) *vita edita.* 396 ſeq.
Cardani (*Hier.*) *vita & ſcripta.* 510
Cardialgiæ *ſedes in pyloro.* 303
Cardiſpermon *novum plantarum genus.* 68
Carinthiaca *Petri Albini edita.* 543
Carnificum *peculiaris apud Romanos ordo.* 173
Caroli *M. geſta deſcripta.* 339 ſeq.
VI Imperatoris vita & res geſtæ deſcriptæ. 293
Carrei (*Lud.*) *vita & ſcripta.* 510
Carteſii *vortices ad explicandum planetarum motum non ſufficiunt.* 317
Carthagena *urbs expugnata.* 253
De Ceillierii (*Remi*) *Hiſtoria Autorum Sacrorum judicium.* 46 ſeq.
Celtis (*Conr.*) *vita & ſcripta.* 512
De Cenotaphio *Diſſ.* 453
De Centro *Oſcillationis theoria.* 368

Cere-

Cerebri *hæmorrhagia quæ dicatur?* 302
Cestonii (*Hyacinthi*) *vita & scripta.* 510
De Chao *doctrina nihili putanda.* 200
Characteres *incogniti in tumulo quodam sepulchrali.* 115 seq.
Charronii (*Petr.*) *vita & scripta.* 512 seq.
Chemia *ad principia corporum physica melius intelligenda facit.* 25
Chemiæ *veræ definitio.* 365
usus in Pathologia. ib.
Semiotica. ib.
In Chemiam *merita Becheri.* 25
Stahlii. ib.
Chemicorum *principia an vera sint?* 365
remediorum præstantia. 366
analogiæ ad operationes in corpore contingentes non applicandæ. ib.
Chemicus *primus num fuerit Tubalchain?* 363
Cheroniæ (*Elisæb. Sophiæ*) *vita & scripta.* 510
De Choris *veterum varia.* 111
Chronologia *Codicis Hebraici Bibliorum a Samaritana quantum differat?* 196 seq.
Cicero *a timiditate defensus.* 151
sublatæ libertatis Romanæ accusatus. 152
Ciceronis *Epistolæ ad M. Jun. Brutum Gallice translatæ.* 219 seq.
Oratio pro T. Ann. Milone emendata & illustrata. 461
Orationes Gallice translatæ. 151
loca quædam emendata. 463
ad Tusculanas Disputationes animadversiones. 519
Clarkius (*Sam.*) *Senior, laudatus.* 97 seq.
ejus librorum catalogus. 98
Clarkius (*Sam.*) *junior, laudatus.* 98
ejus in Homerum annotationes. ib.
Claudia, *Francisci I, Regis Galliæ, conjux, in tabula repræsentata.* 244.
Clericus (*Jo.*) *notatus.* 78 seq.
ejus Commentarii in Prophetas laudati. 233 seq.
Clodii (*Jo. Christ.*) *Grammatica Turcica laudata.* 157
de Cocceji (*Sam.*) *vita & scripta.* 541 seq.
Cocci *Polonici generatio explicata.* 168
Codurcus (*Phil.*) *notatus.* 234
Cogitatio *quid sit?* 322
Cogitationes *num sint quæcunque rei in mente repræsentationes.* 326
Ex Coitu *mixto natis coloris Æthiopum vestigia semper remanent.* 65
Colbergius (*Ehregott Dan.*) *notatus.* 78 seq.
Colicæ *flatulentæ & spasmodicæ causa & cura.* 306
Color *ex Æthiope & Europæa natorum quis?* 65
Colorum, *quibus conchæ distinguuntur, catalogus.* 490 seq.
Columbi *in Indias expeditio.* 247
uxor & liberi. 250
honores. ib.
Columbo *Americæ detectæ laus tributa.* 249
Cometæ *A.* 1723 *visi descriptio.* 69
Concha *striata quædam singularis.* 43
Concharum *colores multiplices.* 490 seq.
quot sint genera? 488 seq.
de earum differentiis Diss. 487 seq.

Conciliorum *Ecclesiasticorum catalogus.* 529 seq.
Conferentium *Collegii Lipsiensis historia.* 377 seq.
Conimbricensis *Academiæ historia descripta.* 481 seq.
Conringius (*Herm.*) *notatus.* 87
Conservatio *Dei num sit continuata creatio?* 411
Conspicillorum *usum quis invenerit?* 60
De Contractibus *argumentum juridicum explicatum.* 545
Contractio *musculorum per inflationem a spiritibus negata.* 66
Controversiarum *inter eruditos vanitas monstrata.* 406
Conviciorum *veteribus usitatorum catalogus.* 328
Corneille (*Petr.*) *vita & scripta.* 511
Corpus *quid sit?* 324 seq.
Corporis *humani ejusque partium accurata delineatio promissa.* 526 seq.
temperiem Chemia declarat. 365
Corporum *in lineis curvis descensus & ascensus.* 368
mundi totalium figura a vi gravitatis & motu vertiginis pendet. 316
Corradi (*Q. Marii*) *vita & scripta.* 512
Crenius (*Thomas*) *inter Pseudonymos referendus.* 375
Cribellus (*Leodrisius*) *notatus.* 352
ejus de vita Sfortiæ patris & filii Francisci, Mediolanensium Ducis, Commentarius editus. 351 seq
vita & scripta. 352
Crispi (*Jo. Bapt.*) *vita & scripta.* 512
Criticorum *audacia reprehensa.* 327
Crusii (*Mart.*) *vita & scripta.* 510
Crocotæ *sub Francisco I, Galliarum Rege, quale genus usitatum?* 244
Cujacius *adversus Merillium defensus.* 258
Cultus *divinus qualis esse debeat?* 324
Cuningamius (*Alexand.*) *laudatus.* 517
Curvæ *areæ ad circulum generatorem proportio.* 68
Curvarum *duplicis curvaturæ natura exposita.* 310
Cymbali *amphichordi inventor quis?* 60
omnichordi inventor quis? ib.
Cyri *Chronologia illustrata.* 470
Cyrnæi (*Petr.*) *de bello Ferrariensi Commentarius editus.* 451

D.

Dandarum, *mancipiorum ex Æthiopia, quæ ratio?* 255
de Dangeau (*Lud. Curcillonii*) *vita & scripta.* 511
In P. Daniele *fides notata.* 341
Decembrii (*Petr. Candidi*) *vita Philippi Mariæ, Mediolanensium Ducis, edita.* 401 seq.
vita Francisci Sfortiæ, Mediolanensium Ducis, edita. ib.
in funere Nicolai Picinini Oratio edita. ib.
vita & scripta. 402
Dei *attributa recensita.* 323 seq.
conservatio num sit continuata creatio? 411
cultus qualis esse debeat? 324
essentia in quo consistat? 323 seq.
existentia demonstrata. 322 seq. 410 seq.

Dei

Dei *intellectus & voluntas qualis sit?* 323 seq.
providentia demonstrata. 413
sapientia ex natura operum consideratione cognoscenda. 161
unitas demonstrata. 323 seq.
Delfini (*Petr.*) *vita & scripta.* 511
Democrito *sententia de mortuorum resurrectione asserta.* 172
Dendrites *singularis Schwartzburgicus.* 42 seq.
Denticuli *testarum quid sint?* 495
Diameter *apparens solis in perigaeo.* 68
de Dieu (*Lud.*) *notatur.* 234
ejus vita & scripta. 511
Diluvii *universalitas demonstrata.* 205
De Diluvio *anigmatico Diss.* 281
Dithyrambum *poesi Italicae quis primus intulerit?* 61
Divortium *num ob peccatum Sodomiticum admittendum?* 360 seq.
De Dogmatibus *num Philosophi gentiles inter se disceptaverint?* 470
S. Dominici *Insulae historia descripta.* 246 seq.
Domitiani *Imperatoris numismata.* 6
Doni (*Jo. Bapt.*) *cymbali amphichordi autor.* 60
Dracunculorum *ulcerum examen.* 66
Dramaticae *poeseos emendandae ratio.* 112
exemplum ridiculum. ib.
Drelincurtii (*Car.*) *vita & scripta.* 511
Duckeri (*Car. Andr.*) *Inscriptionum antiquarum Fasciculus.* 149
Dugdalii (*Guil.*) *vita & scripta.* 511
Dujatii (*Jo.*) *vita & scripta.* 512
Dunewaldi *fata descripta.* 7

E.

Eclipses *calculandi nova methodus.* 68
Eclipsis *lunae die 1 Nov. A. 1724 descripta.* 69
Eclipsis *lunaris Cal. Decembr. A. 1732 observata.* 112 seq. 278
solis die 22 Maji A. 1724 descripta. 69
Editiones *quaedam librorum veteres recensita.* 176
Edzardi (*Esdrae*) *Annotationes ad Martini Pugionem Fidei editae.* 460
Eichstadium *quo tempore privilegiis Imperatoriis munitum sit?* 485
Elateris *natura explicata.* 276
Elementa *quid sint?* 325
Elthamensis *horti plantae descriptae.* 241
Emmius (*Ubbo*) *defensus.* 88
De Empirici (*Sexti*) *Philosophia judicium.* 406 seq.
Encrini *descriptio.* 429
Engelhardus (*Nic.*) *refutatus.* 326
Entis *supremi existentia demonstrata.* 407 seq.
Entrochi *descriptio.* 429
Ephemeridum *Latinarum genus optimum.* 468 seq.
Epiploon *minus descriptum.* 226
Erfordiensis *Academiae historia descripta.* 329
Erpenii (*Thomae*) *rudimenta linguae Arabicae recusa.* 383 seq.
Ex Estensium *Principum Annalibus excerpta edita.* 395 seq.
Ethica *gentilium in quo fundamentum habuerit?* 470
De Etrusca *lingua qui bene meruerint?* 61
Ettmülleri (*Mich. Ern.*) *vita & in rem Medicam merita.* 140 seq.
In Etymologici *magni Autorem Observationum specimen.* 520
Eveillonii (*Jac.*) *vita & scripta.* 510
Everhardi (*Nic.*) *vita & scripta.* 512
Eugubinum *Chronicon editum.* 447 seq.

Eumolpidæ *num fœminæ fuerint?* 175
Eusebii *Cæsariensis Historia de Orientalium atque Afrorum anabaptismo in falsis habenda.* 44
Eustathius *Latine versus.* 433 seq.
ejus loca quædam emendata. 518 seq. 435 seq.
vita. 439
Extensio *num detur?* 410
Eyselii (*Jo. Phil.*) *vita & scripta.* 330

F.

Fajus, *Manilii interpres, castigatus.* 470
de Falckenstein (*Jo. Henr.*) *laudatus.* 485
Falcuccii (*Nic.*) *quæ in rem Medicam merita fuerint?* 59
Farnabii (*Thomæ*) *vita & scripta.* 512 514 seq.
Fasciam *latam non esse tendinem musculi, asseritur.* 221
Fee, *antiqua vox, illustrata.* 382
Felicitas *humana in quo consistat?* 412
Fermentationis *vinosæ & acetosæ fundamentum.* 28
De Ferrariensi *bello Commentarius editus.* 451
Finiguerra (*Thom.*) *primus in æs incidere docuit.* 61
Fischeri (*Jo. Andr.*) *vita & scripta.* 330
Fixatio *& volatilisatio acidi vitrioli.* 27
Flibustiarii *vox quid notet?* 252
Florentina *Historia Poggii recusa.* 394 seq.
Florentinarum *rerum Commentarius editus.* 356 seq.
Historia edita. 357
Florentini *quibus inventis nobiles fuerint?* 57 seq.
Annales editi. 441 seq.
Fluidorum *percussio explicata.* 368
Fœtus *bicipitis sectio.* 66
Forolivienfe *Chronicon editum.* 356
du Four (*Phil. Sylv.*) *vita & scripta.* 512
Fourmontii, *Senioris, Operum Catalogus.* 71 seq.
Franciæ *sub Chlodovæo quæ forma fuerit?* 338
Francisci I, *Regis Galliæ, ad Campum panni aurei accessus in tabula repræsentatus.* 244
Franckii (*Aug. Herm.*) *vita & scripta.* 510
Fraternitatis *roseæ crucis quis conditor fuerit?* 376
Fresnæi *Glossarium Latinum denuo prelo subjectum.* 45 seq.
Fresnoji (*Car. Alphonsi*) *vita & scripta.* 510
Frisia *Orientalis num tempore Reformationis accesserit Ecclesiæ Reformatæ?* 89
Fulguris *effectus in quercu fulmine tacta.* 65
Fuo, *verbi antiqui, origo.* 382

G.

Gærtnerus (*Car. Guil.*) *notatus.* 19
refutatus. 544
ejus in Speculum Saxonicum merita. 17 seq.
Gagnerius (*Jo.*) *vitæ Mohammeti editor.* 10 seq.
Galatei (*Ant.*) *vita & scripta.* 512
Galatini (*Petri*) *vita & scripta.* ib.
Galilæus a Galilæis *thermometrorum usum invenit.* 60
usum curvarum in cognitione naturæ primus demonstravit. 367

Gallici *sermonis magnus in Septentrione honor.* 173
Gallorum *in insulam Hispaniolam expeditio.* 252
Garengeoti *errores ab Heistero demonstrati.* 71
Garzonii (*Jo.*) *de dignitate Bononiæ Commentarius editus.* 449 seq.
vita & scripta. ib.
Gebauerus (*Georg. Christian.*) *laudatus.* 521
Gedoyni *versio Pausaniæ passim emendata.* 103 seq.
In Gedoyno *fides & humanitas desiderata.* 107
Gelliani *Collegii Lipsiensis historia.* 377 seq.
De Gellingii (*Mich.*) *libro quodam perditissimo varia.* 460
Gellius (*Aul.*) *a nonnullorum criminationibus defensus.* 176
ejus loca quædam emendata. 327 seq.
In Gellii *Noctes Commentarii editi.* ib.
Gemmæ *veteris, ad Christianum usum exsculptæ, explicatio.* 463 seq.
Generini (*Franc.*) *globum ambulantem primus construxit.* 60
Geneti (*Franc.*) *vita & scripta.* 511
Gentilis (*Alberici*) *vita & scripta.* 510
Gerbasii (*Jo.*) *vita & scripta.* ib.
Germanicorum *Regum & Principum tabulæ Genealogicæ.* 341
Gimma (*Hyacinth.*) *de Florentinis inventis Commentarium meditatur.* 58
Ginglymi *binæ species.* 220
Glandulæ, *in subjectis morbosis repertæ, an in sanis quoque admittenda?* 163
Globum *ambulantem quis primus construxerit?* 60
Golii *Grammatica Arabica accessionibus locupletata.* 383
Gothofredi (*Jac.*) *Opera Juridica minora edita.* 451 seq.
Opuscula Critica promissa. 456
Gradii (*Nic.*) *vita & scripta.* 512
Græciæ *veteris in literas merita.* 373
Græcorum *veterum Latine eruditorum catalogus.* 174
bella descripta. 359 seq.
De Grævii *& Gronovii Thesauris judicium.* 173 seq.
Granaten, *pilas militares, quis primus invenerit?* 60
Gravitatis *theoria uberius exculta.* 368
Greenii (*Rob.*) *testamentum ridiculum.* 328
Gretseri (*Jac.*) *scripta singula recensita.* 181 seq.
Groddeckii (*Gabr.*) *Hexecontas Pseudonymorum Hebraicorum recusa.* 460
De Gronovii *& Grævii Thesauris judicium.* 173 seq.
Gudeni (*Jo. Maur.*) *vita & scripta.* 330
Gudii (*Marqu.*) *Collectio Inscriptionum antiquarum laudata.* 145 seq.
Ex Gypso *quis primus effinxerit mortuorum personas?* 61

H.

Hæmoptyseos *causæ & cura.* 300
Hæmorrhagia *cerebri quæ dicatur?* 302
narium. 300
post partum quomodo sedetur? 66

Hæ-

Hæmorrhagiæ *ab inæqualitate circuitus humorum pendent.* 300
quibus in partibus contingant? 299
ex vasis urinariis diagnosis. 301
Hæmorrhagiarum *uteri causa & cura.* ib.
Hæmorrhoidum *causa & cura.* ib.
Hæresibus *obicem ponit Philosophia.* 76 seq.
Haillanii (*Bernh. Girardi*) *vita & scripta.* 510
Hamelense *Chronicon editum.* 542 seq.
Hardtius (*Herm.*) *refutatus.* 280 seq.
Harenbergii (*Jo.Christoph.*) *Analecta ad Genealogiam Ducum Saxoniæ ante Sec. XIII, & Ducum Brunsuicensium.* 116 seq.
de Hartenfels (*Georg. Christoph. Petri*) *vita & scripta.* 331
Hebræi *veteres num literis operam dederint?* 373
Hebræorum *veterum poesis quæ fuerit?* 238
Hebraismi *ex N. T. relegati.* 415
Heineccii (*Jo. Gottl.*) *de Jureconsultis semidoctis Oratio recusa.* 544 seq.
de Hellwig (*Christoph.*) *vita & scripta.* 330
Helmontii *in imponendis nominibus obscuris vitium.* 366
Henelii (*Nic.*) *Vitæ Episcoporum Uratislaviensium edita.* 21
Henrici *Mirabilis posteri in tabula propositi.* 135
VIII, Regis Angliæ, ad Campum panni aurei accessus in tabula repræsentatus. 244
De Hermete *Trismegisto nihil certi historia habet.* 363
Hermeti *tributa scripta sunt supposititia.* ib.
Hermetis *tabula smaragdina multiplices admittit explicationes.* ib.
Herodoti *locus quidam illustratus.* 104 seq.
vita Homeri edita. 440
Hesselii (*Franc.*) *in Gudianas Inscriptiones merita.* 147
Hesso (*Eobano*) *num mille & quingenti auditores fuerint Erfordiæ?* 330
Hesychii *nova editio promissa.* 520
In Hesychium *Observationum specimen.* ib.
Heumanni (*Christoph. Aug.*) *nova editio Orationis Ciceronis pro Milone laudata.* 461 seq.
Hieronymi *Foroliviensis Chronicon Foroliviense editum.* 356
vita, merita & scripta. ib.
Hippocratis *cognitio anatomica quæ fuerit?* 450 b
Hirtii (*Auli*) *numisma.* 4
Hispaniolæ *insulæ historia descripta.* 246 seq.
Historia *Ecclesiastica, disciplinæ Juris accommodata, desiderata & promissa.* 522
Literaria per compendium exposita. 373
universalis nova edita. 195 seq.
Augustini Calmeti prelo subjecta. 240
Historiæ *Literariæ fragmenta promissa.* 375
universalis Compendium novum. 520 seq.
Historiarum *cognitio quem usum præstet?* 520 seq.
Hodœporicum *Romanum & Neapolitanum editum.* 543

Hoff-

Hoffmanni, (*Maur.*) *vita & scripta.* 512
(*Jo. Maur.*) *vita & scripta.* ib.
Holstenius (*Lucas*) *notatus.* 440
Hombergii (*Guil.*) *vita & scripta.* 510
Homeri *Ilias a Clarckio edita.* 97 seq.
loci quidam emendati. 99 seq. 470
vita edita. 440
Horologiorum *artifices inter Florentinos.* 60
ab Horta (*Garcia*) *vita & scripta.* 481
Horti *Elthamensis plantæ descriptæ.* 241
Hospitalii (*Mich.*) *Carmina denuo edita.* 15
laudata. ib.
Elogia. 16
Huetius (*Petr. Dan.*) *refutatus.* 414
Hugenii *artificium ad aream hyperbolæ eruendam.* 455 b
Hungariæ *nova Notitia Geographica prelo subjecta.* 187 seq.
Hutteni (*Ulr.*) *vita & scripta.* 511
Ad Hyperbolæ *aream eruendam artificium Hugenii.* 459 b
De Hystrice, *symbolo Ludovici XII, Regis Galliæ, Diss.* 382

I.

De Jacouth *Hamatensis Thesauro Geographico judicium.* 53
Jarsiæ *Gornacensis* (*Mariæ*) *vita & scripta.* 512
Jesu *nomen qui olim gesserint?* 281
Ignatii *Epistolæ quem autorem habeant?* 376
Iliaci *mali causa & cura.* 306
De Immortalitate *animorum quid gentiles senserint?* 470
Imperatorum *Romanorum numismata edita.* 1 seq.
Impostorum *doctorum exempla.* 376
Incendiaria *veterum remedia quæ fuerint?* 273
de Indagine (*Jo.*) *vita & scripta.* 331
Indi *quando primum ab Hispanis sub jugum redacti?* 248
ab Hispanis crudeliter tractati. ib.
Infinitum *quid sit?* 322
Inscriptionum *antiquarum nova Collectio Gudiana.* 145 seq.
vetustissima quæ supersit? 375
Interrogationum *in jure quæ sit ratio?* 159 seq.
Interrogatoriæ *actiones quo tempore primum in forum prolatæ?* 158 seq.
De Interrogatoriis *actionibus Edictum illustratum.* 159 seq.
De Inventoribus *rerum scriptores recensiti.* 57
Joannis I, *Regis Lusitaniæ, historia descripta.* 289 seq.
Ferrariensis Excerpta ex Annalibus Principum Estensium edita. 395
vita. 396
Jobi *liber cujus sit argumenti?* 233
Jochii (*Jo. Georg.*) *vita & scripta.* 331
De Jona *ænigmatico Diss.* 280
Jonæ (*Justi*) *vita & scripta.* 330
Irenæus *num Latine doctus fuerit?* 174
Isaacii, *Constantinopolitani Imperatoris, ad Saladinum Epistola.* 56
Italia *Diplomatibus illustrata.* 256
Italiæ *Descriptio edita.* 543
Julia *lex de adulteriis coercendis Commentario illustrata.* 296 seq.
de maritandis ordinibus illustrata. 452 seq.

Digitized by Google

Juliani *Imperatoris versutia descripta.* 454
Junia *Norbana lex qua ætate sit condita?* 297
Junii (*Franc.*), *patris, vita & scripta.* 511
filii, vita & scripta. ib.
S. Justini *Martyris nova editio promissa.* 556 seq.
Justiniani *Constitutio Omnem &c. illustrata.* 544
(*Leonardi*) *in obitum Caroli Zeni Oratio edita.* 349
Juvenalis *(D. Jun.) Satyra XIV illustrata.* 176 seq.
in Danicum sermonem translata. ib.

K.

Keckermannus (*Barthol.*) *refutatus.* 84
Kindervateri (*Jo. Henr.*) *vita & scripta.* 331
Kœnig (*Jo. Ulr.*) *scripta Besseri edidit.* 136
laudatus. 136 seq
Koolii (*Jo.*) *in Gudianas Inscriptiones merita.* 147
Kusterus (*Lud.*) *notatus.* 438

L.

Labiorum *musculi plures.* 228
Laborarii (*Jo.*) *vita & scripta.* 510
Lactantii *in Theologia errores.* 172
nomen unde? 373
Lamberti *Schaffnaburgensis continuator quis fuerit?* 330
Lanam *tingere colore hyacinthino quis primus docuerit?* 59
Lanificii *magnus apud veteres honor.* 174
a Lapide (*Hippolythi*) *sub nomine quis lateat?* 375
Lapis *Bernensis ad Phosphoros spectat.* 67
viridis ex insula Martinica contactu epilepsiam arcens. 65
De Laryngis *musculis varia.* 271
a Lasco (*Jo.*) *historiæ sciagraphia.* 89
Lasenæ (*Petr.*) *vita & scripta.* 511
Latinæ *linguæ neglectus hodiernus reprehensus.* 468
usus publicus quando cessaverit? 374
De Latronibus *famosis investigandis Diss.* 455
de Laval *versio Ciceronis Epistolarum ad M. Jun. Brutum notata.* 211 seq.
Launæi (*Franc.*) *vita & scripta.* 510
Legis *Regiæ quæ sit in Imperio Germanico autoritas?* 293
Leichneri (*Eccardi*) *vita & scripta.* 330
Lemmata *capitum a quo primum usurpata?* 176
Lenfant (*Jac.*) *refutatus.* 305
De Leoninis *versibus Diss.* 382
Leopoldi *M. Imperatoris historia descripta.* 6 seq.
character ac mores descripti. 7 seq.
Lepidi *Triumviri numismata.* 4
Lexicorum, *disciplinas tradentium, usus.* 448 b
In Libanii *VI Orationes Commentarii.* 454
Libertas *animi humani in quo consistat?* 412
De Libris *posthumis varia.* 375
Librorum *novorum cur tanta hodie copia prodeat?* ib.
summæ raritatis catalogus. ib.
Ligorii (*Pyrrhi*) *Commentarii Antiquitatum laudati.* 148
Liquoris *quantitatem, dolio non pleno,*

rio, situm horizontalem habente, contenti, indagandi methodus geometrica. 454 b

Liquorum *in tubulis capillaribus ascensus theoria.* 65

Literaria *Historia per compendium exposita.* 373

Literariæ *Historiæ fragmenta promissa.* 375

Literarum *instaurationis Sec. XIV quæ causa?* 374

Longini (*Dionysii*) *de Sublimitate liber denuo prelo subjectus.* 44 seq.

nova editio. 538

loca quædam emendata. 539

Lucanus *emendatus.* 438

Ludolfi (*Jobi*) *vita & scripta.* 330

Ludorum *scenicorum origo & progressus.* 111

Lullius (*Raymundus*) *jecit fundamenta sapientiæ theosophicæ.* 364

De Lumbricalibus *musculis, varia.* 273

Lunæ *eclipsis d.* 1 *Novembr. A.* 1724 *descripta.* 69

Cal. Decembr. A. 1732 *observata.* 112 seq. 278

Lünig (*Jo. Christ.*) *laudatus.* 256

Lusitanorum *sub Rege Joanne I expeditiones bellicæ.* 291 seq.

Lutherus (*Mart.*) *odio prosecutus est aliquando Philosophiam.* 81

defensus. 245

ejus vita Erfordiæ acta. 331

Lydiati (*Th.*) *vita & scripta.* 511

M.

Majoris (*El.*) *de Versibus leoninis Diss. recusa.* 382

Mannetti (*Jannotii*) *Chronicon Pistoriense editum.* 357 seq.

scripta. 358

vita edita. 396 seq.

Manilii *locus quidam emendatus.* 470

Mannius (*Dominic. Maria*) *notatus.* 62

de Florentinis Restitutionibus Commentarium meditatur. ib.

Mantuanæ *urbis historia edita.* 397

Margalli (*Petr.*) *vita & scripta.* 483

Mariæ *Virginis imago in gemma.* 464

Marii (*Caji*) *Pro-Triumviri numisma.* 5

Maroti (*Clem.*) *vita & scripta.* 511

(*Jo.*) *vita & scripta.* ib.

de Marsigli, (*Lud. Ferd.*) *Comitis, vita, gesta & scripta.* 282 seq.

inter Turcas gesta. 194

Ad Martini (*Raymundi*) *Pugionem Fidei Annotationes editæ.* 460

Martis *solutio in alcali.* 28

Matrimonii *finis primarius.* 361

Mechtildis, *Alberti Magni filiæ, sigillum.* 136

In Medicina *usus observationum.* 549

Medicinæ *ambitus doctrinam de universo omnem sub se comprehendit.* 448

Medicorum *in S. Scripturam merita.* 282

Mediobarbi (*Franc.*) *Imperatorum Romanorum Numismata denuo edita.* 1 seq.

erroribus purgata. 3

Mediolanensis *Senatus Historia Literaria promissa.* 354

Historia Billii edita. 343 seq.

Meibomius (*Marc.*) *notatus.* 234

Meieri (*Jo. Henr.*) *vita & scripta.* 330

Menckenii (*Jo. Burch.*) *Epistolarum & Poematum Campani editio laudata.* 350

Menckenius (*Frid. Otto*) *novam vita*

tæ Brachianæ Campani editionem meditatur. 350 *seq.*
Mentis *& corporis unio asserta.* 325
Merillii (*Edmundi*) *Opuscula edita.* 258
de tempore in studio Juris prorogando Oratio recusa. 544
Merovingicorum *Regum res gestæ descriptæ.* 338
Merula (*Paul.*) *falso primus Willerami editor creditus.* 30 *seq.*
Mesembryanthemon *novum plantarum genus.* 242
Metacarpius *musculus novus.* 221
Meteorico-athmosphærici *regni status explicatus.* 28
Meteorologicæ *Observationes in monte S. Gothardi & Tiguri institutæ.* 43
Meyfarti (*Jo. Matth.*) *vita & scripta.* 330
Militum *eruditorum exempla.* 348. 354. 443. 447
Minoris (*Claudii*) *vita & scripta.* 510
Minutius *Felix emendatus.* 470
Miraculorum *possibilitas demonstrata.* 325
Mischnicorum *Doctorum Historia edita.* 460
Mohammetus *quomodo vocationem suam manifestaverit?* 13 *seq.*
ejus vita descripta. 10 *seq.*
iter nocturnum, Mecca Hierosolymas susceptum. 12
Molere *farinam in sicco quis primus docuerit?* 60
Molinaris (*Jo.*) *Descriptio Italiae edita.* 543
Moltherus (*Menradus*) *primus Willerami editor.* 29 *seq.*
Monachorum *mores castigati.* 33
Monantholii (*Henr.*) *vita & scripta.* 510
De Monosyllabicis *vocibus in poesi Germanica Diss.* 139 *seq.*
de Montagne (*Montani Mich.*) *vita & scripta.* 511
de Montaldo (*Ad.*) *de Laudibus familiæ de Auria Opusculum editum.* 450 *seq.*
Montfauconius *notatus.* 245
Moratæ (*Olymp. Fulv.*) *vita & scripta.* 511
Moronus (*Car.*) *magnam Inscriptionum Collectionem meditatur.* 148
Ad Motum *planetarum explicandum Cartesii vortices non sufficiunt.* 317
Motus *existentia demonstrata.* 410
planetarum per leges attractionis a Newtono explicatus. 318
De Mulieribus *velatis Diss.* 455
De Mundi *origine variæ veterum sententiæ.* 198 *seq.*
Mundus *quid sit?* 324
num sit æternus? ib.
corporeus? ib.
infinitus? ib.
Muniendi *methodus Vaubaniana perfecta.* 458
Contra Mures, *agros vastantes, actio instituta.* 176
Musæus (*Jo.*) *laudatus.* 84
Musculi *labiorum plures.* 228
recti vagina a tendine oblique ascendentis. 264
De Musculis *laryngis varia.* 271
lumbricalibus varia. 273
De Musculorum *doctrina Observationes.* 263 *seq.*
Musculorum *denominationes.* 274
quæ optima? 215

Muscu-

Musculorum *variorum ad producendum motum concussus.* 221
accuratior descriptio. 222
usus accurate investigatus. 224
Musculus *accessorius flexoris longi digitorum pedis descriptus.* 221
metacarpius novus. ib.
Musicis *instrumentis chordis obducendis qua figura conveniat?* 70

N.

Naldii (*Naldi*) *vita Jannotii Manetti edita.* 396 *seq.*
eruditio & scripta. 397
Narium *hæmorrhagia.* 300
Natura *quid sit?* 488
In Naturæ *regnis principiorum convenientia.* 28
Navium *stereometria.* 68
Nepotis *locus quidam emendatus.* 175
S. Neri (*Philippus*) *autor Archiconfraternitatis SS. Trinitatis assertus.* 294 *seq.*
Nervi *intercostalis origo indicata.* 225
Neubaueri (*Christ.*) *vita & scripta.* 331
Nicolai (*Jo.*) *vita & scripta.* 510
Nicotianæ *vocis origo.* 246
Nigettus (*Franc.*) *cymbali omnichordi inventor.* 60
Ex Nigri (*Petri*) *Stella Messiæ specimina edita.* 460
Nitri *mixtionis destructio per deflagrationem.* 28
Noachus *num fuerit Sinensium Imperator ac Philosophus?* 206 *seq.*
In Nominibus *imponendis barbaris error Paracelsi.* 366
obscuris Helmontii vitium. ib.
Nominum *singularis apud veteres honor.* 174
Noodtii (*Gerb.*) *vita & scripta.* 512
Nordgaviensium *Antiquitatum Codex Diplomaticus editus.* 484 seq.
Nordhemenses *Comites unde stirpem ducant?* 132 *seq.*
Numisma *Auli Hirtii.* 4
C. Fonteji Capitonis. 5
C. Marii Pro- Triumviri. ib.
Domitiani Imperatoris. 6
Domitii Calvini. 4 seq.
Lepidi Triumviri. ib.
Pompeji M. 3 seq.
Valentiæ. 4
Numismata *Imperatorum Romanorum edita.* 1 seq.
Nummorum *vetustissimus quis superstit?* 375
Nunnesii (*Petri*) *vita & scripta.* 483

O.

Observationum *in Medicina usus.* 549
De Oculi *structura variæ observationes.* 227
Omeisii (*Magni Dan.*) *de Symbolo Heroico Diss. recusa.* 382
Operarum *origo & progressus.* 111
Opinionum *diversitas ex ingeniorum varietate oritur.* 365
Orbis *Descriptio vetusta evulgata.* 447 b
Ordines *Imperii simul sumti num sint Imperatore superiores?* 293
num soli majestate gaudeant? 294
Origenes *unde duxerit nomen Adamantii?* 373
Orphanotrophii *Halensis institutum minime novum.* 172 seq.
De Oscillationis *centro theoria.* 368
Ossium *cavitates triplicis generis.* 220
ligamenta capsularia. 221

Ossium *recentium cognitio æque ac siccorum necessaria.* 214
structura explicata. 220
Otthonis (*Jo. Henr.*) *Historia Doctorum Mischnicorum edita.* 460
Otto (*Ever.*) *ab Anonymo vehementer impugnatus.* 191 seq.
ejus Thesaurus Juris commendatus. 47 seq.
Ottomannici *Imperii status militaris descriptus.* 193 seq.
Ovidii *locus quidam emendatus.* 438
Oweni (*Jo.*) *vita & scripta.* 512

P.

Paben (*Acacii Hulsii*) *Hodæporicum Romanum & Neapolitanum editum.* 543
De Pactis *argumentum juridicum explicatum.* 545 seq.
De Paganorum *sub Imperatoribus Christianis statu Diss.* 456
Palearii (*Aonii*) *vita & scripta.* 511
Palmerii (*Matth.*) *de captivitate Pisarum Commentarius recusus.* 344 seq.
Pancreas *minus descriptum.* 226
Panvinii (*Onuphr.*) *vita & scripta.* 512
Paracelsi *in imponendis nominibus barbaris error.* 366
Paradisi *terrestris situs qualis fuerit?* 204
Parisiensis *pharmacopœa.* 261
Parmenidis *philosophia a Telesio instaurata.* 553
Particularum *expletivarum quæ in Homero vis sit?* 99
In Pathologia *Chemiæ usus.* 365
De Patrum *eruditione Theologica quid sentiendum?* 374
Pausaniæ *Descriptio Græciæ Gallice translata.* 102 seq.
loca quædam emendata. 103 seq.
de Pauw (*Jo. Corn.*) *in aliquot Inscriptiones Gudianas Annotationes promissæ.* 149
In Peccato *originali status hominis expositus.* 326 seq.
Pecuniæ *signatæ usus rarus fuit in Germania adhuc Sec. XIV.* 486
Penis *musculus transversus descriptus.* 266
Percussio *fluidorum explicata.* 368
Peritonæi *duplicatura qualis?* 225
Persii (*Ascanii*) *in primum Iliadis Homeri librum Index editus.* 439
Personæ (*Christoph.*) *vita & scripta.* 510
(*Gobelini*) *vita & scripta.* ib.
Phænomenon *singulare in plaga cœli boreali observatum.* 228
Pharmacopœa *Parisiensis.* 261
Philippi Mariæ, *Mediolanensium Ducis, vita edita.* 401
Philologi *Bibliotheca qualis esse debeat?* 173
Philosophi *gentiles num de dogmatibus inter se disceptaverint?* 470
Philosophia *obicem ponit hæresibus.* 76 seq.
num ancilla Theologiæ vocanda sit? 82
ejus cum Theologia vinculum. 84 seq.
Philosophici *studii usus.* 555
Philostorgii *Cappadocis Historia Ecclesiastica edita.* 456 seq.
Phlogisti *præsentia & efficacia in plurima corpora.* 27
Piæ *matris duplicatura.* 227
Piccolominæi (*Jac.*) *vita & scripta.* 511
Picinini (*Jac.*) *rerum gestarum historia edita.* 392 seq.
(*Nic.*) *gesta descripta.* 401 seq.

Pietistæ *cum Cynicis comparati.* 329
Pilarini (*Jac.*) *vita & scripta.* 510
Pilorum *cavitas asserta.* 162
Pinelli (*Gabr.*) *vita & scripta.* 510
Pingendi *sericum ex utraque parte artem quis primus ostenderit?* 60
Pipini *in occupando Franciæ Regno artes adhibitæ.* 338 seq.
Pistoriense *Chronicon editum.* 357 seq.
Pitsei (*Jo.*) *vita & scripta.* 511
Placentæ *vasa quale fluidum vehant?* 162
Placentini *Annales editi.* 398
Plagii *literarii exemplum.* 355
Planetarum *motus per leges attractionis a Newtono explicatus.* 318
ad eorum motum explicandum Cartesii vortices non sufficiunt. 317
Plantæ *ex aere magnam suæ mixtionis partem hauriunt.* 28
horti Elthamensis descriptæ. 241
Platinæ (*Barth.*) *vita* Nerii *Capponii edita.* 396 *seq.*
Historia Mantuana recusa. 397 seq.
prænomen. 398
Plinii *loca quædam emendata.* 487
Plutarchus *contra Lavalium defensus.* 211
ejus Vitæ parallelæ recens editæ. 385 seq.
loca quædam emendata. 387 seq.
Poeseos *dramaticæ emendandæ ratio.* 112
exemplum ridiculum. ib.
Poesis *Hebræorum veterum quæ fuerit?* 238
sacra & profana commendata. 111
De Poetarum *dictis in N. T. occurrentibus Diss.* 281
Poggii (*Franc.*) *Historia Florentina recusa.* 394 seq.
in literas merita. 395
de Polde (*Jo.*) *Chronicon Hamelense editum.* 542
Polemicæ *Theologiæ nomen parum pium.* 173
Politi (*Alex.*) *in Eustathium merita.* 434 seq.
Versio Eustathii laudata. 436
Politianus (*Ang.*) *primus dithyrambum poesi Italicæ intulit.* 61
Poloni (*Mart.*) *vita & scripta.* 510
Polonici *cocci generatio explicata.* 168
Pompeji *M. numisma.* 3 seq.
De Pontificatu *maximo Diss.* 455
Porcellii *Commentarii Comitis Jac. Picinini editi.* 392 seq.
vita & scripta. 393 seq.
Pori *in tunica cornea conspicui.* 227
Porticus *Pauli a quo refecta?* 4
Præcedentiæ *jura illustrata.* 453
Precari *quomodo consueverint Christiani veteres?* 464
Preces *Ethnicorum quomodo fuerint comparatæ?* 172
Propertii (*S. Aur.*) *locus quidam emendatus.* 382
Prophetæ *V. T. Commentario illustrati.* 233 seq.
Providentia *divina demonstrata.* 413
Psalterium *Latinum MStum.* 281
Pseudonymorum *exemplum.* 375
Puffendorfius (*Sam. Frid.*) *notatus.* 88
Pyramides *unde appellatæ?* 209
Pyrrhonismus *quid sit?* 404 seq.
moralis quid sit? 410
Pyrrhonismi *veteris & recentioris historia descripta.* 402 seq.

Q Quin-

Q.

Quintiliani *locus quidam emendatus.* *515* seq.

R.

Rabbus (*Petr.*) *refutatus.* 282

Razzenbergii (*Matth.*) *vita & scripta.* 330

de Redusiis (*Andr.*) *Chronicon Tarvisinum editum.* 354

vita & res bellicæ descriptæ. ib.

Regulæ *Juris antiqui diversæ illustratæ.* 456

Reimannus (*Jac. Frid.*) *accusatus & defensus.* 82

Religionis *in societatem qualis sit influxus?* 413

Remediorum *Chemicorum præstantia.* 366

de Repgow (*Epkonis*) *Speculum Saxonicum denuo editum & illustratum.* 16 seq.

De Resurrectione *mortuorum sententia Democrito afferta.* 172

Reticula *ossea in ossibus turbinatis narium reperta.* 67

Rheumatismi *& Arthritidis differentiæ.* 308

odontalgici sedes & cura. ib.

De Rhythmis, *sive homioteleutis poeticis, Diss.* 382

Richelet (*Petri*) *Lexicon Gallicum denuo prelo subjectum.* 558 seq.

Riedlini (*Georg.*) *vita & scripta.* 511

de Ripalta (*Ant. & Alb.*) *Annales Placentini editi.* 398 seq.

(*Ant.*) *fata nonnulla.* 399 seq.

(*Alb.*) *doctrina & in literas merita.* 400

Rolefinckii (*Wern.*) *Fasciculus temporum multos olim amatores habuit.* 374

Rorem *non ex cœlo decidere, sed ex plantis exsudare, asseritur.* 277

Rotrou (*Jo.*) *vita & scripta.* 511

Ruccellai *primus docuit lanam tingere colore hyacinthino.* 59

Rainarti (*Theodorici*) *Historia Persecutionis Vandalicæ recusa.* 420 seq.

vita. 421

Russi *unde dicti?* 208

Ruytschii (*Friderici*) *vita & in rem medicam merita.* 505 seq.

S.

Sacerdotum *inter veteres singulares prærogativæ.* 173

Saladini (*Almalichi Alnasiri*) *vita descripta.* 49 seq.

nomina & horum significatus. 50

nativitas, dotes & mores. 54

res gestæ. ib.

contra Francos bellum sacrum. 55

Sal *calcis productum.* 67

purgans Hispanicum. ib.

Salis *in aqua successiva solutio experimentis probata.* 67

Salium *acidorum mineralium diversa fixitas.* 28

De Saltatione *veterum & recentiorum, in spectaculis usitata, varia.* 111

Sanderi (*Ant.*) *vita & scripta.* 510

(*Nic.*) *vita & scripta.* 511

Saraceni *unde dicti?* 208

Sardini (*Ant. Mar.*) *in Eustathium Observationes editæ.* 439

Savilii (*Henr.*) *vita & scripta.* 511

Saxii (*Josephi Ant.*) *ad Argelatum Epistola edita.* 353

Saxoniæ *Ducum ante Sec. XIII Genealogia illustrata.* 116

Saxonum *veterum quales leges fuerint?* 17

Sbara-

Sbaragliæ (*Jo. Hieron.*) *vita & scripta.* 510
Schaffgotschianæ *gentis in Silesia singularis splendor.* 24
Scholarum *Italiæ & Hispaniæ status non optimus.* 374
Piarum Ordinis autor quis? 433 seq.
Schwartzburgici *Alabastri enumerati & illustrati.* 41 seq.
Schwartzius (*Jo. Conr.*) *refutatus.* 431 seq.
Sciatericorum *per analysin triangulorum delineandorum methodus.* 456 b
delineandorum methodi geometricæ difficultates. ib.
Scoti (*Mich.*) *vita & scripta.* 511
Scriptores *librorum in tres classes distributi.* 375 seq.
Scriptorum *hujus seculi Catalogus.* 374
sacrorum cum profanis comparatio. 415 seq.
Scripturæ *Francicæ ratio.* 239
Sacræ versiones enumeratæ. 62 seq.
loca explicata, aut illustrata:
Gen. I, 1. 203
II, 24. 173
III. 204
IX, 27. 207
XXXII, 25. 281
XXXV, 20. 282
Num. XVI, 22. 203
XXIV, 24. 207
1 *Sam.* XV, 19. 384
1 *Reg.* VI, 1. 196
2 *Reg.* XIX, 12. 204
Prov. XVI. 4. 235
XVIII, 8. 384
22. 281
XIX, 14. ib.
Prov. XXVI, 22. 384
XXX, 8. ib.
Eccles. X, 7. ib.
XII, 12. 235
Cant. Cant. II, 3. 236
Hiob. I, 9. 234
II, 3. ib.
III, 3, 11. ib.
V, 26. 384
VII, 6, 9. 234
X, 19. ib.
XIII, 12. 384
15. 234
XIV, 12. ib.
XV, 4. ib.
XVI, 15. 205
22. 234
XIX, 25, 26, 27. ib.
XXIV, 18 - 21. ib.
XXXI. ib.
XXXV, 15. ib.
XXXVII, 7. 204. 234
XXXVIII, 3. 233
XXXIX, 31, 32. ib.
XLII, 7, 14. 234
Psalm. II. ib.
XXII. ib.
XLV. ib.
LXXIX, 15. 295
LXXXVIII. 234
CIV, 29, 30. 202
CX. 235
CL. 238
Jes. II. 236 seq.
22. 237
VII, 14. ib.
IX, 6. ib.
XI, 1. ib.
XXVIII, 18 384
XXXV, 7. ib.
XXXVII, 12. 204
XLIV, 19. 384
LIII. 237

 Jer.

Jer. X, 13. 384
XXXI, 10, 22, 26. 237
XXXVI, 3. ib.
XLIX, 23. 57
Ezech. IV, 4, 5, 6. 197
XXVII, 23. 204
Amos VI, 2. 57
Habac. I, 9. 384
Zach. X, 1. ib.
Matth. I, 1. 417
III, 17. 236
VI, 7. 72
64. 417
VII, 9. ib.
IX, 17. 418
X, 29. 417
XVII, 5. 236
XIX. 416
XX, 1-16. ib.
XXI, 1. 2. 416 seq.
15, 16. 417
XXVI, 59-61. ib.
69. 415
Marc. XIV, 3. 417
XV, 7. 415
Luc. I. 417
II, 29. 282
III, 36. 206
VII, 28. 417
VIII, 27. ib.
32. ib.
X, 41, 42. ib.
XI, 7. 173
11, 12. 417
XIV, 28-30. ib.
XX, 42. ib.
XXII, 44. ib.
XXIII, 15. ib.
46. ib.
Job. I-XVIII. 68
VII. 416
8. 418
34. ib.
Job. VIII, 3, 4, 5. 417
IX, 2. 203
Job. XII, 28. 236
XIII, 2-5. 417
Actor. XIII, 14. ib.
18. ib.
36. ib.
XVI. 173
XVII, 28. 281
XIX, 9. 282
XXIV, 3. 417
Rom. VIII, 34. ib.
1 Cor. XI. 455
XV, 31. 417
33. 281
2 Cor. IV, 6. 417
VII, 1. 416
Gal. I, 2. 418
II, 5. ib.
VI, 17. 415
Eph. IV, 8. 235
VI, 16. 417
Phil. II, 30. ib.
Col. I, 9-12. ib.
II, 1-3. ib.
12. ib.
III, 18-fin. 416
1 Thess. II, 10-12. 417
V, 15. 281
2 Thess. I, 6. 417
2 Tim. V, 8. 282
18. ib.
Tit. I, 12. 281
2 Petr. III, 11, 12. 417
Hebr. X, 19-25. ib.
XI, 4. ib.
XIII, 7. ib.
Ep. Jud. 2. 282
9. 417
Jac. IV, 15. ib.
Apoc. I, 5. ib.
V, 14. ib.
XIII, 11. 281
XIX, 7. 282
XXI. 416
XXII, 1-5. 416

Scu-

Digitized by Google

Scuderiæ (Magdal.) vita & scripta. 511
Scuderii (Georg.) vita & scripta. ib.
Seberi (Wolfg.) Index vocabulorum Homeri editus. 440
Secundi (Jo.) vita & scripta. 512
de Segrais (Jo. Renaldi) vita & scripta. 511
Semioticæ Chemiæ usus. 366
Senenses Annales editi. 349
Senensis Historia edita. 391 seq.
Sennerti (Dan.) vita & scripta. 510
Sfortiæ, Mediolanensis Principis, vita edita. 351
(Franc.) Mediolanensis Ducis, vitæ pars edita. ib.
vita edita. 401 seq. 444
Sidneji (Phil.) vita & scripta. 511
Silesiacarum gentium quarundam Genealogiæ. 23
De Silesiæ Formula Scriptor Anonymus editus. 543
Simonetæ (Jo.) vita Franc. Sfortiæ edita. 444 seq.
vita & scripta 445
Epitaphium. 446
In Sinensem literaturam merita Fourmontii. 74 seq.
Sinensium Observationes Astronomicæ. 164 seq.
De Sinensium sapientia quid sentiendum? 374
Sinica Lexica duo. 210
Sinicæ origines illustratæ. ib.
De Sinicæ linguæ inter Europæos origine & progressu Diss. 209
Smithi (Jo.) vita & scripta. 236
Socratis vita & scripta. 359
Sodomiticum peccatum num matrimonium solvat? 360 seq.
a Soldo (Christoph.) Annales Brixiani editi. 446 seq.
vita. 447
Solis diameter apparens in perigæo. 68
eclipsis d. 22 Maji A. 1724 descripta. 69
Solœcismi ex N. T. regelati. 415
a Sommersberg (Frid. Guil.) Annales Silesiæ editi. 24
in Henelii Historiam Episcoporum Uratislaviensium merita. 22
Du Soulius refutatus. 386 seq.
Spartanorum Respublica descripta. 359 seq.
Spatium quid sit? 202
Spatii notio distincta num detur? 198
Spectaculorum veterum varia genera enumerata. 111
De Spectris quid sentiendum? 172
Speculum Saxonicum laudatum & vindicatum. 21
ejus editiones variæ. 18
usus hodiernus. 20
Sphincteres ani tres recensiti. 226
de Spina (Petri), Senioris, vita. 90
Junioris, vita. ib.
Spiritus (Jac.) vita & scripta. 511
Spurii in Republica illustres. 172
Stahlii in Chemiam merita. 25
Statius emendatus. 438. 469. 516. 517
Steckius (Jo.) refutatus. 453
Stellæ marinæ descriptio. 425
quinque radiorum coloris violacei anatome. 429
Stellarum figuræ variæ possibiles. 319
marinarum historia. 422
usus in Medicina. 428
Stengeri (Nic.) vita & scripta. 330
Stereometria navium. 68
Stieleri (Casp.) vita & scripta. 330

Strabo *emendatus.* 438
Strato *Lampsacenus num Spinozistis sit annumerandus?* 200
Striæ *testarum quid sint?* 495
Suetonii *locus quidam emendatus.* 452 seq.
Sulphuris *genesis artificialis declarata.* 27
resolutio per subtile acidum salis. 28
Sunnæ *Specimen promissum.* 288
Suspendii *honorifici exempla* 174 seq.
Sydenhamii (*Thomæ*) *vita & scripta.* 511
de Syghen (*Nic.*) *vita & scripta.* 330
Sylvii *sive du Bois* (*Steph.*) *vita & scripta.* 511
De Symbolicis *præceptis Diss.* 383
De Symbolo *heroico Diss.* 382
Symphyseos *species.* 220

T.

Tabac *vocis origo.* 246
Tabula *Hermetis smaragdina multiplices admittit explicationes.* 363
Taciti *locus quidam emendatus.* 431 seq.
Tarvisinum *Chronicon editum.* 354
Taubmanni (*Frid.*) *vita & scripta.* 511
Telesii (*Bernardini*) *vita & philosophia illustrata.* 551 seq.
Tertulliani *Libri duo ad Nationes editi.* 456
Testamenti *Novi stilus qualis?* 416 seq.
in capita & versus distinctio inconveniens. 416
lectionum variantium quot sint genera? 417
singularis exemplum. 328
Ad Theodosianum *Codicem Commentaria Gothofredi.* 457 b
ejus nova editio promissa. 559 seq.
Theologiæ *cum Philosophia vinculum.* 84 seq.
Polemicæ nomen parum pium. 178
Theosophicæ *sapientiæ autor Arnoldus Villanovanus.* 364
fundamenta jecit Raymundus Lullius. ib.
Thermometrorum *usum quis invenerit?* 60
De Thesauri (*Eman.*) *Præceptis symbolicis Diss.* 383
Thieullier (*Lud. Jo.*) *notatus.* 550
Thymus *pro pulmone succenturiato in infantibus habetur.* 162
Tillemontii (*Sebast. Nani*) *vita & scripta.* 511
Tolandus (*Jo.*) *refutatus.* 281
Torricellii (*Evangelistæ*) *vita & scripta.* 510
Trajanus *a tyrannidis in Christianos crimine defensus.* 172
Trapezuntii (*Georg.*) *vita & scripta.* 510
Trew (*Christoph. Jac.*) *distincta Delineatio omnium partium corporis humani promissa.* 526 seq.
De Trismegisto (*Hermete*) *nihil certi Historia habet.* 363
Trotzii (*Christ. Henr.*) *in Opera Juridica Gothofredi merita.* 452 seq.
Opusculorum Wachtlerianorum editio prelo subjecta. 448 b
De Tubæ *palati atque pharyngis musculis varia.* 268 seq.
Tubalchain *num primus Chemicus fuerit?* 363
Tumores *in ulmorum foliis enati ab insectis formantur.* 66
Tumoris *aneurismatici & polyposi in aorta descriptio.* 70
Tumulus *quidam sepulchralis charact-*

racteribus incognitis notatus. 115 seq.
Turbinitarum *pollex crassus Schwarzburgicus.* 42
Turcicæ *linguæ Grammatica nova.* 156 seq.
Tyndalii *vita & scripta.* 526

V.

Valentia *quæ urbs sit in nummis?* 4
Valentinus (*Basil.*) *primus Chemiam ad Medicinam applicuit.* 365
num Erfordiæ vixerit? 331
Vallisnierii (*Ant.*) *vita & scripta.* 511
Vandalicæ *persecutionis Historia edita.* 420 seq.
Vaubaniana *methodus muniendi perfecta.* 458
Velleji *Paterculi loca quædam emendata.* 432
Venarum *lactearum classes quatuor.* 226
Venetæ *Reipublicæ qualis olim status fuerit?* 340 seq.
Verrochi (*Andr.*) *mortuorum personas ex gypso primus effinxit.* 61
De Versibus *leoninis Diss.* 382
De Versuum *ludicris nonnullis generibus Diss.* ib.
Vesicæ *dolorum causa & cura.* 307
Vestes *a summo ad imum plicis multis plicatas gestandi mos.* 244
Vesli (*Justi*) *vita & scripta.* 330
Vicorum *veterum conditio & jura.* 454
Victoris *Vitensis de persecutione Vandalica Opusculum editum.* 420
Victorius (*Petr.*) *refutatus.* 439
ejus ad Bened. Varchium Epistola edita. 440
Videlii (*Lud.*) *vita & scripta.* 510
Vigenerii (*Blas.*) *vita & scripta.* 511
Villanovanus (*And.*) *autor sapientiæ Theosophicæ.* 364
de Villefore *Orationum Ciceronis versio Gallica notata.* 153 seq.
Virgilii *loca quædam emendata.* 469. 517
Vitri *boni a malo differentia.* 67
Vlamingii (*Petri*) *in Carmina Hospitalii merita.* 15
Ulma *per Lotharium Saxonem destructa.* 331
Conradum Suevum instaurata. ib.
Ulpianus *defensus.* 454
Ulyssipponensis *prima fuit Academia in Lusitania.* 481
Unguium *origo a tendinibus asserta.* 162
Ungulæ *hyperbolicæ ex cono resectæ soliditas quomodo eruatur?* 454 b
Unio *mentis & corporis asserta.* 325
Volatilisatio & *fixatio acidi vitrioli.* 27
Vomitus *cruenti sedes ventriculi vasa brevia.* 300
Vortices *Cartesii ad explicandum motum planetarum non sufficiunt.* 317
Uratislaviensium *Episcoporum series.* 22
Urbanitatis *maxime studiosi fuere veteres.* 174
Urethræ *musculus transversus descriptus* 266
Uteri *hæmorrhagiarum causa & cura.* 301
Uterus *a pedibus infantis perforatus.* 66

W.

Wæchtleri (*Christfr.*) *vita & in Jurisprudentiam merita.* 91 seq.
Wæchtleriana *Opuscula edita.* 448 b
Warnerus (*Levin.*) *laudatus.* 49
Wartoni (*Henr.*) *vita & scripta.* 511

Weis-

Weissenburgum *Noricorum quo tempore ad libertatem adspiraverit?* 485
Welserorum *familia coloniam in provinciam Venezuelam duxit.* 251
Wigandi (*Andr.*) *vita & scripta.* 330
Wilibaldus, *Ecclesiæ Aichstetensis conditor, quo anno mortuus sit?* 480
de Willerami *Paraphrasteos in Canticum Canticorum prima editione Observatio.* 28
Willisii (*Th.*) *vita & scripta.* 511
Wittikindus *Ducum Saxoniæ autor.* 116 seq.
ejus posteri enumerati 117 seq.
Wolffianæ *Philosophiæ contra Atheos usus singularis.* 555
persecutionis historia. 556
Wolffius (*Christ.*) *laudatus.* 83
ejus in scribendo cautio & solertia. 554 seq.
de ejus scriptis Germanicis varia. 553 seq
Wolfii (*Jo. Christoph.*) *Bibliotheca Hebraica realis promissa.* 461
Wollii (*Christoph.*) *versio Latina Criticæ Sacræ Blackwalli promissa.* 420
Woolstoni (*Thomæ*) *vita & scripta.* 523 seq.
Wybo (*Jo.*) *notatus.* 362

Y.

Yabulani *radix serpentibus adversa.* 65

Z.

Zeni (*Car.*) *vita edita.* 346 seq.
res gestæ. 347
in doctrinam merita. 348.
mortis annus. ib.
(*Jac.*) *vita Car. Zeni edita.* 346 seq.
vita & scripta. 348
Zerneckii (*Jac. Henr.*) *vita & scripta.* 177 seq.
Zwingliani *defensi.* 245

EMENDANDA.

Pag. 6 *lin.* 26 pro *subjungisset* legendum *subjunxisset*; *p.* 8 *l.* 8 pro *sciribere* leg. *scribere*; *p.* 24 *l.* 4 pro *tiam* leg. *etiam*; *p.* 56 *l.* 16 pro *contractio* leg. *contracto*; *p.* 59 *l.* 2 pro *Summa* leg. *summa*; *ib. l.* 3 pro *jucundior* leg. *jucundiores*; *p.* 60 *l.* 8 pro *ut* leg. *quam ut*; *ib. l.* 33 pro *Baptistum* leg. *Baptistam*; *p.* 66 *l.* 9 pro *duo* leg. *duæ*; *ib. l.* 10 pro *duo truchiæ* leg. *duæ tracheæ*; *ib. l.* 15 pro *oculorum* leg. *ovulorum*; *p.* 70 *l.* 16 pro *anevrismatis & polyposæ* leg. *aneurismatici & polyposi*; *p.* 78 *l.* 9 pro ἀνωδίνας leg. ἀνωδύνους; *p.* 81 *l.* 9 pro *Theologos* leg. *Theologis*; *p.* 106 *l.* 35 pro *in sanam* leg. *insanam*; *p.* 111 *l.* 1 pro *Præfatione* leg. *Præfatione*; *ib. l.* 5 pro *folum* leg *solum*; *p.* 205 *l.* 5. pro *peccata* leg. *peccato*; *p.* 211 *l.* 22 delenda vocula *per*; *p.* 250 *l.* 28 pro *fiiarum* leg. *filiarum*; *p.* 260 *l.* 13 pro *desentent* leg. *de sentent.*; *p.* 298 *l.* 6 pro *depromsiit* leg. *depromsit*; *p.* 387 *l.* 31 pro *publiea* leg. *publica*; *p.* 447 *b l.* 1 pro *Disertationibus* leg. *Dissertationibus*; *p.* 485 *l.* 19 pro *pootiora* leg. *potiora*; *p.* 511 *l.* 2 pro *Stoti* leg. *Scoti*; *p.* 520 *l.* 3 pro *Davisinm* leg. *Davisium*; *p.* 528 *l. ult.* pro *prodire* leg. *prodiere.* In paginarum etiam ordine qui occurrunt errores *p.* 457 & 471, hos quilibet attentus Lector facile animadvertet & emendabit.

* * *

d by Google

Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google